528

BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XXVIII
E
28
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

HENRICI IOA. NEPOM. CRANTZ

S. C. A. MAIESTATIS CONSILIARII, INSTITVTIONVM MED. ET MATERIAE MEDICAE VINDOBONENSIS PROFESSORIS PVB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. ET SOCIETAT. BOTANIC. FLORENT. LITTER. ROBORET. SODALIS.

STIRPIVM AVSTRIACARVM

PARS I.

CONTINENS FASCICVLOS TRES
CVM FIGVRIS AENEIS.



EDITIO ALTERA AVCTA.

IMPENSSIS IOANNIS PAVLI KRAVS, BIBLIOPOLAE VIENN.
M D C C L X I X.

B. R. NEAPOLIS

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Quantumvis prima terrarum Auſtria rariſſimarum fertiliſſima ſtirpium mater, non ſolum patrios cives, ſed & meridiei & orientis transfugos, ſuo ſinu complectatur, foveat, & alat: nec alia adeo immenſa ventorum vi perflata, novas conſtanter copias ex ſummis montium caſtris in remotiſſimas etiam planities deducat, deductas veteranis ibi loci hibernantibus commiſceat, & durabili foedere iungat; tamen eſt perquam difficilis, & laborioſa hoc ſub coelo botanice, tum quod in conſpectu Cæſaris exorti montes, maieſtati loci perculſi fugiant, & in remotiſſima excurrentes, ſuas recondant divitias, tum quod in fuga, longo exantlato itinere, comprehenſi, raras admodum oſtendant caſas, quibus quaſſa, licet male, requieſcere membra poſſint. Hæc alpium noſtrarum miſera eſt, in tanta Helveticarum felicitate, conditio, quæ vel ideo

Digitized by Google

omnem omnino admirationem, etiam poſt calidos CAROLI CLUSII, & aliorum egregiorum virorum labores, Auſtriarum catalogum ſtirpium hucusque confici non potuiſſe, adhuc hodie difficulter compingi poſſe, eximere debet.

Verum enim vero, ut & ingens illa moles quondam perfectius ſtruatur, etiam eum, quem in his alpibus fudi ſudorem, conferam, & Auſtriaci ſoli ſtirpes, tam rariſſimas, quam non ſcriptas alias, cum vulgaribus per faſciculos colligabo, eaque ordinabo methodo, quæ de artificiali parum, naturali plurimum habeat. Quid enim iuvat in explananda natura, quam horreſcat, argutiola uti! an aut ipſa arguta unquam fuit? aut artificioſa? ut tanto molimine captivandus veniat in obſequium naturæ intellectus? Quare *clariſſimi* viri ADRIANI van ROYEN, ALIORUM veſtigiis inſiſto, quæ longe celeberrimos viros iam preſſiſſe, lætus video. Fragmenta ſyſtematis naturæ LINNAEI a natura nimium abſunt, & ſyſtema naturæ ad umbilicum perductum, a *laborioſiſſimo*, & *capaciſſimo* HALLERO ſolum ſperari poteſt; faxit DEUS, ut in hoc nervum intendat!

Ego interea antiſcorbuticarum claſſem ſtirpium, in faſciculum primum compingere, notis ex ipſa natura petitis, conabor; ex ſimplici enim plantarum in hac vel illa regione creſcentium enumeratione, emolumenti nihil ſcientiæ accedere dudum perſpexere periti, & iſtum quidem totum laborem ad hortorum culturam, & ſeminum commercium, non ad ſcientiam ſpectare voluere, quo-

rum

rum ſententiæ dum ego accedo, & genera accuratius definire, & his ſpecies inſcribere caſtius molior, veriſſime *maximum* HALLERUM monuiſſe obſervo, in diſtribuendis huiuſce claſſis naturalis generibus ab omni tempore non alibi maiorem, eamque inſuperabilem difficultatem viſam eſſe, eoque magis obfirmatam induruiſſe, quo operoſa tuberculorum (neſcio cur glandulas vocent?) in minutie exſpirante inutili perquiſitione, intricaretur magis.

Neque ſane aliter ſperari poterat! ſi enim generum definitiones ab ea potiſſimum floris parte, quæ & cæteris conſtantior, & facilior ſit, petendæ ſunt, ab his peti non poſſe, in propatulo eſt; equidem tubercula hæcce, vel demum ſquamæ, aut glandulæ, prout diverſi diverſe vocant, partes floris non ſunt (per prima Botanices Elementa) & ſi eſſent, adeo manifeſte cum varient, inconſtantiæ criminatio, nec eſſentiales, nec conſtantes floris partes eſſe, abunde commonſtraret. Atque huius cauſæ demonſtrationem in præſentiarum eo lubentius ſuſcipio, quo certius mecum ipſa natura operatur, & hoc generum huius ordinis fundamentum convellit evidentius; videte: charačteri generico *Eryſimi* adſcribuntur glandulæ, quæ absque dubio ſolum viſæ, duæ: in *Eryſimo Barbarea*, *Eryſimo Cheiranthoide* ego tamen quatuor obſervo; an variant? an male vidi? ſed etiam quaternum hunc numerum mecum alii obfirmant, quin in *Eryſimo Officinali* numerum eundem demonſtrant, ut iam priora *Eryſima*, *Eryſima* dici non poſſint, nec *Officinale Eryſimum*, *Eryſimum officinale* eſſe queat, tum quod quatuor tubercula

 habeat,

habeat, & charaćteri generico non conveniat, tum quod in hoc, quam priori, aliter diſpoſita gerat, quæ res etiam ipſum genus mutat. Iterum eſſentia charaćteris *Heſperidum* LINNAEI, & huius viri obſervationibus nimium fidentis HALLERI, eſt in glandula intra ſtamina minora: petalis obliquis; ita LINNAEUS, adiungit tamen certiora ſigna HALLERUS; verum etiam alii quatuor, non duas glandulas invenere in *Heſperide*, unam inter ſtamen, quodque minus, & corollam, alias inter ſtamina maiora & calycem: an variant? ſed etiamnum repetenti de induſtria ſæpius experimenta in *Heſperide Sylveſtri* HALLERI ad RUPP. alia, quam quæ vel a LINNAEO, vel aliis obſervata ſint, natura mihi commonſtrat; nam nec tubercula minimorum ſtaminum intra eadem, quod LINNAEUS, nec inter hæc & corollam ſolum, ut alii, ſed circularem conſtituere aggerem, cuius depreſſo centro ſtamen quodque minus tanquam cavo articulato inſiſtat, obſervo, ut utrumque obveniat, ſcilicet, ut glandulæ eminens arcus inter ſtamen & piſtillum dimidius, dimidius inter ſtamen & corollam adſit, & etiam glandulas fulcientes ſtamina maiora videas, ut merito rogare de novo debeas, qui demum cognoſcatur *Heſperis?* ad hæc *Dentaria* LINNAEO tubercula nulla habet, *Dentaria Enneaphyllos* tamen quatuor inſtrućta dicitur, *Dentaria Bulbifera* ſex: nec in *Cardamine* LINNAEO glandulæ, nec in *Siſymbrio* viſæ, *Cardamine* tamen quatuor habere, *Siſymbrium Naſturtium* pariter quatuor non coalitis, dum *Siſymbrium ſylveſtre* quatuor quidem, ſed cohærentibus, & *Siſymbrium ſophia* ſex inſtrui perhibetur. Ego in *Siſymbrio*

brio ſylveſtri confluentes quidem, nihilo minus ita ordinatas deprehendo, ut duorum ſtaminum maiorum ſedes, una, cuius agger parte calycis gibbus ſit, glandula coerceri, minoris cuiusque ſtaminis ſedes itidem una, cuius agger piſtilli & ſtaminum maiorum parte vallatus, parte vero calycis deliqueſcens ſit, contineri videatur. In *Siſymbrio Irione* iterum confluentes obſervo, numerum dicere non poſſum, nam etiam in averſo capitum ſtaminum loco radicantur capita unguium petalorum profundo utriusque cavo glandulari, ut paries intergerinus viridis, dividere ſolum cava, licet ad utrumque tamen ſpectet, intelligatur: in hoc vero glandulæ ſtamina minora recipientes, ſemicirculares cavæ, aggerem piſtillo, & ſtaminibus maioribus opponunt, parte enim calycis etiam hic deficit. Nec *Lepidio* glandulæ, quas habet, adſcriptæ ſunt; *Lepidium quintum* HALLERI, *Petraeum* quondam, iam *Alpinum* LINNAEI, duas tamen habere dicitur; in *Lepidio Graminifolio* iam quatuor, an non plures video? numerus, ob difficultatem anatomes foliorum calycis, & floris, vix dici poteſt, ut vel ex his ſolum, conſtantia, & facilitas glandularum ilico pateant.

Sed ut etiamnum de facilitate cognoſcendarum glandularum res ſit longe evidentior! an bene dici clarius argumentum poteſt, quam lyncæis inſtructos oculis hos, illos microſcopiis, ut etiam viſus aciem ſibi læderent inhiantes, diverſa tamen omnes vidiſſe, etiam enunciaſſe, imo nudis oculis attentos alios diſcrepare. Verum næ quidem hæ ſummæ, aut ultimæ contra haſce glandulas difficultates

tates ſunt; equidem in his inſtar corniculorum, ut in *Alyſſo incano*, ubi duæ utrimque ſtamini minori adiacent, eminentes, in illis inſtar diſci mammæ, cui papilla exſecta ſit, ut in *Cheirantho Cheiri*, *Heſperide ſylveſtri*, *Arabi umbroſa*, & aliis plurimis cavas, in aliis denique inſtar ſquamarum arythenoidearum, ut in *Arabi alpina*, non vero in *Arabi umbroſa*, aut *Thaliana*, licet ſic definitum fuerit, reflexas, ſimiles fere, ſed magis latas in *Iberide umbellata* deprehendi, & nunc in *Raphano Raphaniſtro* adhuc obſervo, cui in univerſum tantum duæ, licet character genericus quatuor fruſtra expoſcat & deſideret, natura conceſſæ. Eſſe etiam in quibus compoſita facies ſit, ut in *Buniade kakile*, ubi, quæ maiora ſtamina ſuſtinent glandulæ, corniculatæ, quæ minora, oblongo compreſſæ ſunt, ut, an adeo diverſæ faciei partes ſemper eædem ſint, & quod plus, an ſint ſemper glandulæ, microſcopio inſtructus dubitare debeas. Tum minutulam folioli floralis, etiam calycis, aut ſtaminis poſt evulſionem relictam partem, ut in *Heſperide* maiori tamen planta, ſæpe, in aliis vero minoribus frequentius obvenit, pro glandula imponere poſſe: etiam rudiori ſolutione, vel petalorum calycis floris; tum & ſtaminis avulſione, glandulas, quæ prius non aderant, effici, ut in evulſione petalorum *Cheiranthi* & aliis ſæpe manifeſtum; dum in ſingulo corpore glanduloſo profunde viridi, tria conſpicias cava, utrinque unum, pro recipiendis petalis, & tertium in medio pro recipiendo ſtamine minore, ut in *Cheirantho*: quin etiam a latere ſtaminum maiorum petala evulſa, ſua relinquere cava, & cavi articu-

lari

lati oram diſtrahere, ut glanduloſa iudicetur, quod familiæ *Raphani*, & *Sinapi* haud infrequens!

Idem fere in *Iberidis* tota gente obvenire, ubi petala exteriora duo, longe maiora, firmiorem articuli baſin poſtulant, ita, ut, licet tantum duæ in hac familia ad ſtamen quodque minus glandulæ, tamen petalis maioribus eiectis eminentem ſæpe ad latus unum ſtaminum maiorum ſquamam obſerves, quam etiam glanduloſam, quæ tamen non eſt, pertinaciter contendas, quod iam in *Iberide ſempervirente*, fere etiam in *umbellata* præ oculis habeo. Haſce ſquamulas factitias celeberrimis illis viris, qui in *Cleome gynandra* ſtatuere tres, impoſuiſſe certus affirmo, nec enim ad ſinum calycis nec alibi glandulæ, quales in præcedentibus vidi, adſunt, his vero evulſis, quatuor, quibus petalorum iam evulſus hæſit unguis, quæ pro glandulis imponere poſſent, cavitates factas iterato certus experimento obſervo; tum ſub ſinu laciniarum calycis, ex umbra in partem rubram proiecta, glandulares eminentias falſo effingi, acutiori vero examine nullas adeſſe, tenendum. Adhæc in horum numero & ſitu, quæ determinari vix poſſunt, ubi confluunt, falli aliquem facile poſſe, idque potiſſimum in illis, quibus exſculptum pro recipiendo ſtamine cavum eſt, ut diviſus mediante fovea agger plures, quam revera ſunt, repræſentet, quale manifeſtum eſt in *Siſymbrio ſtrictiſſimo* exemplum, ubi quatuor certo, (licet duas tantum tribuat HALLERUS) ſi non ſex numerare velis, videas, dum inter ſingula ſtamina aſcendens tuberculi dens ipſa ſtamina dividit & numerum maiorem efficit.

b Ultimo

Ultimo demum plurimum laboris, & temporis his glandulis dari, etiam oculos dolere, deſtrui, nec tamen ideo plantam melius cognoſci, teſte *Heſperidi Sylveſtri*, *Arabi Thaliana*, *umbroſa* & aliis plurimis; ipſas etiam venas in florum petalis adeſſe, & numerari poſſe, & uti ex harum numero, intertextu, anaſtomoſi, decurſu, diviſiones generum ſumere admodum difficile, ita & ex his glandulis vulgo dictis, minutulum, & laborioſum; neque tamen adhuc demonſtratum eſſe, haſce partes glandulas nectariferas eſſe, cum petalis fulciendis, piſtillo, vel removendis vel approximandis ſtaminibus, inſervire potius videantur; ſimilia etiam tubercula, & glandulas ſimiles in umbelliferis, etiam aliis plantis hinc inde videri, etiam in capite articulato ſtaminum eſſe, quod in *Arabi Thaliana* verum, nec tamen in his glandulas vocatas eſſe. Poſſe adhuc dici quam plurima. Vide præfationem huius claſſis conſtitutæ, ubi novum glandularum examen ſuſceptum eſt.

His omnibus perpenſis veterum ſtandum placitis, & ex eſſentialibus potiſſimum, nec adeo variantibus, nec minutulis, quæ dubiam experimentorum fidem faciunt, microſcopiis conſpiciendis ſolum partibus, genera eruenda cenſemus, eo adhibito rigore, ut, quæ generico claſſis charaćteri non exacte quadrant, haud vi intrudantur, ne continuo nobis botanici obiiciant, quod LINNAEO HALLERUS, & alii, neque omnia eius viri *Siſymbria* ſiliquis curvis eſſe, neque *Eryſima* rectis, aut evidenter quadrangulis; nec *Drabas* eius omnes ſtylo nullo eſſe, aut *Myagra* manifeſto; nec ſiliculis cordatis *Lepidia*, nec ſtylo deſtituta, nec quod mirum! apice, licet in hac

hac diviſione cogantur, emarginata; tum nec omnia eius *Alyſſa* inciſa apice eſſe, nec eſſe *Cochlearias*, ut inde nec recte diſcriminata genera, nec claſſi genericæ ſpecies legitime illatæ inveniantur; quæ res, quoniam ut plurimum, poſt exantlatum pertinacis laboris tædium, in deſperationem botanices ſtudioſos deducere ſolet, ſuarum regionum plantas enumerantibus princeps cura eſſe debet, ut conſtanter notas generum characteriſticas provido HALLERI, ZINNII, aliorumque exemplo addant, ut cum his conferri ſpecies illico poſſint.

Igitur omnium primo, id, ſine quo inutilis omnis futura flora eſt, præpoſui præſidium, ut etiam facilius corrigi ego a minimo poſſem; tum a primis ſyſtematicis totam hanc gentem in duas tribus, in ſiliculoſam, & ſiliquoſam, diſtinctam recepi, etiam utriusque ſubdiviſiones fere ex *clariſſ.* LINNAEO ſervavi; quod vero nec omni *eius Alyſſo* ſilicula apice emarginata ſit, docet *Alyſſum incanum*, *ſaxatile*, &c. quod nec *Lepidia* ſiliculam emarginatam, aut manifeſte cordatam habeant, docent *Lepidium latifolium*, evidentius *Lepidium petraeum*, *Lepidium alpinum;* quod nec omnes eius *Cochleariae* apice emarginatæ ſint, docet *Lepidium draba*, ita ab illo olim vocatum, hodie *Cochlearia draba*, absque ullo ordinis iure; quod nec *Thlaſpi* I. *montanum* CLVSII ſcriptum ſit, mutationem, ut character generibus omnibus quadraret, nec examinanti ſpecies adeo facile aqua hæreret, aliquam, quam putavi optimam, feci, eamque omnibus datis, quæ univerſali huius gentis diſtributioni ſatisfaciat, minus incommodam, magiſque facilem reor.

Siliquoſas non ita, ut ſiliculoſas emendare potui.

Nova genera facta, cum totidem, imo plura ſuppreſſa ſint, criminationem diluunt; equidem *Thlaſpi* I. *montanum* CLVSII, ſub *Clypeola* LINNAEI, quæ ſiliculam emarginatam poſcat, ſub *Lunaria* LINNAEI, quæ valvulas diſſepimento æquales velit, ſub *Iſatide*, LINN. quæ lanceolatam requirat absque ſtylo ſiliculam, quæ hic orbiculata eſt, cogi non potuit, ut inde clare novo nomine inſcribi hæc planta debuerit. Cæterum plurimas Auſtriæ vindicavi, eas que rariſſimas plantas, in flora Auſtriaca omiſſas aſteriſco notavi, multas etiam æri incidi curavi. Alios quod ſpectat faſciculos, nullo ſervato ordine, prout nempe aliqua claſſis obſervationibus maturior citius abſoluta fuerit, edam, & ſat cito, ſi ſat bene.

HENRICI IOA. NEPOM. CRANTZ

S. C. A. MAIESTATIS CONSILIARII, INSTITVTIONVM MED. ET MATERIAE MEDICAE VINDOBONENSIS PROFESSORIS PVB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. ET SOCIETAT. BOTANIC. FLORENTIN. LITTER. ROBORET. SODALIS

STIRPIVM AVSTRIACARVM

FASCICVLI I.

EDITIO ALTERA AVCTA

CVM FIGVRIS AENEIS

IMPENSIS IOANNIS PAVLI KRAVS
BIBLIOPOLAE VIENN.
MDCCLXIX

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRI

SOCIETATI BOTAN.

FLORENTINAE

FLORVM AVSTRIORVM PRIMVM SVVM

FASCICVLVM

CONSECRAT

H. CRANTZ.

Digitized by Google

STIRPIUM
AUSTRIACARUM

PARS I

CONTINENS

FASCICULOS TRES

A

Digitized by Google

Digitized by Google

I. SILICULOSAE.

SILICULA INTEGRA.

I. ISATIS. Septo & ſtylo deſtituta.
1. Tinctoria.

II. BOHADSCHIA. Septo deſtituta; ſtylo dubio.
1. Alliacea.

III. MYAGRUM. Septo deſtitutum; ſtylo valvarum cornuto.
1. Biarticulatum.

IV. ANASTATICA. Septo gaudens; ſtylo valvarum cornuto.
1. Hierachuntica.

V. LEPIDIUM. Septo gaudens; ſtylo nullo, vel aliquo ſepti; valvis navicularibus.
1. Halleri. 2. Linnæi.
3. Draba. 4. Latifolium.

VI. DRABA. Septo gaudens; ſtylo nullo, vel aliquo ſepti; valvis longe ellipticis.
1. Verna. 2. Auſtriaca.
3. Alpina. 4. Pyrenaica.

VII. NASTURTIUM. Septo & ſtylo ſepti valens; valvis concavis hemiſphæricis.
1. Saxatile.
2. Paniculatum.
3. Auſtriacum.

VIII. ALYSSON. Septo & ſtylo ſepti inſtructum valvis ſcutiformibus aut inflato-compreſſis.
1. Incanum.
2. Saxatile.

IX. LUNARIA. Septo & ſtylo ſepti gaudens; valvis planiſſimis maximis.
1. Annua.
2. Rediviva.

X. CAMELINA. Septo inſtructa & ſtylo, ſed ſtylo valvis proprio.
1. Sativa.

SILICULA APICE EMARGINATA.

XI. COCHLEARIA. Valvulis globoſis ſcabris.
1. Officinalis.
2. Armoracea.

XII. CLYPEOLA. Valvulis ſcutiformibus.
1. Montana.
2. Alyſſoides.
3. Didyma.

XIII. IBERIS. Valvulis navicularibus.
1. Burſa paſtoris.
2. Ruderalis.

XIV. THLASPI. Valvulis alatis.
1. Sativum.
2. Arvenſe.
3. Alliaceum.
4. Perfoliatum.
5. Hirtum.
6. Campeſtre.
7. Montanum.
8. Alpinum.
9. Saxatile.
10. Umbellatum.
11. Amarum.

II. SILIQUOSAE.

XV. DENTARIA.

1. Enneaphyllos.
2. Bulbifera.
3. Pentaphyllos.

XVI. ERYSIMUM.

1. Perfoliatum.
2. Alliaria.
3. Cheiranthoides.
4. Pannonicum.
5. Ramoſiſſimum.

XVII. HESPERIS.

1. Triſtis.
2. Sylveſtris.
3. Matronalis.

XVIII. TURRITIS.

1. Hirſuta.
2. Glabra.

XIX. RAPHANUS.

1. Sativus.
2. Raphaniſtrum.

XX. BRASSICA.

1. Perfoliata.
2. Napus.
3. Rapa.
4. Oleracea.
5. Erucaſtrum.
6. Eruca.

XXI. ARABIS.

1. Alpina.
2. Thaliana.
3. Umbroſa.
4. Bellidifolia.

XXII. CARDAMINE.

1. Bellidifolia.
2. Trifolia.
3. Impatiens.
4. Pratenſis.

XXIII. CHEIRANTHUS.

1. Sylveſtris.
2. Cheiri.

XXIV. SINAPIS.

1. Arvenſis.
2. Alba.

XXV. SISYMBRIUM.

1. Naſturtium.
2. Sylveſtre.
3. Arenoſum.
4. Lœſelii.
5. Irio.
6. Waltheri.
7. Sinapiſtrum.
8. Sophia.
9. Strictiſſimum.
10. Officinarum Eryſimum.
11. Barbarea.
12. Amphibium.

ANTI-

ANTISCORBUTICAE SILICULOSAE.

SILICULA APICE INTEGRA.

ISATIS.

CHARACTER. Silicula lanceol. apice integra, ſepto, ſtylo, deſtituta.

I.) ISATIS *Tinctoria.*

Iſatis foliis radicalibus crenatis caulinis, ſagittatis, ſiliculis oblongis. L.
Iſatis, ſeu glaſtum ſpontaneum I. B. II. p. 909.

In agris inter ſegetes; in montibus *Crembs.*

Obſervatio. Convenit cum Thlaſpi, quod valvas habeat alatas, differt ſilicula integra, ſtylo & ſepto carente, tum & figura ſiliculæ & aliis.

BOHADSCHIA.

CHARACTER. Silicula orbicul. apice integra, ſepto deſtituta, ſtylo dubio.

BOHADSCHIA * Icon Tab. I. F. I.
Bohadſchia foliis radicalibus cordatis, caulinis amplexicaulibus lanceolatis.
Crambe foliis amplexicaulibus, lanceolatis, integerrimis, *van* ROYEN. *prod. Leid.* *330.* Integerrima vix inveni.
Thlaſpi montanum I. vel peltatum CLUS. *Pann.* & *Hiſt.* *230.* Icon, excepta ſilicula, bona.
Thlaſpi pannonicum LOBEL. Icon MORIS. II. T. 18. F. 34. ex CLUSIO. ſiliquæ malæ.
Thlaſpi montanum Glaſtifolio majus. B. *pin.* *106.* RAII. *Hiſt. I. p. 841.*
Thlaſpi montanum monoſpermum glaſtifolio abſque ſepto medio. MORIS. II. p. 298. ex C. B.
Thlaſpi folio Alliariæ I. B. II. p. 932. Deſcriptio bona, & icon commoda.

Raram nec alibi quam Auſtriaco forte animatam ſole plantam, umbroſis locis ad arcem Dixenſtein, & qua itur ex ea arce ad Schneeberg, nusquam alibi, obſervavit CLUSIUS; Ibi etiam nos invenimus 1758. & hortulo noſtro intulimus.

In monte ad Thermas Badenſes creſcere, *Hort. Gotting.* p. 242. habet; at hic illius locus non eſt; an cochleariam *glaſtifoliam* intelligit?

Sed nec hæc hic naſcitur. Cæterum plantæ hæ duæ diſtinctiſſimæ ſunt; eſt enim cochleariæ *glaſtifoliæ* præter habitum multum diſſimilem, ſilicula rotunda, globoſa, noſtræ orbiculata, plana, absque ſepto.

Charactere, definitione, flore albo copioſo, ſilicula orbiculata, plana, compreſſa absque ſepto cognoſcitur, & ab aliis hujus generis diſtinguitur.

Obſervatio I. Planta ex ſemine culta multum mutatur, raro folia adeo carnoſa, ut in loco natali, acquirit; video etiam quoad alia variare. Bohadſchiam a *Cl.* Botanico Pragenſi I. B. BOHADSCH, quod genus novum poſcat planta, nec officinalis ſit, dixi, & dixi omnium ſcriptorum primus.

Obſervatio II. Silicula immatura, ex ovato lanceolata eſt, & aliqualem ſtylum habet. Matura orbiculata ſtylo ſæpe carens. Vide icon.

Obſervatio III. Peltata non ſunt ſemina, ut reliquit CLUSIUS, ſed rotunda, ut hæc vox in errorem inducere poſſit. Pelta enim eſt ſcutum breviſſimum in modum lunæ iam mediæ, ut etiam teſtatur VIRGIL. I. *Aeneid.*

LUNATIS AGMINA PELTIS.

MYAGRUM.

CHARACTER. In ſilicula apice integra, ſepto carente, ſtylo cornuto ornata, radicatur.

MYAGRUM *Biarticulatum.* *

Myagrum Biarticulatum cornutum.
Myagrum ſiliquæ primo nodo ſtrictiori, altero globoſo-ſtriato. HALL. *Helv.* 536. bene.
Myagrum ſiliculis biarticulatis, diſpermis, foliis extrorſum ſinuatis denticulatis. *Hort. Vp.* 182.
Rapiſtrum monoſpermum *n. prod.* 37. Icon non bona. MAPP. *Alſat.* 226. TAB. 226. melior, ſed glabra pingi non debuiſſet, noſtra hirſuta aſpera eſt.
Raphaniſtrum diſpermum. RUP. 57.

Non raram inveni in vallo ſuburbico *Belveder* pluribus locis R. P. FISCHER S. I. in ſylvula *Incersdorff*, etiam in *Rusbach;* Ego nuper non infrequentem in via regia ad *Laxembourg* etiam inter ſegetes, tum via regia ad *Farenfeld*, & iterato abundantiſſimam ad *Neugebau*, in via regia ad *Perſchling* inter ſegetes.

Admo-

Admodum diffuſa planta hirſuto, etiam aſpero, ramoſo, patente caule, flore flavo, & definitione & charactere cognoſcitur, & ab aliis diſcriminatur. Radix profundiſſime ſe in terram dimittens, botanicis crucem figit.

ANASTATICA.

CHARACTER. In ſilicula apice integra ſepto diviſa biloculari; ſtylo cornuto donata.

ANASTATICA *hierochuntica*. * Enum. * Elench.
Roſa hierachuntica. CAM. *hort.* T. XLI. bene. C. *B. pin.*
Thlaſpi roſa de Hiericho dictum. MOR. II. p. 325. Sect. 3. T. 25. imaginaria icone neque meliori deſcriptione.
Myagrum de Sumatra. ZAN. recte quoad ſiliculas ſeſſiles & cornutas, non folia.
Roſa hierachuntica alia. CAM. *hort.* T. XLII. bene.

Creſcit ſecus vias in arenoſis eundo in Simmeringer Wieſen.

Annuæ plantæ radix parva lignea.

Caulis unicus, ramis ramoſis & his adhuc ſæpe ſubdiviſis admodum ramoſus, ſordide viridis, hirſutus aſper; quandoque palma minor, modo etiam altior.

Folia in caule & ramis oblongo-ovata lato ſatis petiolo hærentia, medio nervo carinato, modo obtuſo magis, modo acuto, fine aſpera hirſuta brevi marceſcentia, decidua, modo integra, modo crenata leniter, recte, ut in utraque CAMERARII icone.

Flores in capitulis minutulis vel nudi, vel inter folia congeſti, quod in prima icone bene CAMERARIUS notavit, modo oculo non ſatis diſtinguendi, tamen calyce quadrifolio purpura colorato, petalis quatuor albidis, ſtaminibus ſeu duobus minoribus inſtructi. Hi flores jam in capitulis minutulis congeſti abeunt in ſiliculas, jam elongatis tum caule, tum ramis conſpicuas & ſeſſiles, ut ſecunda CAMERARII icon recte exprimit; in hac enim nullus amplius flos adeſt.

Siliculæ modo in longis caulinis & rameis ſpicis CAMERARII icon altera, modo in brevioribus & ad ſe magis complicatis, ut in figura ejusdem prima (utrumque enim mihi in loco natali ſæpe obſervare datum) ſeſſiles alternæ, ſolitariæ in ramorum vero alis frequenter aggregatæ, quod CAMERARIUS ceterum exactiſſimus non exprimi curavit. Omnes hirſutæ ſunt hiſpidæ, aſperæ, cornu anterius ſpectante roſtratæ, quaſi aviculæ caput referunt.

Obſer-

Digitized by Google

Obſervatio I. In prima ſpecierum editione has plantas non diſcriminaverat LINNAEUS, in ultima duas facit, unam *hierachunticam*, *ſyriacam* alteram, veræ differentiæ nihil addens niſi ſiliculas in priori unguiculatas ſpinoſas, in altera ovatas roſtratas, quæ quidem ſufficeret, ſi eſſet certo obſervata; ſed ego haud perſuadeor, qui plantam deſcripſi, nulla tamen ſilicula ovata gaudentem & nihil ovi habentem; nec ſane in eo melius divinavit, quod *diſſepimentum deſinere* dicat *in mucronem ſubulatum obliquum ſilicula ipſa longiorem.* Cornu, quod in noſtra eſt recurvum, non ad diſſepimentum, ſed ad ligneam duram & hirſutam capſulam ſpectat, & hoc cornu ſilicula longe minus eſt; vide icones CAMERARII T. XLII. MORISONII. Myagri de Sumatra ZAN. T. 25. Sect. 3.

Obſervatio II. Hæc ſtirps ſuos flores non ita expandit in noſtris regionibus, ut quidem a LINNAEO video deſcriptos, aut a CAMERARIO pictos, & hæc quidem ratio eſt, quare noſtrates botanici illam quidem ſuis in herbariis geſtent, cognomen vero ignorent; ſimile jam aliud in naſturtio Auſtriaco T. II. F. 1. 2. primæ editionis, delineato vidi exemplum, quod quidem in Enumerationis plantarum agri Vindobonenſis appendicem cum præcedenti ſpectat, LINNAEUS adhuc, quia videre non vult, non vidit.

LEPIDIUM.

CHARACTER. Silicula apice integra ſepto inſtructa, ſtylo nullo, aut aliquo ſepto proprio, valvis navicularibus.

1.) LEPIDIUM HALLERI * Tab. I. F. 3.

Lepidium petalis calyce longe majoribus, ſilicula tricuſpidi mucronata.
Lepidium foliis carnoſis pinnatis, pinnis lanceolatis, extima ovata.
Lepidium foliis pinnatis, pinnis lanceolatis. HALL. *Helv.* 547.
Cardamine alpina III. minima. CLUS. *Hiſt.* P. II. p. 128. Icon vera, deſcriptio bona.
Naſturtium, & Naſturtiolum alpinum tenuiſſime diviſum. C. B. RAII. TOUR. SCHEUCHZ. MORIS. cujus icon admodum mala eſt. II. Tab. 19. F. 10. I. B. melior.

An Cardamine puſilla ſaxatilis montana diſcoides? COLUM. *Ecph.* I. p. 274. differre ſpiculi defectu iam HALL. pronunciavit, quod icon Burſæ paſtoriæ minimæ LOB. p. 221. commode exprimit, etiam illa MORIS. habet, licet cæterum mala ſit differre quoque flore, ego video.

An Lepidium *petræum* ſpecierum LINN. Repugnat huic diſtributio, claſſis, & Lepidii LINNAEI character.

An

An Lepidium foliis pinnatis integerrimis petalis calyce minoribus: *Fl. Suec.* p. 195 Bracteæ niveæ in noſtris plantis calyce majores ſunt, quod etiam in ſuis RAIUS obſervavit, *plant. Hiſt* I. p. 828

An Burſa paſtoris parva folio glabro ſpiſſo? I. B. II. p. 937. Egregia definitio, ſed nec figura, nec locus natalis conſentit.

In ſcopulis ſummi jugi *Schneberg* CLUSIUS, ibi, & in Saxis *Breiten-Ris Schneberg*, nos collegimus.

Non levis de hac planta eſt apud ſyſtematicos confuſio; *Clariſſ.* LINNAEUS lepidium vocat in Flora Suecica, & huic lepidium *quintum* HALLERI pro ſynonimo adjungit. In ſpeciebus LINNAEUS ſynonymum HALLERI, quod Is ſiliculam emarginatam non eſſe, etiam ſtylo notabili inſtructam dixerit, omittit. Ab HALLERO tamen alpino viro ſtandum, nam & noſtra omnia ſpecimina Ejus opinioni famulantur, nec unquam eſſe poteſt lepidium LINNAEI. Sed jam ex *centuria* II. Plantarum, *Cl.* LINNAEUM hanc plantam prius in integrum ignoraſſe intelligo, cum lepidium *alpinum* novum fecerit, quod ſolum HALLERIANUM eſt. Verum neque id lepidium HALLERIANUM, lepidium juxta LINNAEUM eſſe poteſt; cum emarginatum non ſit, in quo Lepidii Ejus Character, & licet jam hæc ita ſcripſiſſem in prima editione, tamen in hodiernam diem Lepidii characterem non emaculavit LINNAEUS.

Cæterum definitione, flore amplo niveo, petalis calyce longe majoribus, ſilicula vere lanceolata, integra, 3. 4. cuſpidi, ſtylo inſtructa, valvis navicularibus noſcitur; ſilicula integerrima, ſtylo notabili, a lepidiis aliis LINNAEI diſtinguitur, a Thlaſpi ſilicula integerrima non alata diſcriminatur, a ſequente ſiliqua mucronata, & definitione.

Habitus viridis carnoſus.

2.) *Lepidium* LINNAEI * Icon Tab. II. F. 4. 5.

Lepidium petalis calyce vix majoribus; ſilicula ſtylo carente.

Lepidium foliis pinnatis, pinnis lanceolatis, capitulo ſiliculæ argenteo.

Cardamine puſilla ſaxatilis montana diſcoides. COLUM. *Ecph.* I. p. 274. T. 273. Icones noſtris non exacte reſpondentes, licet ſint ex deſcriptione. Noſtrae minores ſunt plantae, magis ramoſæ, conſentit C. B. deſcriptio Adhaec ſiliculae majores nimium ovales COLUMNAE.

Naſturtium pumilum vernum. C. B. p. 105.

Thlaſpi montanum minimum Monſpelienſium folio laciniato. I. B. RAII. *Hiſt. plant.* I. p. 826. bene.

B Lepidium

Lepidium foliis pinnatis integerrimis, petalis emarginatis, calyce minoribus. LINNAEI *Iter. Oel. Fl. Suec.* non bene, nec ſynonima. Petala emarginata non ſunt, nec calyce minora, ſed bene anguſtiora.

Inveni 1759. ignotam Auſtriis plantam, in Montibus *Badenſibus* primo vere florentem, locis lapidoſis ſatis copioſe.

Annuæ Plantæ radix, fibroſa, alba, exigua, abit in caulem unum vel plures, ex viridi nigricantes, paniculatos, ramoſos, ramis loco humido magis ex ramis diffuſis, terræ innixis, iisdem loco ſicciori minus expanſis, paucioribus.

Folia tum ad terram, tum ad exortum cujuscunque rami a primo principio ſtatim (quod in priori nunquam) pinnata, pinnis lanceolatis minus ovatis, nec carnoſis, alias nulla, omnia dum maturum ſemen eſt, arida.

Flos exiguus, calyce vix major, albus, patens, in omni ramo multus, petalis integris calyce anguſtioribus.

Silicula extrorſum linea exarata eminente, gibba magis, introrſum planior, fere tricuſpidalis, non tamen lanceolata, ſed magis ovata, compreſſa absque ſtylo: habet tamen exiguum capitulum exalbidum ſplendens, ut ſiliculæ ex viridi nigricantes, quo loco valvæ dehiſcunt, argenteo puncto niteant.

Hujus plantæ adeo minutula data deſcriptio eſt, ut non amplius cum præcedente confundi, & ea dijudicari, quam HALLERO male LINNAEUS movit, lis poſſit. Cæterum inter lepidia hanc plantam, licet ab omnibus aliis, quod ſtylo manifeſto careat, diſtinctiſſima ſit, ut genera haud multiplicarentur, ordinavi; potuiſſet clarioris doctrinæ cauſa, poſt miagrum poni, & ejus character in ſilicula apice integra ſepto inſtructa ſtylo carente fundari, malui tamen conſilio *Cl.* Virorum prius facere, nec novum, diſtinctæ cæterum plantæ nomen excitare.

Definitione Charactere cognoſcitur, & diſtinguitur.

Habitus totius plantæ ex viridi atro purpuraſcens.

3.) *Lepidium Draba.*

Lepidium foliis lanceolatis amplexicaulibus, dentatis.
Draba I. Vulgaris. CLUS. *Hiſt.* 2. p. 124. Icon folia non inciſa habet.
Draba umbellata, ſeu major capitulis donata, C. B. *pin.* 109. MORIS. II. p. 313.

Ubique ad agrorum margines, & vias obviam, inter lepidia retulerat LINNAEUS, inde vero exemptam cochleariis immiſcuit, ſed noſtra ſilicu-

ſiliculam apice emarginatam non habet, ſed integram, & acutam, ut nec cochlearia eſſe poſſit ex poſteriori plantæ, ab ipſo LINNAEO definitæ, Charactere.

Silicula obverſe cordata a præcedenti, ab aliis lepidiis apice integro, & longo ſtylo differt, tum a cochleariis apice integro diſtinguitur. Huc etiam lepidiis reliquis, ſiliculam non emarginatam cum ſtylo habentibus, ut & cochleariis LINN. migrandum, ſi valvas naviculares habeant; ſi habeant concavas hæmiſphæricas, ad Naſturtium.

4.) *Lepidium Latifolium* *
Lepidium foliis ovato-lanceolatis, integris, ſerratis. LINN.
Lepidium latifolium. C. B. p. 97.
Lepidium PLINII. DOD. *pempt.* 716.

Ubique in hortis, raro in incultis creſcens, menſis adhibetur in acetariis.

Silicula cordata, ſtylus vix conſpicuus, capitatus.

DRABA.

CHARACTER. Silicula apice integra, ſtylo aliquo vel nullo, valvis longe ellipticis, planis, membranaceis. Eſſentia in valvularum planarum membranacearum ellipſi, ut vix multa ſtyli ratio haberi debeat.

1.) *Draba verna.*
I. Draba foliis inciſis, cauliculis nudis, ſilicula ſtylo carente.
Alyſſon vulgare polygoni folio, caule nudo. I. R. H. 217. SEGUIERI icon. p. 329. Tom. I.
Alyſſon vulgare polygoni folio trifido. BOERH. II p. 4.
Burſa paſtoris minor foliis trifidis, aliquando multifidis, loculo oblongo. MORIS. II. p. 406.
II. Draba caulibus nudis, foliis integris.
Alſine minima. TABER. p. 702. bona icon.
Burſa paſtoris minor loculo oblongo, foliis integris C. B. *pin.* 108.
III. Paronychia ſiliquata minima. THAL. Icon. 7. K.
IV. Draba caulibus nudis, foliis ovatis carnoſis.

I. Ut & III. in montibus Medlingenſibus ſabuloſo ſolo; II. in AUU, vallo ſuburbii, Auugarten, Belveder herbido; IV. in Schneberg humidis locis.

 Omne;

Digitized by Google

Omnes petalis inciſis, ſiliqua Drabæ propria cognoſcuntur. III. Minima eſt foliorum vis, quod jam THALIUS notavit. Tum his ſtylus vix ullus, ut ex paucis his particularibus generalem Drabæ Characterem male confecerit LINNAEUS, dum reliquæ omnes hunc admodum conſpicuum habent.

2.) *Draba Auſtriaca* * T. I. Fig. 4.

Draba Roſulis hirſutis, incanis, raro dentatis, folio ad caulem ampliori, ſemper dentato.

Planta quam ex monte Sfrigel habuit I. B. II. p. 938.

Burſa paſtoris alpina hirſuta C. B. *prod.* deſcriptio.

Burſa paſtoris alpina minor, foliis infimis integris, ad genicula vero crenatis, loculo oblongo. MORIS. deſcriptio exactior.

An Draba caule ramoſo folioſo, foliis dentatis? *Fl.* LAP. 254. incana ſpecierum?

An Draba nemoroſa ejusdem? non videtur.

Draba foliis hirſutis incanis, ad terram ovatis, ad caulem pauciſſimis dentatis. HALL. *Helv.* 539 bene. Sed noſtra ſtylum capitatum non habet, perit vero brevi capitulum.

Burſa paſtoris alpina hirſuta. C. B. *prod.* p. 51. Icon.

Burſa paſtoris alpina hirſuta, foliis infimis integris, ad genicula crenatis, loculo oblongo. MORIS. II. p. 306. F. 8. T. II. Folia radicalia haud bene.

In ingenti Saxo caſæ *Breyninæ* imminenti, tum in tota Rupium catena primus inveni,

Toto habitu a verna diſtincta adhuc diſcriminatur I. petalis haud diſſectis, II. præcedentium annorum exſuccis Roſulis perennem radicem veſtientibus. III. Habitu incano. IV. Siliqua ſtylo manifeſto prædita. Dubitare me dixi, ſitne *Nemoroſa* LINN. Scrupulum hæc quinque injicere poſſunt. I Quod Nemoroſam vocet, quæ tantum in ſaxis creſcere HALLERO dicitur, & nobis reperta eſt. II. Quod annuam faciat, quæ tamen conſtanter emarcida priorum annorum folia habeat III. Quod folia majora illi, quam Burſæ paſtoris majori loculo oblongo, C. B. *prod.* p. 50. T. 50. adſcribat, quæ ſane monſtroſa planta foret. IV. Quod flores luteos faciat, qui tamen nivei ſunt. V. Quod ramoſam dicat, quæ ſequente non magis ramoſa ſit. Sed nec *Muralis* eſſe, vel ex definitione, vel ſynonymis poteſt; an *incana* eſſet? petala floris emarginata eſſe aſſerit, quod non perpetuum. Synonimon lunariæ contortæ majoris, RAII, longæ alterius plantæ, expungendum ſemper HALLERUS pronunciavit.

Proſtra-

Proſtrata, & diffuſa in ſaxis imbecillior plantula, ceſpitem foliorum, veteribus emarcidis, novorum producit: ſunt vero hæcce, vel integra, vel tridentata, villoſa quidem omnia, ſed in ambitu magis tamen piloſa.

Ex horum foliorum denſe ſeſe ſtipantium roſula, cauliculus educitur anceps, etiam villoſus, frequentius vno ampliori, dentato ſemper, raro duobus foliis, inſtructus.

Calyx deciduus calcaratus.

Flos niveus, bracteis modo emarginatis, modo in acumen deſinentibus.

Siliqua Drabæ, ſtylo, ſed non capitato, inſtructæ.

3.) *Draba Alpina* *

Draba caule nudo, foliis gramineis ciliatis. HALL. *Helv.* p. 539. optime: ſiliqua longo ſtylo inſtructa eſt.

Alyſſon alpinum hirſutum luteum. I. R. H. 217. SCHEUCHZ. p. 509. Icon VIII. quoad folia bona, florem mala.

Sedum minus XII. Alp. VI. CLUS. Icon quoad florem commoda. *Hiſt.* p. LXII. Siliculæ etiam cum ſtylo.

Leucoium luteum aizodes montanum. COLUM. *Ecph.*

Draba ſcapo nudo ſimplici, foliis lanceolatis inciſis *Fl. Lap.* 255. nomen non bonum eſſe HALLERUS monuit, cui quoque ego accedo.

In ſummis Auſtriacarum, & aliarum Alpium jugis CLUSIUS; ex catena montium *Schneberg*, reduplicato ex alpibus *Breyn*, in hortulo colo: collegi etiam in *Etſchero* ſucculentiorem majorem, & hirſutiorem, qualem LINNAEUS ſeſe in Horto Academico Lugduno Batavo vidiſſe miratur; eſt in horto ſicco.

Foliorum ad terram ceſpes: *flos* pro plantula magnus, flavus; cætera HALLERI definitio complectitur. *Silicula* longo ſtylo inſtructa eſt.

4.) *Draba pyrenaica* * T. I. F. 5.

Draba ſcapo nudo, foliis cuneiformibus trifidis, ALLION *pedemont.* T. VI. F. 1.

Draba caule nudo foliis pinnatis ternatisque. LOEF. non bene.

Alyſſon pyrenaicum, perenne minimum, foliis trifidis. I. R. H. 217. melius.

Cum Draba *Auſt.* etiam hanc ex Alpibus Breyninis, ibidem ſatis frequentem attuli.

Radix pro plantæ exilitate craſſa, nigra extus, intus alba, viticulas lignoſas, plures, hasque adhuc diviſas, in ceſpitem, ſaxifragarum

 multa-

multarum, Cherleriæ H. in morem fundit, has foliola multa in roſulas circumacta denſe ſtipantur, quorum inferior pars, ſurſum magis lateſcens, conica, emarcida, foliorum viridium aliquot ordines inſidentes habet. Sunt vero foliola omnia cuneiformia, diviſuris diſtantibus, quaſi digitatis, profunde trifida, marginibus ciliata, foliolis ſaxifragæ partim integris, partim trifidis SEGUIERI longe minora, nec adeo petiolata, ſed exiguo ungue cauli hærentia; inde lateſcentia tota ſcdiformia.

Ex roſulæ ſuperioris vel centro, vel laterali magis parte, ſi ſucceſſurus caulis alter eſt, caulis linea haud multo frequenter major ſurgit, foliolis ſæpius, ut plantam acaulon credas, abſconditus, & hic plerumque bifidus, ramis vix caule longioribus, utrimque unum florem rubrum, milleſolii flori ſimillimum, ſuſtinentibus.

Siliqua Drabæ.

NASTURTIUM.

CHARACTER. Silicula apice integra, ſepto, ſtylo gaudens, ſtylo ſepto proprio, valvis concavis hemiſphæricis.

1.) *Naſturtium Saxatile* * Tab. I. F. 2.

Naſturtium foliis longe petiolatis, ſerratis, pinnatis.

Alyſſon alpinum foliis circa radicem ſubovatis, ſerratis, in orbem circumactis SEGU. I. p. 378.

Thlaſpi alpino petræo con aſpetto di Miagro. PON. 185.

II. Alyſſon foliis ellipticis petiolatis lævibus, rarius ſerratis. HALL. *Helv.* 538.

Thlaſpi alpinum majus capitulis rotundis C. B. *prod.* 49 Icon.

III. Thlaſpi petræum myagrodes. PON. in CLUS. Icon bona. p. CCCXXXVIII.

Thlaſpi alpinum minus capitulo rotundo. C. B. *prod.* 48. Icon. MORIS. II. p. 293. Caulibus flexuoſis, & rectis.

IV. Thlaſpi ſaxatile rotundifolium. C. B. *prod.* 48. RAII. 833.

Ubique in alpium ſaxis, *Schneberg*, *Etſcher*, *Breyn*, & illa montium catena frequentiſſima.

Variabili facie planta, folia ad terram ſemper conferta, longe petiolata, plus minus inciſa, etiam pinnata, qualis noſtra icon, habet, adhæc atrovirentia, & hiſpida in omnibus meis ſpeciminibus in his montibus collectis invenio; hæc radicalia ſunt. Caulina ad caulem purpuraſcentem glabrum lanceolata, ovata, integra, lævia.

Flos

Flos albus.

Silicula rotunda, *ſtylus* exiguus.

Charactere, definitione, loco natali, ab omnibus aliis, cum quibus miſceri poſſet, diſcriminatur.

2.) *Naſturtium paniculatum* *

Naſturtium foliis ſagittatis, ſiliculis punctato-rugoſis.
Miagro ſimilis ſiliqua rotunda. C. B. *prod.* cum bona icone. Oeder *danica*. T. CCIV.
Rapiſtrum arvenſe folio auriculato acuto. I. R. H. VAIL. MAPP.
Miagrum monoſpermum hirſutum ſiliquis rotundis. LOES. Icon.

Collegi in agris *Farenfeld.*

Caulis annuæ plantæ ſcaber, ſuperiori parte brachiatus.

Folia ſagittata, quæ et auriculata vocant, hirſuta.

Flos luteus.

Fructus rotundus ſcaber rugoſus.

3.) *Naſturtium Auſtriacum* * Tab. II. Fig. 1. 2.

Naſturtium foliis glabris ſerratis, fructu minimo.
Naſturtium foliis rad. laciniatis, caul. ſerratis.
An Miagrum fœtidum. C. B. *prod.* p. 51. Sed fructus cum Camelinæ ſimilitudinem, quam *Cl.* HALLERUS *Stirp Helv.* p. 537. adeſſe dicit, invenio nullam.

Creſcit copioſe ſatis tota via Regia ad *Nusdorff*, maxime vero in declivi prato valli *Döblingenſis*, etiam in prato *Simmering;*

Radix profunda perennis Tab. II. Fig. 2. ætate ligneſcens.

Caulis loco arido non altus, firmus, pinguiori grandior, ſed infirmus.

Calyx non calcaratus, patens, concavus, margine exalbido.

Flos ſulphureus, patens, non minimus, petalis ovalibus.

Antheræ profundius flavæ.

Silicula rotunda, quæ ubi adeſt, ex ramis fruticat planta, huc usque noſtris ignota.

ALYSSON.

CHARACTER. Silicula apice integra, ſtylo longo ſepto proprio, valvis ſcutiformibus, aut ovato-inflatis.

1.) *Alyſſon incanum.* *

Alyſſon caule erecto, foliis lanceolatis incanis integerrimis, floribus corymboſis.

Thlaſpi

Thlaſpi incanum Machlinienſe. CLUS. *Hiſt.* II. p. 132. Icon non optima. LOB. Icon p. 216. eadem.
Alyſſon fruticoſum incanum I. R. H. p. 217.
Thlaſpi fruticoſum incanum. C. B. *pin.* 108.
Thlaſpi capſulis ſublongis incanum. I. B. II. p. 92.

Plerisque Auſtriæ locis ſecus vias, & agrorum margines jam olim, quod adhuc hodie verum, invenit CLUSIUS.

Cognoſcitur Charactere, definitione, petalis bifidis.

Quæcunque Alyſſa TOUR. LINN. ſtylum longum habent, ſiliculam apice integram, hic inſcribenda veniunt.

2.) *Alyſſon Saxatile* * *Elench.* * *Enumeratio.*
Alyſſon ſcapis ſuberectis, folioſis, ramoſis foliis molliſſimis undulatis, incano-glaucis. MILL. *dict.* T. XX. F. 1.
Alyſſum petræum. HARD. Animad. botanic. ſpecim. altro. deſcriptio et icon T. XIV. ſed cultæ in horto et majoris plantæ.
Alyſſum creticum ſaxatile foliis unduladis incanis. TOUR. *cor.* 15. bonum nomen.
Alyſſon folio leucoii incano flore luteo. BOERH. *bene.*
An Alyſſum caulibus fruteſcentibus, paniculatis foliis lanceolatis, molliſſimis undulatis integerrimis. ROYENII. Linnæi? MILL. *dict.* T. 20. F. I.

Pulcherrimam hanc omnibus Botanicis auſtriacis ignotam, & aliis multis inviſam plantam, reperi 1767. in illo itinere, quod cum egregio Botanico Domino WINTERL, medicinæ Doctore inſtitui *in Durrenſtain.* Provenit in ſummis ſcopulis montium petroſorum hujus loci; dein etiam invenimus in longo horum montium juxta Danubium tractu, locis orienti et meridiei pro magna parte expoſitis; imo in muris vinearum, & ædificiis huius civitatis.

Radix plerumque bifurcata, inter petrarum aut lapidum fiſſuras longe propagata, capitibus etiam ramoſis multiceps. Annoſæ ſtirpes ſublignescentia fere capita habent foliis exaridis & emarcidis veſtita, recte ut in Cheiri.

Folia radicalia ex capite ſingulo multa longe petiolata, petiolo ſupra carinato, ſubtus triangulo, cano. Hæc molliſſima modo magis lanceolata, modo magis ex elongatis ovata (utraque enim obtinent) margine criſpata, ut etiam frequenter dentata appareant, & ſint, dorſo venoſo-ſubrugoſa cano-glauca, facie magis herbacea, quod tamen variare ſolet. Folia caulina a prioribus longe recedunt, maxime quæ ſuperiori

periori poſita ſunt ſede, hæc rarius expanſa, ſed ſæpiſſime plicata, etiam fere linearia fiunt craſſiuſcula hirſutula magis & ſubaſpera; cæterum alterna ſunt.

Caulis rotundus molliter hirſutus, diverſæ altitudinis, tamen pedem non excedit in loco natali, in ſummitate plerumque ramoſus, paniculatus, ramis molliter hirſutis, quandoque etiam ramoſis. Cæterum ſcapiformis tenuis fruticis nihil habens.

Calyx coloratus flavus, villoſus, foliolis ovatis aut exactius ovatoacutis, concavis.

Petala amœne et profunde flava, unguibus vix longitudine calycis erectis, limbo horizontaliter patente profunde in cordis formam exſecto, et ipſo etiam cordiformi. Gangrena in his alba eſt.

Stamina flava ſunt, antheris ejusdem coloris polline albo foetis. Cæterum arcuata fere omnia, minoribus vero magis, denticulum baſi inſertum non vidi, ſed glandulas a latere ſtaminum minorum utrimque duas.

Silicula orbiculata fere, longo ſtylo inſtructa, non emarginata, licet ſic definiat et poſtulet LINNAEUS.

Semina orbiculata, diſco aurantio, margine alato membranaceo magis albente.

OBSERVATIO. Radices hujus plantæ minime duræ, nec frutescentes ſunt, ſed inſtar radicum aliarum plantarum antiſcorbuticarum corrumpuntur, ut in loco natali vidi & exemplaria attuli. Folia juniorum plantarum mage lanceolata ſunt, adultiorum minus, ut non recte ly *lanceolatum* definitionem ingrediatur; ſunt præterea rarius integra, dentata vero frequentiſſime. Radicum capitati & diffuſi caudices quaſi ſuffruticant, ſcapi vero tenues caulini vel ex his vel ex radicibus orti nihil præter genium aut arabis thalianæ, aut ſyſimbrii *arenoſi* habent nec differunt, ut ſi in his fruticoſa natura non perſpiciatur, intelligi non poſſit, qui in hoc noſtro alyſſo ſtatuatur. Ergo plantam non vidit LINNAEUS, dum definiret.

Alyſſum caulibus *fruteſcentibus* paniculatis, foliis *lanceolatis* molliſſimis, undulatis, *integris*.

Quæ pingit HARDUINUS folia magna & ampla ſunt, & ſimile ſpecimen habeo plantæ in muris vinearum collectæ, ſed caulis ea aut craſſi-

Digitized by Google

craſſities aut proceritas cum ramis ita paniculatis, ut in eadem figura indicatur, horti, non naturæ artificium eſt.

LUNARIA.

CHARACTER. Silicula integra, ſtylo longiſſimo ſepto proprio, valvis ovatis planiſſimis maximis.

1.) *Lunaria annua.*
Lunaria ſiliculis ſubrotundis ex C. B.
Viola lunaris I. TABER. Icon. 315.
Bulbonac annuum ſiliqua rotundiore, flore purpureo. RUP HAL. 83.

Ubique in hortis obvia, etiam alibi: an ſata?
Charactere, definitione, facile innoteſcit.

2.) *Lunaria rediviva.*
Lunaria ſiliculis oblongis ex C. B.
Viola latifolia, lunaria odorata. CLUS. *Hiſt.* I. p. 297. Icon.
Lunaria foliis cordatis *Hort.* CLIFF. p. 333.

In montanis ſylvis Auſtriæ CLUSIUS, in Valle *Breynina*, & in ſylvis circa *Neoſtadium* rarius KRAMERUS. In *Etſcheri* ſylva ego inveni.
Definitionibus diſcriminantur, Charactere ab aliis diſtinguuntur.

CAMELINA.

CHARACTER. Silicula apice integra, ſtylo & ſepto gaudens, ſed ſtylo valvis proprio.

Camelina Sativa.
Camelina (Alyſſon) foliis ſcabris ſagittatis leviter dentatis HALL. *Helv.* 537.
Alyſſon ſegetum foliis auriculatis acutis I. R. H.
Miagrum ſativum C. B. *pin.*

Inter linum in agris etiam apud nos reperitur, ut & ratio nominis confirmetur. Tum & alibi haud rara.

Definitione HALLERI, habitu hirſuto, flore luteo exiguo, obſoleto, ſiliqua cordata, tumente, cognoſcitur.

II. *Silicula*

Digitized by Google

II. *Silicula apice Emarginata.*

COCHLEARIA.

CHARACTER. Silicula apice emarginata, valvis non alatis, ſed globoſis ſcabris.

1.) *Cochlearia Officinalis.*
Cochlearia foliis radicalibus ſubrotundis, caulinis oblongis ſubſinuatis. LINN. *Spec.* I.
Cochlearia folio ſubrotundo C. B. p. 110. bene.

Ubique in hortis oleraceis.

2.) *Cochlearia Armoracia.*
Cochlearia foliis radicalibus lanceolatis crenatis, caulinis inciſis. LINN. *Spec.* 6.
Cochlearia folio cubitali. T. *inſt.* 215.
Raphanus ruſticanus craſſa radice Lappathi folio. LOB. Icon 320.

In Arvis *Minckendorff* KRAMER.
Definitionibus diſcriminantur ſatis.

CLYPEOLA.

CHARACTER. In ſilicula apice emarginata, valvis ſcutiformibus, unde generis denominatio fundatur.

Neque ab hoc genere diſtrahi *didyma* natura reclamante poteſt.

1.) *Clypeola Montana* *
Clypeola (Alyſſum) foliis punctato-echinatis. LINN.
Clypeola perennis, ſiliqua biloculari rotunda, ſtylo longiore. HAL. *Helv.* 540.
Alyſſon perenne calyce caduco. HAL. *Hort. Gotting.* 240.
Thlaſpi montanum incanum luteum. C. B. *prod.* 45. Icon.
Thlaſpi montanum luteum. I. B. II. p. 928. Icon foliis punctato echinatis commoda.

In monte *Medling*. Plurima iterum in monte thermis *Badenſibus* imminente, ut haud intelligatur in flora omiſſam.

Confunditur facile cum ſequenti. Sed in hac flos explicatus fulvus, ſtylus longior, folia punctato-echinata, vita perennis, manifeſtam differentiam ponunt.

2.) *Clypeola Alyſſoides.*
Clypeola ſiliculis tetraſpermis, calyce perſiſtente. LINN. *Hort. Gotting.* p. 323. optime.

Clypeola annua, ſiliqua biloculari emarginata, ſtylo brevi. HALL. *Helv.* 540.
Alyſſon calyce floris perſiſtente. HAL. *Hort. Gotting.* p. 240.
Alyſſum minimum. CLUS. Icon. *Hiſt.* II. p. 133.
Alyſſum incanum luteum ſerpylli folio majus. I. R. H.

In vallo *Belveder*, & alibi frequens, in ruderatis hortorum muris ad ingreſſum *Döbling* copioſa, etiam in vineis ad *Leopoldiberg*.

Definitio a præcedente ſeparat evidenter; adhæc flos vix bene explicatus, albis conſperſus maculis, cum ſtylo brevi, majorem adhuc diverſitatem facit.

OBSERVATIO. Eſſentialis nota eſt calyx perſiſtens.

3.) *Clypeola Didyma.*
Clypeola ſiliculis orbiculato-didymis, a ſtylo divergentibus. LINN.
Leucoium Alyſſoides umbellatum montanum. COLUM. p. 283. Icon 285. optima.
Thlaſpi clypeatum. CLUS. Icon nimis glabro folio.
Thlaſpi biſcutatum hieracifolium, aſperum & majus. C. B. RAII.
II. Thlaſpidium alpinum flore pallide luteo. I. R. H.

I. In montibus *Badenſibus*, *Medlingenſibus*, KRAMER. Sic & ego locis apricis, & aliis *Medlingenſium* copioſiſſime. II. In *Schneberg*, *Breyn* collegi, & diu in hortulo alui.

Folio Hieracii hirſuto, caule pene nudo, floribus umbellatis ſulphureis, ſiliquis perſpicilium referentibus cognoſcitur. II. Omnia minora, haud tamen diverſa habet.

IBERIS.

CHARACTER. Silicula apice emarginata, ſtylo & ſepto prædita, valvis alis carentibus navicularibus.

1.) *Iberis Burſa paſtoris.*
I. Iberis (Thlaſpi) ſiliculis obcordatis, foliis radicalibus pinnatifidis. LINN. *Spec.* 9.
Burſa paſtoris. BLAC. Tab. 5.
Burſa paſtoris major folio ſinuato. C. B. p. 108. &
Burſa paſtoria media, ibidem.

An varietates?

II. Iberis foliis radicalibus longe petiolatis, ovatis, integerrimis, caule aphyllo.

III. Iberis

III. Iberis foliis longe petiolatis ovatis integerrimis, caule folioſo * ſuadet HALLERUS *Helv.* p. 345. N. 6.
Burſa paſtoris folio non ſinuato, minor Monſpelienſium C. B. deſcript. I. *Prod.* p. 50.

I. Ubique frequens. II. in arenoſis locis, agris hinc inde obvia. *Folia* petiolata, petiolo lineari longiſſimo, ſcabra ovata integerrima habet.

Caulis aphyllos eſt exiguus; reliqua burſæ paſtoris. Varietas tamen hæcce adhuc ſtylum præcedenti minorem, vix multum conſpicuum capitatum habet. III. Tertia caulinis foliis prædita eſt. Siliqua Thlaſpios non alata, hinc longius cordata, a præcedentibus diſtinguitur: a ſequenti, majori emarginatione, definitione, ſiliqua magis lata.

2.) *Iberis Ruderalis.*
Iberis floribus vix conſpicuis, foliis imis multifidis, ſuperioribus linearibus integerrimis.
Naſturtium ſylveſtre oſyridis folio. C. B. p. 105.
Naſturtium anguſtifolium. FUCH. *Hiſt.* 307.
Lepidium ruderale. LINN. *Spec.* 10.
Lepidium foliis imis multifidis, ſuperioribus integris peranguſtis. HALL. *Helv.* p. 543. bene.
Iberis MATH. p. 293. II. Tab. p. 457.

Ubique ad muros, mœnia, vias, creſcit fœtiſſima planta, ut mirum ſit, omiſſam eſſe.

Definitione cognoſcitur, & diſtinguitur. Maxima eſt inter iberides, & lepidia affinitas; ſola ſilicula apice integra, vel emarginata, inter duo hæc genera diverſitatem ponit.

THLASPI.

CHARACTER. Silicula apice emarginata, ſtylo & ſepto prædita, valvis alatis.

I. *Petalis æqualibus.*

1.) *Thlaſpi Sativum.*
Thlaſpi (Lepidium) foliis varie diviſis inciſisque *Hort.* CLIFF. 331.
Naſturtium ſylveſtre vulgatum. C. B. *pin.* 103.
II. Naſturtium hortenſe criſpum. C. B. *prod.* 44. T. 43.

Digitized by Google

In foſſis ſuburbiorum Viennenſium, *Widen*, *Leopoldſtadt*. KRAM. ubi etiam legi, II. in hortis.

Charactere, & definitione cognoſcitur, ab aliis lepidiis LINN. valvis alatis diſtinguitur, ut illi neceſſe fuerit huc migrare.

2.) *Thlaſpi Arvenſe.*

Thlaſpi ſiliculis orbiculatis, foliis oblongis dentatis, glabris. LIN. *Spec.* 2.
Thlaſpi arvenſe ſiliquis latis. C. B. p. 105. I. R. H.
Thlaſpi latius. DOD. *pempt.* 712.

Ubique in arvis, & agris.

Charactere, definitione, ſiliqua latiſſima cognoſcitur, & diſtinguitur.

3.) *Thlaſpi Alliaceum* *

Thlaſpi ſiliculis ſubovatis ventricoſis, foliis oblongis obtuſis dentatis, glabris. ROY. 334.
Thlaſpi allium redolens. GESN. MOR. II. Icon. Tab. 18. Fig. 28.
Scorodo - Thlaſpi Uliſſis Aldrovandi. I. B. *hiſt.* II. p. 932.

Definitiones LINNAEI examinanti 2. 3. haud exactæ: ſed an tantopere differunt? jam dudum conjunxit HALLERUS. Cæterum tertia hæc in Collegio Thereſiano creſcit. R. P. FISCHER. S. I.

4.) *Thlaſpi perfoliatum.*

Thlaſpi ſiliculis ſubrotundis, foliis amplexicaulibus ſubſerratis. LINNAEI *Spec.* 5.
Thlaſpi oleraceum. TAB. Icon 462.
Thlaſpi foliis radicalibus ovatis, caulinis amplexicaulibus lanceolatis. GUETT. DALIB. Paris. 196.
Thlaſpi arvenſe perfoliatum majus. C. B. p. 106.

Invenitur in vineis *Nuſdorff*, *Dornbach*, aliis etiam arvis ſiccis, KRAM. Ego in meo horto, neſcio unde lectum, habeo, etiam nuper inveni in vallo prati *Simmering*.

Definitione, habitu oleraceo molli, ſubglauco innoteſcit, flos parvus calyce fere minor.

5.) *Thlaſpi Hirtum.*

Thlaſpi ſiliculis ſubrotundis piloſis, foliis caulinis ſagittatis hirſutis. LINN. *Spec.* 6.
Thlaſpi villoſum capſulis hirſutis. C. B. *prod.* Icon 212.
Thlaſpi capſulis hirſutis. I. B. II. p. 922.

Circa *Döbling*, *Grinzing*, KRAMER.

Habitus villoſus.

6. *Thlaſpi*

Digitized by Google

6.) *Thlaſpi Campeſtre.*

Thlaſpi ſiliculis ſubrotundis, foliis ſagittatis dentatis incanis. LINN. *Spec.* 7.
Thlaſpi II. TAB. 458
Thlaſpi arvenſe vaccariæ incano folio majus C. B. p. 106.
Thlaſpi vulgatius. I. B. RUP.
Thlaſpi vulgare. BLAC. Icon. 107. non ſerratum.

Circa *Viennam.* Habitus incanus.

7.) *Thlaſpi montanum.*

Thlaſpi foliis imis ſpathulatis, ſummis amplexicaulibus, ſagittatis. SAUV *Monſp.* 121.
Thlaſpi montanum II. CLUS. *Hiſt.* 2. p. 131. Icon.
Thlaſpi Badenſe ejusd. *pann.* 465.
Thlaſpi alpinum bellidis cæruleæ folio. C. B. MOR. PLV. Omnium. Ex natura foliis globulariæ T. SCHEV. bene I. B. icon bona, Cluſiana.
Thlaſpi montanum. COLUM. *Ecph.* p. 276. Icon optima. MOR. eadem.
Huic exacte ſimile exemplar ex Schneberg habeo. CLVS. figuræ ex Baden.

Inveni in *Schneberg*, *Bachsrigel*, etiam loco CLUSII in *Baden* in rimis petrarum.

Difficulter admodum ex definitionibus Clariſſimorum Botanicorum hæc planta innoteſcit; folia radicalia cuneiformia *Cl.* LINNAEUS facit, quæ nunquam reperias, licet in alpibus, hortis, examines. Cordata HALLERUS, quæ nunquam obſervavi, dixit. Folia globulariæ foliis ſimilia verius alii dicunt. An ſpathulata rem declarant? Flos in umbellam diſpoſitus, petala nivea, ſiliculæ obcordatæ gibbæ, ſpiculum in hac gente longiſſimum, perſiſtens. *Petala calyce minora* pro ſigno huic plantæ individuo LINNAEUS habet. In noſtris petala longe, & duplo majora ſunt. An de eadem, an de diverſa planta loquimur? Sed etiam petala illa magna cum ſpectabili ſtylo, icon COLUMNAE habet.

Cæterum in Thlaſpi III. Pumilo CLUSII *Hiſt.* p. 131. ordinando, adhuc major difficultas. LINNAEUS ſub *perfoliato* cogit, hunc ſecutus KRAMER. Sed utique definitioni repugnat; ſiliculam enim obcordatam cum ſtylo permanente, etiam magno, planta habet; ad varietatem *perfoliati* etiam HALLERUS revocavit. Recte CLUSIUS ſub *montano* ordinavit, cum & hæc planta, floris petala *perfoliato* longe majora habeat. Itaque

8.) *Thlaſpi alpinum.*

Thlaſpi ſiliculis obcordatis, foliis ſubdentatis: caulinis amplexicaulibus, petalis longitudine calycis, caule ſimplici. T. 5. F. I.
Thlaſpi minimum. HARD. *Animad. Botan. Spec. altero.* T. 15. F. 2.

II. Thlaſpi

II Thlaſpi III. pumilum CLUS. *Hiſt.* II. p. 131. Icon.

III. Thlaſpi motanum minus. Ejusd. deſcriptio.

An Thlaſpi alpioum repens? BURS. apud C. B. *prod.* 49. quod in Auſtria collectum. Transmiſit, non repugnat. *Vide* Tab. noſtram III. Icon. I. & certo eſſe ex C. B. *prod.* p. 49. eruo, qui jam etiam ſub montano ordinarat, natura mooſtrante viam.

Hoc alpinum magis, nobis lectum in Schneberg, copioſius vero ad pedem Wetter-kugelalpen, quæ prima Breyninarum. Ex utroque loco in Hortulo colo.

Junior planta radicem tenuem, albam, parum inflexam, mox caput attolentem, ut CLUSII figura deſignat, habet, adultior ſerpentem magis poſſidet, tum foliorum plus minusve glaucorum corona caput veſtitur, adque hæc in juniori planta ovata, haud multum petiolata, ut CLUSIUS expreſſit, in adultiori non adeo ovata, & longe magis petiolata viſuntur. Caulina modo inverſe cordata, modo ovalia magis, jam rara, jam conſertiora caulem ambientia.

Caulis plerumque ſpithama minor, rectus alias, etiam inclinatus, in terram flexus, umbella candidiſſimorum florum veſtitur.

Calyx exiguus, petala ampla, nivea non exſecta, longe calycem ſuperantia.

Siliqua prioris, ut etiam ſemen.

9.) *Thlaſpi Saxatile* * Enomeratio * Elenchus.

Thlaſpi ſiliculis ſubrotundis; foliis lanceolato-linearibus carnoſis.

Thlaſpi ſiliculis ſubrotundis foliis lanceolato-obtuſis integerrimis carnoſis. GERARD bene, ſed tamen lanceolato obtuſis male.

Lepidium foliis pulpoſis ſubrotundis, antheris lateralibus. HALL. *Goett.* deſcriptio bona.

Thlaſpi paruum ſaxatile flore rubente. C. B. *pin.* MOR. II. T. 18. S. 3. F. 29. commoda.

Lithonthlaſpi quartum carnoſo rotundo folio. COLUM. *Ecph.* I. 279. T. 277. F. 2.

In montibus alpium *Breyninarum* ſaxoſis.

Radix alba horizonti ſere parallela parum fibroſa, inferius bifida, plures emittit quotannis, reliquis emarcidis, caudices.

Caules ex ſummo capite egreſſi, inferius rubentes, nudi, ſuperius glauci ſubrecti, folioſi, ſæpe ramoſi.

Folia

Folia inferius conferta radicalia, curto petiolo fere ſeſſilia: caulina elliptico-lanceolata alterna, linearia omnia, carnoſa, integra, glauca ſeſſilia, ex facili delabuntur, ut ob hanc rationem ipſe ſæpe longe nudus conſpiciatur caulis.

Calyx exiguus foliolis quatuor æqualibus factus, quorum apices colorati ſunt.

Flores ſpicati petalis quatuor exiguis albis calycem ſuperantibus.

Silicula ſubrotunda apice emarginata Thlaſpeos.

OBSERVATIO. Hæc una illarum plantarum fuit, quarum delineationem in Faſciculo II. Stirpium Auſtriacarum promiſeram, cum vero illius commodam ſatis iconem dederint alii, quam vix ex alpibus allatam delineaverat plantam Dominus CIPPS, omiſi.

II. *Petalis inæqualibus, exterioribus majoribus.*

10) *Thlaſpi umbellatum.*

Thlaſpi (Iberis) foliis lanceolatis acuminatis, inferioribus ſerratis, ſuperioribus integerrimis. LINN. *Spec.* 5.
Thlaſpi umbellatum creticum iberidis folio. C. B. p. 106.
Thlaſpi Candiæ. DOD. *pempt.* 713.
Thlaſpidium creticum. RIVINI RUP. *Jen.* 271.

Plerumque in hortis, raro in incultis.

11. *Thlaſpi amarum.*

Thlaſpi (Iberis) foliis ſurſum lateſcentibus dentatis HAL. *Helv.* 543.
Thlaſpi umbellatum arvenſe amarum I. R. H. TAB. 462. BOBRH. II. p. 7.
Thlaſpi umbellatum arvenſe iberidis folio. C. B. p. 106.
Thlaſpidium folio iberidis RIV. *Tetr.* 112.

In agris inter *Weinhaus*, & *Hernals* KRAMER.

Cognoſcuntur Charactere, a ſociis diſtinguuntur diviſione, a ſe invicem amaritie, & definitione.

ANTISCORBUTICAE SILIQUOSAE.

I. *Calyce plus minusve longitudinaliter connivente.*

DENTARIA.

CHARACTER. Siliqua toroſa bilocularis, valvis ab inferiori parte ſurſum ſe revolventibus, ſtylo longo, ſtigmate emarginato. Diſtinguitur facile a Cardamine, cum qua ob valvarum impatientiam conjungeretur; ab aliis, quibus miſceri poſſet, ob florum ſimilitudinem.

1.) *Dentaria Enneaphyllos.*
Dentaria foliis omnibus ternatis *van* ROYEN 340.
Dentaria triphyllos. CLVS. icon. *Hiſt.* p. CXXI. c. B. I. B.
Dentaria foliis ternis ternatis. L.

In umbroſis Auſtriæ ſylvis CLUSIUS. Supra *Grinzing* KRAMER. In *Gans* ego legi.

Definitione diſcriminatur a ſequentibus, ab aliis ſiliquoſis Charactere diſtinguitur.

2.) *Dentaria Bulbifera.*
Dentaria foliis inferioribus pinnatis, ſummis ſimplicibus. LIN. HALL. ROYEN.
Dentaria baccifera. CLVS. RAII.
Dentaria IV. baccifera CLUS. *Hiſt.* 2. p. 121.
Dentaria ſeptifolia. TAB. 114.

Cum priore invenitur, cæterum & alibi multo frequentior.
Septifolia, baccifera, definitione cognoſcitur.

3.) *Dentaria pentaphyllos* *
Dentaria foliis quinatis. HALL. *Helv.* 556.
Dentaria foliis ſumme digitatis. LIN.
Dentaria VII. pentaphyllos II. CLUS. 2. *Hiſt.* p. 123. icon.
Dentaria pentaphyllos foliis aſperis. I. R. H. Coralloides I. quinquefolia I. B. II. p. 900.

In ſylvis alpinis *Dixenſtein*: in definitione differentia eſt.

ERY-

ERYSIMUM.

CHARACTERIS eſſentia in ſiliqua matura quadrangula vertitur.

OBSERVATIO. Cum cheirantho & aliis facile confundi poteſt, quarum immatura ſiliqua toroſe quadrangularis, matura magis compreſſa, non amplius tetraëdra. Sed jam in floribus magna differentia eſt, ut etiam in calyce; flos in cheirantho plerumque ſpecioſior, major, calyx longior; excipe eryſimum *pannonicum*, quod multa cheiranthi habet.

1.) *Eryſimum perfoliatum* * Enumeratio.
Eryſimum foliis cordatis amplexicaulibus glabris.
Braſſica campeſtris I. CLUS. II. p. 127. *cum icone ſiliquæ quadrangulae & deſcriptione.*
Braſſica orientalis perfoliata, flore albo, ſiliqua quadrangula. TOUR. *bonum nomen.*
Braſſica campeſtris perfoliata, flore albo C. B. *pin.*

In arvis Viennenſis agri CLUSIUS. In foſſa valli ſuburbii Viennenſis, tum ad Noſocomium St. *Marci*, & hinc inde in Arvis KRAMER; inter ſegetes Ego inveni.

Jam olim monueram plantam hanc cum Braſſicis pugnantem Charactere debere ad aliud genus reduci.

Differt a Braſſica campeſtri habitu magis diffuſo, qui alteri virgatus ſit, flore albo, qui in alia flavus, ſiliqua perpetuo quadrangula, longa, quæ alteri alia ſit; nam nunc per quinque annos obſervavi conſtanter teretem, cylindraceam, laxam, in exſiccatis rugoſo-venoſam cum cornu molli, fiſtuloſo.

2.) *Eryſimum Alliaria.*
Eryſimum foliis cordatis.
Alliaria FUCH. C. B. CAM. DODON.
Heſperis allium redolens TOUR. MOR.

In *Döbling*, *Dornbach*, *Schönbrun*, *Auu*, *Brader*.

Flore albo, folio cordato retuſo herbaceo diſcriminatur.

Caulis e radice duriuſcula, lignea fere emergens, ſtatim profunde purpuraſcit, villo etiam, quem in ſummitate amittat, obducitur, leniter anguloſus.

Digitized by Google

Petioli foliorum ſtricti, erecti, longi, ſæpe colorati, & infimi pariter hirſuti.

Folia cordata, retuſa, herbacea, admodum venoſa, & quaſi rugoſa, ſerrata.

Calyx vix gibberus, exalbidus.

Corolla parva, nivea, patens.

Stigma collo ſtrangulato.

Diſcus glanduloſus, cui omnia ſtamina inſiſtant, exactius vero glandulæ duæ ſunt fulcientes ſtamina majora, inter hæc & corollam; et duæ ſunt ſcutellatæ, quæ tamen cum prioribus junctæ coronam glanduloſam faciant.

3.) *Eryſimum Cheiranthoides.*
Eryſimum (Siſymbrium) foliis integris oblongis ſubaſperis. HALL. *Helv. ex natura.*
Eryſimum foliis integris lanceolatis L.
Turritis leucoii folio. TOUR.
Camelina miagrum alterum Thlaſpi effigie LOB. *icon commoda.* MOR. *eadem.*
Eruca anguſtifolia auſtriaca C. B.
Miagro affinis planta ſiliquis oblongis I. B. II. p. 894. Icon priorum.

Trans *Alſterbach*, *Waringergaſſen*, KRAMER. Via ad *Nusdorff*, & aliis locis, copioſiſſime vero in ea valli ſuburbici parte, quæ Collegio Thereſiano ſubjacet, inveni, tum & in vallo ſuburbico *Belveder*, *Turkenſchantz*, &c.

Annuæ plantæ caules ex radice perpendiculari, alba, longiſſima, ſæpe ramoſi, ad radicem exalbidi, cæterum rigidi, licet tenues, ſubaſperi, ex nigro maculati, cinerei, recti.

Folia radicalia brevi exarida, omnia vix lineam ſuperantia Roriſmarini forma, canaliculata, ſubaſpera.

Calyx coloris, ac caulis ejusdem, magis tamen glaucus, leucoii exalbidus.

Flos amœnus non magnus, ex viridi flavus, vix odoratus.

Glandulæ multæ, denticuli ad ſtamina majora.

Siliqua Eryſimi.

Planta recta & exſucca eſt.

4.) *Eryſimum Pannonicum.*
Eryſimum foliis lanceolatis dentatis, flore ſpecioſo cheiranthi.

Leucoium

Leucoium luteum ſylveſtre Pannonicum ſerrato folio obtuſo, & acuto, quod ex Auſtria AGGERIUS attulit I. B. p. 873. bene. Icon itidem bona.
Cheiranthus foliis lanceolatis dentatis, caule recto, ſiliquis tetragonis. L. *Spec.* I. non vero ſynonima, quae aliena ſunt.
Heſperis leucoii folio ſerrato, ſiliqua quadrangula. I. R. H. HALL. *Helv.* Icon. Tab. V. pulchra.
Quid Leucoium luteum ſylveſtre hieracifolium. C. B. *prod.* 102? Eryſimum hieracifolium LINNAEI. Cent. I. p. 279? Explicatio C. B. ſynonima LINNAEI, cum vita perenni; Nota HALLERI in RUP. nec hoc, nec eryſimum ramoſiſſimum eſſe ſinunt.

Creſcit in Montibus *Badenſibus*, illo thermis imminente magna quantitate, etiam in *Kaltenberg*, *Leopoldsberg*, & alibi, annua.

Radix alba lignea, angulo recto horizonti parallela, ſolitarium ſemper emittit caulem, craſſum, ſtriatum, rectum, ſæpe ſuperius paniculatum, multo ſemper folio veſtitum.

Sunt autem folia ex tenuiori principio latiora, dentibus ex adverſa parte ſibi fere reſpondentibus inſtructa, in fine obtuſa magis, ut in acumen tamen deſinant; ad radicem ex atro purpuraſcentia, brevi exarida ſubſcabra, licet & hinc inde minus ob alias cauſas aſpera ſint, omnia viridia.

Calyx cheiranthi compreſſus coloratus, apice viridis, foliolis duobus apice, duobus aliis baſi, gibbis.

Petala ſubrotunda calyce minora, dum ungues eodem majores.

Flos leniter, cheirantho ſylveſtri minus, odoratus, ſed æque ac hic ſpecioſus.

Glandularum, ut vocant, agmen.

Siliqua quadrangula cauli parallela; alia dein dicentur.

5.) *Eryſimum ramoſiſſimum.*
Eryſimum ramoſiſſimum, patens, diffuſum.
Eryſimum caule flexuoſo ramoſiſſimo, ſiliqua longiſſima incurva.
An Heſperis ſylveſtris parvo flore. C. B. *prod.* p. 103. Sed flores ſubcæruleos facit, qui in noſtra flavi ſunt.
Heſperis caule ramoſiſſimo, foliis lanceolatis, ſæpius dentatis. L. *Hort. Cliff.* non alis definitio aptior, ſed ſynonima expungenda ſunt, quod jam ROYENUS fecit.
An Heſperis leucoii folio ſerrato, ſiliqua quadrangula. TOURN.?

Creſcit alibi tum in vallo ſuburbico annua planta, maxima vero quantitate, ut etiam ambulanti incommoda circa arenarias, retro Collegium

Digitized by Google

gium *Thereſianum;* tum inter ſegetes ad ſylvulam *Simmering*, inter ſegetes *Farenfeld*, *Lerchenfeld* abundantiſſime.

Caulis angulofus vix multum ſcaber, ramoſus magis, quam folioſus, vix rectus, in diverſas partes inflexus, ramis, ut in Eryngio vulgari, patentibus diffuſis, angulofis, ex ſpithama pedem unum cum dimidio albus eſt.

Folia lanceolata, dentata, nervo carinata, pro altitudine plantæ quandoque majora, molliter ſcabra, dum priori duriora & quaſi ſicciora ſunt. Sed etiam hæc aliquando ſicca ſunt.

Calyx non gibbus tenuis: foliolis oblongis, erectis, linearibus flavis, albentibus, ut pedunculi hiſpidis.

Petala unguibus filiformibus longis albidis nixa, limbum flavum non ſpecioſum habent, ſæpe non magis quam in turritide patentem, alias tamen opertum.

Siliqua quadrangula inter congeneres longiſſima gracilis incurva ſtatim ex flore incaneſcens, dein vero pulverulenter viridis, vix non ad angulos rectos orta.

Plantam hanc operoſe admodum eruo: in primis ſpeciebus LINNAEUS non habuerat, & auſtriorum ſcriptorum primus deſcripſi. Definitio horti Cliffortiani, quam ROYENUS ſervavit, exacte plantæ noſtræ convenit, ſynonima vero minus, quæ etiam modo laudatus ROYENUS omiſit, ſed Hortus Upſalienſis nova iterum, & diverſiſſima prioribus ſynonima admittit, & ſiliquas teretes facit, quæ tamen in noſtra exacte tetraëdræ ſunt. Tum noſtrates hanc plantam cheiranthum eryſimoidem L. faciunt, ita hanc hoc nomine & Elenchus & Enumeratio propoſuit, ſed & LINNAEI definitio, & ſynonima repugnant. Definitio quidem, quod caulis rectitudo minus ſane huic, quam priori competat, tum ſecundo quod flos Cheiranthi Eryſimoidis L. juxta Ejus obſervationem in *Horto Upſalienſi* præſertim, major Eryſimo Cheiranthoidi dicatur, cujus contrarium in hac manifeſtum ſit. Ut igitur duæ hæ plantæ ſedi reſtitutæ ſint, & Eryſimum noſtrum *pannonicum* ſit Cheiranthus *Eryſimoides* LINNAEI, cui omnia præter ſynonima conſentiunt, & Eryſimum *ramoſiſſimum* noſtrum, non ſit clare ſcriptum, nec in ipſo novo ſyſtemate naturæ, ni demum ſit *Hieracifolium* aut *repandum*, quod ne divinari quidem poſſet.

Repan-

Digitized by Google

Repandum quidem, ubi in Auſtria creſcere monueram, dein in parte *obſervationum Botan.* ſecunda dixit JACQUINIUS nulla vel definitionis, vel deſcriptionis LINNEANAE ſimilitudine, cum flores et ſiliquas, racemoſas & filiformes exigat, quæ noſtræ plantæ per novam creationem ſolum concedi poſſint.

Cæterum tamen plantæ quæ ob folia lanceolata dentata confundi merito potuiſſent, facile ſequentibus notis diſtinguuntur. Caulis Eryſimi *ramoſiſſimi* non adeo rectus, ſed diffuſo-expanſus, non altus, nodoſus, inæqualis, magis flexuoſus, ramoſiſſimus, patens; *Pannonici* rectus, multum folioſus, ſimplex plerumque, ſolo lætiori paniculatus. Folia *Ramoſiſſimi* exactius lanceolata, *Pannonici* ex anguſto principio lateſcentia, dein obtuſa, in acumen citius terminata. Flos in *Ramoſiſſimo* exiguus caryophyllæus, non odoratus, nec ſpecioſus. Siliqua in hoc tenuis longiſſima, non columnaris, in altero brevior, & ſtrictior, cauli parallela. Glandularum minutiæ nunc obſervatæ differentiam non ſolum inter has duas plantas ponunt ſpeciei, ſed etiam generis, nam prius *pannonicum* inter ſtamina majora & calycem duas habet confluentes latas bicornes quaſi, *Ramoſiſſimum* ibi nullas habet; ſed his etiam miſſis et perpenſis notis Characteriſticis quibus Cheiranthus *Eryſimoides* plures Eryſimi quam Cheiranthi habet dotes, ideo hic ſcribi debuit & diſtingui.

HESPERIS.

CHARACTER. Calyx Cheiranthi, ſed clauſus nec compreſſus, etiam petala floris, ſed teneriora longe, & obliqua. Siliqua ne in initio quidem quadrangula, nunquam cineracea. Semina non marginata, in ſepto fungoſo nidulantia. His notis a Cheirantho dignoſcitur, cum quo ſolum ob ſimilitudinem ſpecioſorum florum confundi poteſt.

1.) *Heſperis Triſtis.*
Heſperis caule piloſo, ramoſo, patente, valvis ſiliquæ anguſtioribus.
Heſperis pedunculis & ſiliquis enſiformibus, longiſſimis.
Heſperis 1. CLUS. *Hiſt.* I. p. 296. Icon vera.

Heſperis

Heſperis obſoleto flore. CLUS. *deſcript.* bonum nomen, Linnæana definitione longe melius.
Heſperis colore ineleganti I. B. ex CLUS.
Heſperis pannonica CAMM. *Hort.* T. XVIII. vero floris colore, optime.
Heſperis montana pallida odoratiſſima C. B. TOURN. bonum nomen.

In Prellenberg CLUSIUS; inter frutices circa Leytæ pontum, Fiſchamentam, Hamburgum, ut & in vallo ſuburbico Belveder, KRAMER. Ego & in ultimo loco, & in prato Simmering, tum Kaltenberg, ultimo ſatis copioſe in Mödling in aſcenſu montis.

Definitione, odore vehementi ad noctem, tum petalorum venis atro purpureis diſtinguitur. *Cl.* HALLERO, quod venas CLUSIANAS nunquam viderit, ſpecimen ſiccatum vel ſemina mittenda. Diſtinctiſſima eſt a ſequentibus.

Etiam nunc rebus omnibus bene penſitatis addo

Heſperia Syriaca CAM. Hort. p. 74. icon. p. XIX. & icon. XX. nec ipſe diſſentit CAMERARIUS.
Heſperis caule hiſpido, ramoſo, patente LIN.? definitione nihil indigitante.

Siliquæ fere ſpithameæ nodoſo-enſiformes, deflexæ, implexæ ſ. ſeſe decuſſantes, ut CAMERARIUS bene expreſſit, cum cornu complanato enſiformi.

2.) *Heſperis Sylveſtris.* *

Heſperia cau'e ſubhiſpido erecto, valvis latitudine ſiliquæ.
Heſperis altera pannonica, inodora, ſylveſtris. CLUS. *pann.* 333.
Heſperis III. CLUS. *Hiſt.* I. p. 296. Icon mala.
Heſperis ſylveſtris inodora. HALL. ad RUP. p. 78. Icon elegantiſſima, petalorum bracteæ in noſtra non adeo latæ, nec acuminatæ.
Heſperis ſylveſtris inodora. C. B. I. R. H.
An Heſperia ſibirica LINNAEI? non videtur, & noſtra annua eſt, & ſuæ ſibiricæ, nec ſynonima CLUSII, nec illa HALLERI convenire, facile perſpexit LINNAEUS, quod nulla addiderit. An caulis in ſibirica ſubhiſpidus? non meminit in deſcriptione LINNAEUS, hanc pro ſibirica propoſuit enumeratio.

Prima vice in aſcenſu inter *Kaltenberg* & *Leopoldsberg* legi ſatis raram, 1758. & nunc adhuc hoc anno 1767. dein vero integrum pratum, quod dirutæ arci *Mödling* ſubjacet, totum conſitum inveni.

Plantæ difficillimæ quam inter modernos ſcriptores excitaverat & primus vindicaverat HALLERUS in RUPP. neglexerat & omiſerat LINNAEUS, cum

cum *ſibirica* confuderat Enumeratio, expedienda exactior hiſtoria eſt, ut de illa ſemel indubitate conſtet.

1) Planta annua eſt non biennis conſtanti experimento, licet ex ſuſpicione ſimplici affirmet LINNAEUS.

2) Caule eſt ſimplici in aridis ſylvarum cæduarum locis proveniens, ramoſo in fertiliori, ut in loco natali nunc iterum confirmavi, in hortis ſoli expoſita, ut & in umbra poſita lætiſſime creſcit admodum ramoſa, & brachiata fere.

3) Calyces in utroque loco aut viridi-exalbeſcentes aut cæruleo-purpurei, plerumque colorati, ut delere in obſervatione adjecta neſcio unde coepta LINNAEUS poſſit *calyces non coloratos*. Reliquæ differentiæ ex hiſtoria melius patebunt.

Deſcriptio plantæ collectæ heri 17 Iunii 1767 cum Domino doctore WINTERL in loco *Caltenberg* ante 5 annos indicato.

Radix ſimplex alba.

Caulis unicus ſimpliciſſimus, tenuis, rotundus, viridis, albo villo obſitus, pedem cum dimidio altus, rectus.

Folia in caule conferta, ſeſſilia omnia lanceolato-acuminata, baſi in nonnullis transverſa, in aliis non ita, ſed angulis rotundioribus, ad latera baſeos dentata ſerrata confertius, ſuperne minus, mollia utraque pagina, licet inferiori magis villoſa.

Pedunculi tenues, longi, villoſi, erecti tamen.

Calyx nondum expanſi floris viridis aut albidus, florentis conſtanter coloratus, violaceus, purpureus, erectus, connivens æqualis ſatis, in apicibus barbatus.

Corolla violaceo-purpurea unguibus calycem longe ſuperantibus limbo non adeo lato patente.

Stamina fere unguium longitudine.

Scutellulæ duæ tuberoſæ pro ſtaminibus minoribus.

Altera ad *Mödling* inventa ramoſa ſunt HALLERI iconi ſimillima, pedes duos cum dimidio alta.

Tertiam nunc, quæ ſingulis annis ex deciduo ſemine, ut etiam mihi moleſta ſit & ſæpe eradicari debeat, creſcit, deſcribam.

Radix annuæ plantæ alba ramoſa fibroſa.

Digitized by Google

Caulis unicus frequentiſſime, aliquando tamen plures, non adeo craſſæ plantæ calami ſcriptoris craſſitie & hic vegetus, inferne hiſpidus eſt villo rigidulo pungente inſtructus, fiſtuloſus, craſſioris & altioris pollicem craſſus, non compreſſilis inter digitos, ut prior, ſed durus uterque folioſus ſubpinguis villo plurimo fœtus, tota longitudine ſæpe ramoſus eſt, craſſior hominis fere ſtaturam aſſequens, ramis erectis paniculatisque & folioſis.

Folia ima varia, craſſis petiolis nixa, donec tandem ſeſſilia fiant, modo anguſtata & lanceolata baſi multum ſerrata & valide; ut etiam laciniata videantur, modo non adeo inciſa, in nulla varietate haſtata; cæterum ſunt dentes foliorum margini innati & quaſi in arcus facti, exſectique.

Folia, quæ *ramis* ſupponuntur, ut & ramea alia baſi exſecta ſunt, unde etiam quaſi auriculata ſunt auriculis obtuſis valide dentatis, caules & ramos amplexantibus; hæc cordato-lanceolata ſunt, ſunt etiam alia, quæ aliter ſe adhuc habent, licet in genere dici poſſit ſubpinguia, molliter hiſpida eſſe, longiſſima, ſerrata, ciliata, villo depreſſo inſtructa, adulta mucorem quaſi contrahere, quo etiam immunis caulis non ſit, ut Arabis noſtra *umbroſa*, tum in fine dentibus carere.

Rami ut dixi paniculati, diffuſi, naturæ caulis ſunt.

Pedunculi ſatis longi villoſi patentes.

Flores pallide cærulei, ſæpe etiam purpurei, odori, ſylveſtre aliquot non mihi explicabile aroma habentes.

Calyx pro plantæ ſoli aut umbræ expoſitione varii coloris, viridis, albeſcens, roſeus, in ſole purpureus ſit, uterque villoſus, ſed in apicibus calycinis quaſi faſciculatim piloſus, clauſus non patens, nec unguium petalorum longitudine. Nota pilorum antea deſcriptos faſciculos pulcherrime in flore adhuc calycinis foliolis clauſo videri.

Corolla cruciformis, ſpecioſa ſatis, unguibus ex viridi albentibus aut albidis petalis umbilico aut in apicibus fere ſemper magis purpureis, tum ſupra tum infra, limbis obtuſis; cæterum ſunt leniter venoſa nervo medio ſæpe non tamen ſemper purpureo petala, & jam olim dixi colore ex albo-violaceo, ex albo-ceruleo, aut rubro variare.

Siliqua utrinque eadem ſi longitudinem ſpernis & ſemina.

Stamina in umbilico petalorum videntur, non exſtant, Antheræ ſagittatæ ſunt virides polline flavo. Glan-

Glandulæ ſcutellatæ duæ cum tubere inter ſtamina minora & piſtillum, diſcus glandulosus non viſibilis niſi ejectis petalis & ſtaminibus, pro utrisque.

OBSERVATIO inodoram ſemper habui hanc plantam, ſed nunc de induſtria inquirens odoram inveni ad ſolis occaſum, ſub nullo ſtatu cum matronali confundi poteſt, licet innuat LINNAEUS.

3.) *Heſperis Matronalis.*
Heſperis caule ſimplici erecto, petalis mucrone emarginatis. L.
Heſperis hortenſis. C. B. *pin.* 202
Viola matronalis. DOD. *pempt.* 161.

In hortis omnibus frequens, vario flore, etiam albiſſimo.

Diſcrimina dicta ſunt.

TURRITIS.

CHARACTER. Petala inter ſiliquoſas anguſtiſſima erecta alba; pedunculi cauli paralleli, ſiliquæ plantæ tenues, vel ad caulem erectæ, in pyramidem poſitæ, vel ab eo pendulæ. Anguſtia petalorum, horum rectitudine, ab omnibus diſcriminatur: etiam ſiliqua tenui, plana, ad caulem in pyramidem recta, vel pendula.

1.) *Turritis hirſuta.*
Turritis foliis aſperis dentatis, caule plerumque ſimplici. HALL. *Helv.* 564.
Turritis foliis omnibus dentatis hiſpidis, alternis amplexicaulibus. *Hort. CLIFF.* 339. SEGU. I. p. 384.
Eryſimo ſimilis hirſuta, non laciniata alba. C. B. *prod.* 42. icon, in MATH. icon, nulla exquiſita.

Ubique obvia tam aridis quam herbidis locis, inveni in Horto Principis *Schwartzenburg*, *Belveder*, gramineis locis, *Döbling*, *Dornbach*, *Leopoldsberg*, & monte Badenſibus thermis imminente, ſolo arido.

In glandulis, unde nonnulli definire volunt, maxima confuſio, dum ſtamen quodque minus ex cavo glandulæ enaſcitur, & eminentiam utriusque etiam inter ſtamina maxima proxima conſpicuam efficit. Facile noſcitur foliis ad terram confertis, in orbem poſitis, aſperis, denticula-

Digitized by Google

tis pro altitudine caulis exiguis, caule terreti, ancipiti, longo, foliis diſſitis manifeſtius dentatis, ſeſſilibus, non amplexicaulibus, calycis apicibus ſæpe ſphacelatis, ſiliquis junioribus nigricantibus in plantis macris aut ſoli expoſitis.

2.) *Turritis glabra.* *

Turritis foliis radicalibus cichoraceis hiſpidis, caulinis integerrimis glabris, ex C. B. MOR. unde etiam LINNAEUS.

Glaſtifolia cichoroides, I. B. bona definitio.

Turritis ſylveſtris foliis circa radicem cichoraceis, cæteris perfoliatæ I. R. H. bene.

An Turritis foliis caulem ambientibus polyceration; BOCCON *Muſ.* T. XLI.? non dubito.

Sylvoſis locis *Gans*, etiam *Kaltenberg*, & nuper non parce in dumeto ſylvulæ *Simmering*, etiam in *Gatterholtz*.

Definitio ſatis diſcriminat, eſt tamen ubi turritidis hirſutæ ex ſemine creſcentis radicalia folia autumno ſæpe manifeſtius cichoracea, difficultatem injiciant, & hujus turritidis *glabræ* in ſiliquas jam abeuntis folia radicalia non adeo, prioribus cichoraceis emarcidis, & novis ſuccreſcentibus, cichoracea conſpiciantur. Cæterum inter haſce differentiæ aliæ evidentiores ſunt. *Glabra* folia caulina glabra habet, non piloſa, ſed ut Glaſtum vel Thlaſpi perfoliatum, aut Braſſica campeſtris, mollia, glauca, ſplendentia. *Hirſuta* piloſa, triſte viridia, aſpera, dentata. Caulis *glabræ*, glaber glaucus, *hirſutæ* hirſutus, ſæpe ex nigro purpuraſcens dum ſoli expoſitus, *glabræ* habitus Braſſicæ eſt, *hirſutæ* alterius longe claſſis, ut etiam priorem multi Braſſicam dictante analogia dixerint, alteram Turritidem.

Ab Arabi *umbroſa*, cum qua etiam confuſas has plantas invenio, facile diſcriminantur ambæ. Et quidem Turritis *hirſuta* folia radicalia habet in orbem fuſa, lingulata, ſerrata, quandoque cichoracea aſpera, hirſuta, Arabis *umbroſa* longe petiolata, in fine ovata, ſerrata, caneſcentia; *hirſutæ* folia caulina ſeſſilia, ovato-oblonga, dentata, triſte viridia, aſpera, Arabis *umbroſæ* amplexicaulia lingulata. In *hirſuta* petala floris recta, ſiliqua recta, cauli parallela, anguſtiſſima, in Arabi *umbroſa* petala floris Arabis, majora, ochroleuca, ſiliqua pendula, latiſſima, longiſſima. Diſtinguitur a Turritide *glabra* Arabis *umbroſa*, quod Turritis glabra ſit, alia pilis incana &c.

RAPHA-

Digitized by Google

RAPHANUS.

CHARACTER. Calyx connivens. Flos heſperidum fere ſpecioſus. Siliqua toroſa, ſubarticulata, teres, cornuta. Habitus hiſpidus.

1.) *Raphanus Sativus.*
I. Raphanus ſiliqua biloculari.
Raphanus minor oblongus C. B. p. 96.
Raphanus major orbicularis, ſeu rotundus C. B. p. 96.
II. Raphanus niger. EIUSDEM.

Ubique in hortis oleraceis.

2.) *Raphanus Raphaniſtrum.*
Raphanus ſiliqua uniloculari articulata.
I. Rapiſtrum flore albo. GESN.
II. Rapiſtrum arvenſe flore luteo. I. R. H.
III. Rapiſtrum purpureum. TAB. p. 407.
Rapiſtrum ſegetum flore purpureo, aut dilute violaceo. VAILL. p. 171.
Rapiſtrum flore albo lineis nigris depicto. RAII. p. 807. bene.

In arvis abunde etiam cum his varietatibus. Variat multum color floris. Tota planta hirſuta aſpera

Calyx coloratus, leviter compreſſus, hiſpidus, unguibus petalorum minor.

Flos venis variegatus.

Glandulæ non quatuor: inter ſtamina majora, & calycem non invenio.

Siliqua lævis, intorta, colorata ſæpe.

BRASSICA.

CHARACTER. Calyx erectus, ſiliqua teretiuſcula, bilocularis, bivalvis, valvæ diſſepimento breviores. Semina globoſa.

1.) *Braſica perfoliata.*
Braſſica caule ramisque virgatis; tenuibus; foliis cordatis amplexicaulibus glabris.
Braſſica campeſtris perfoliata, flore luteo LOES. pruſſ. 29.

In Inſula *Geimanniana* KRAMER, etiam in arvis, ad vias *Lieſingmauer* & inveni.

Siliqua conico-turgidula.

2.) *Braſſica Napus.*
Braſſica radice cauleſcente, fuſiformi. L.
Napus ſativa, & ſylveſtris. C. B.

In agris, & hortis oleraceis.

3.) *Braſſica Rapa.*
Braſſica radice cauleſcente, orbiculari depreſſa L.
Rapa ſativa rotunda C. B. p. 89.
Rapum. CAM.

In arvis.

4.) *Braſſica oleracea.*
Braſſica radice cauleſcente, tereti L.
II. Braſſica alba, vel viridis C. B.
III. Braſſica capitata, alba. C. B.
IV. Braſſica capitata, rubra. C. B.
V. Braſſica laciniata rubra C. B.
VI. Braſſica cauliflora C. B. *pin.*
VII. Braſſica caulo-rapa. I. B.
VIII. Braſſica radice napiformi. TOURN. 219.

5.) *Braſſica erucaſtrum.*
Braſſica foliis dentato pinnatis, caule hirſuto, ſiliquis lævibus. LIN.
Eruca ſylveſtris major lutea, caule aſpero. C. B. p. 96.
Eruca ſativa. FUCH. 262.

In prato *Murobacenſi* KRAMER, in vineis thermis *Badenſibus* imminentibus ego inveni, etiam nuper ad ſiniſtram viæ *Nusdorff* ad muros, ruderata frequens per totam Auſtriam.

Radix ſerpens, ſæpius diviſa, alba.

Caulis magna parte nudus, virgatus, procumbens.

Flos magnus flavus.

Siliqua toroſa, ſtricta, ex atro purpuraſcens, ita in meis.

6.) *Braſſica eruca* *
Braſſica foliis lyratis, caule hirſuto, ſiliquis glabris.
Eruca latifolia alba. C. B. p. 98
Sinapi alterum genus. FUCH. 539.

In hortis oleraceis.

II. *Calyce plus minusve ſuperne hiante.*

ARABIS.

CHARACTER. Siliqua laxe diſpoſita, lata, plurima. Calyx patens, ſæpe coloratus, gibbus; petalorum bracteæ

Digitized by Google

bracteæ in noſtris ſatis amplæ, etiam patulæ, quibus notis a Turritide Arabes diſtinguuntur omnes, adhæc ſiliquæ vagæ non Turritidis; a Dentaria, a Cardamine, valvis infirmis in triangulum ſolum ſolutis, eſſentialiter differt.

1.) *Arabis alpina.* *

Arabis foliis amplexicaulibus dentatis, caule diffuſo ramoſo.

I. Draba II. CLUS. *Hiſt.* 2. p. 125 icon exacta, deſcriptio optima.

An Heſperis alpina, ſeu muralis minor repens. I. B.? p. 880. icon mala.

Leucoium vernum perenne album majus. I. R. H. BOERH.

II. Arabis foliis amplexicaulibus dentatis, caule erecto ſimplici, ROY. 338. HALL. *Helv.* 561.

Draba III. CLUS. Icon non bona.

Draba III ſucculento folio. CLUS. *deſcript.*

Heſperis alpina, ſ. Murariæ affinis Draba ſucculenta. I. B. II. p. 880. ex CLUS.

Leucoium perenne vernum album minus. I. R. H.

Quam in Tauro monte CLUSIUS, ego omnium primo in *Gans* ad exſtructas in his alpibus *Ill.* Comitis ab HOIOS venatorias ædes reperi, tum etiam juxta rupes, ſylvam ejusdem loci, dein in *Schneberg*. II. Varietatem in declivi montis *Hernalben* ſupra *Zeehoff* villam cœnobii Gamingenſis CLUSIUS, in alpe *Breyn*, *Schneberg*, KRAMER. Ego in *Schneberg*, Etſcher, Breyn. Tanta tamen in his diverſitas non eſt, ut multi faciunt.

Folia pulpoſa utrique ſunt, etiam dentata; caule ſimplici & ramoſo maxime variant.

Flos niveus, calyx laxus, patens, margine coloratus, leviter hiſpidus.

Petala ex virideſcente ungue in limbum rotundum niveum terminantur, qui vel erectus, ſæpius planus ſit.

Stamina calyce majora.

Antheræ flavæ.

Tertiam varietatem inveni in *Schneberg*, habeo in horto vivo & ſicco.

2.) *Arabis Thaliana* Tab. III. F. 2.

Arabis foliis radicalibus petiolatis lanceolatis, partim integris, partim dentatis.

Arabis foliis radicalibus variis, caulinis lanceolatis, ellipticis, integris.

Piloſella

Piloſella ſiliquata minor. THAL. p. 84. icon VII. n. d. mala, deſcriptio p. 84. optima.

Burſa paſtoris ſeu piloſella ſiliquoſa. I. B. II. p. 870. icon, nec hæc noſtris ſpeciminibus conveniens, licet innuat HALLERUS, & laudet.

Draba anguſtifolia I. BARR. icon 269. minima II. Media EIUSD.
Anguſtifolia major; icon 270. ſuad. HALL. auſtriacis non conferendæ, nec folia bene, flores omnino minores ſunt.

An Heſperis alpina minor flore albo ſiliquis longis? RAII. ſylloge *extern.* p. 296. omnino, nec varietas prioris Nro. I.

In Rupibus *Mödling* inter ſaxorum fiſſuras radice tenui alba, valde ramoſa, demerſam primo inveni, tum tota illorum montium catena, maxime vero in ingenti Saxo Molendinæ oppoſito, etiam aliis, quibus olim diruta arx ſuperſtructa fuit. Semel etiam ex ſemine delapſo in humido limo ſub rupe creſcentem, ſtatura, humiditatis beneficio multum auctam; hanc HENR. KRAMER in valle *Döbling* creſcere dicit. Cæterum adhuc legi in *Baden* inter fiſſuras rupium cum Thlaſpi montano.

Radicalia folia varia ſunt ut a, b, c. videre eſt; dixerat folia integerrima ſua in definitione LINNAEUS, ob quod plantam diu ignoravi. Folia ovata, vix dentata, ſcabra HALLERUS, quod b potiſſimum convenit. Sunt vero ſemper ad radicem conferta, petiolata omnia, petiolis piloſis, longiſſimis; foliis lanceolatis, dentatis, glabris, minoribus vix dentatis rotundis ſcabris, hirſutiſſimis: omnibus adverſa parte purpureis loco ſoli expoſito creſcentibus.

Caules ipſi ad exortum ſæpe atrovirent, quandoque etiam tota longitudine eundem colorem ſervant.

Folia caulina lanceolata, elliptica, glabriora, ſubpurpuraſcentia.

Calyx patulus coloratus.

Flos conſpicuus magnus, petalis niveis, undulatis.

Siliqua ad caulem arcuata.

Diſtinguitur a priori definitione, jam enarratis, habitu magis ſtricto, firmo, dum alia magis pulpoſa herbacea eſt, præcedentes nunquam purpuraſcunt.

Sed etiam hæc in hortis culta purpuram exuit, & multum habitum mutat, tota glabra, carnoſior, ut hoc anno conſpicio, & in Baden inveni.

Diſtinguitur a Cardamine *petræa*, Cambrica naſturtii facie DILLENII *Hort.* ELSH. icon LXI, licet cum ea multam ſimilitudinem habeat, quod in noſtra valvæ non revolvantur cardaminis more.

3) *Arabis*

3.) *Arabis umbroſa.*

Arabis ſiliquis compreſſis latis uno verſu pendulis.

Arabis foliis radicalibus longe petiolatis, caulinis amplexicaulibus, lingulatis.

An Arabis turrita LINNAEI? videtur.

An Braſſica ſylveſtris albido flore, nutante ſiliqua? BARR. icon 353.

Leucoium flore albo, ſiliquis uno verſu diſpoſitis, & inflexis MORIS. II. 241. icon mala.

Turrita major PLATEAU. CLUS. vix intelligibilior.

Creſcit locis opacis in ſpeluncis rupium Medling.

Plantam hanc cum Turritide LOBELII icon 220, Turrita vulgari CLUSII, confuſam admodum difficulter vindico; confudere MORISONUS, SEGUIERUS, ſed error MORISONI manifeſtus eſt: dum uni, & eidem plantæ ſynonima Turritæ vulgaris CLUSII, & deſcriptionem Turritæ majoris PLATEAU EIVSDEM, apponit. Ut confundi amplius non poſſit, perpetuus aſſignandus character eſt.

Folia radicalia longe petiolata, ovato-oblonga, exſecta, ſæpe a pulverulento aere, ſordide incana ſunt; caulina magis cordato-lingulata, ampla, ad angulum rectum amplexicaulia, minus exſecta, hinc inde tamen dentata, caule virgato, lanuginoſo, ſæpe rubente, vix ramoſo in loco natali, inculta vero planta in ſummitate ramoſiſſimo.

Calyx ſubpiloſus iuvenis, adultioris plantæ ſubrugoſus. Quomodo diſtinguitur Arabis *pendula* a *Turrita* L.? differentia a calyce, in hac rugis, in illa pilis ſpectabili, deſumpta, haud certa.

Flos exalbidus, ochroleucus, laminæ quam Turritidis latiores, vere Arabis patentes.

Siliquæ longiſſimæ juxta ac latiſſimæ, diſtinctiſſimæ a Turritide, in arcum pendulæ, non ancipites, glabræ, inveni tamen etiam lanugine obductas.

Differt a Turritide *hirſuta*, quas hirſuties foliorum caulis conjungeret, foliorum radicalium caulinorum figura, adhæſione cauli, flore, ſiliquis, majoribus. Arabis hæc differt demum toto habitu a Turritide *glabra*, cum qua facile confundi poſſe LINNAEUS in horto Upſalienſi judicavit; cum tamen diſtinctiſſima ſit, differentia dici non debet. Hanc vero Arabim ab Arabi *pendula* quæ diſcriminant? an Arabis *turrita*, Arabis *pendula*, una eademque planta?

Digitized by Google

4.) *Arabis Bellidifolia* * Tab. III. Icon 3.

I. Arabis foliis longe petiolatis, ovatis, integerrimis.

Arabis foliis omnibus ovatis, radicalibus longe petiolatis, caulinis ſubamplexicaulibus.

An Naſturtium alpinum bellidis folio majus, c. b. *prod.* p. 46? alia ſynonima ob incertitudinem non addo.

Primo vere 1760 in aſcenſu Alpium Breyninarum cum amantiſſimo Botanices Viro, Fratre HONORIO, Ordinis *Joannis* de *Deo*, læto ſolo inter pediculares invenimus.

Radix tenuis, fuſca, nodulofa, pilis longis exaridis, præcedentis anni foliorum petiolis capillata, ex ſummo capite modo caulem unum, modo plures, inferiori parte ad humum flexos teneros, per maturitatem ſatis rigidulos ſpargit.

Folia longe petiolata, ovata, anſerina quaſi cute ſcabra, villoſa, caulina ſemi amplexicaulia.

Flos albus, amplus.

Siliqua multa, Arabis *alpinæ* ſimillima, valvis ab inferiori parte per multam maturitatem dehiſcentibus, preſſis nunquam ſe in helicem revolventibus.

Plantam hanc diu pro cardamine *alpina* etiam ex aſſenſu aliorum habui, & hoc nomine olim inſcriptum exemplar: hoc vero quod æri incidi curavi, dono dedi cum aliis Auſtriæ rariſſimis ſtirpibus, D. CHRISTIANO FRIIS ROTTBOLL, Medicinæ in Dania Profeſſori digniſſimo.

II. Arabis foliis radicalibus integris, ovatis, ſcabris, caulinis glabris, caule procumbente.

Hanc habeo ex Schneberg.

Definitiones & deſcriptiones, priores ab hac diſtinguunt. An varietas?

CARDAMINE.

CHARACTER. Calyx hians, ſiliquarum valvæ ſurſum revolutæ.

OBSERVATIO. Diſtinguitur a dentaria calyce hiante, ſtylo anguſtiori, ſtigmate integro: cum aliis confundi non poteſt, valvis ſurſum ſeſe in helicem contorquentibus, quod huic familiæ peculiare.

1.) *Car-*

1.) *Cardamine Bellidifolia.*

Cardamine foliis ſimplicibus, ovatis, petiolatis, longiſſimis. *Fl.* LAP. icon CLUSIANAE haud ſimilis, quam tamen pro varietate habet HALLERUS. Si eſt, eſt ſane maxima.
Plantula cardamines æmula. CLUS. *pann.* cum bona icone.
Plantula cardamines alterius æmula. CLUS. *Hiſt.* II. p. 129.
Sinapi pumilum alpinum. CLUS. *deſcript.*
Naſturtium alpinum bellidis folio minus C. B. RAII. SCHEV.

Etſcheri jugi ſcopulis inhærentem vidit CLUSIUS, ibidem KRAMER.

Confundi cum Thlaſpi II. III. montano poſſet, ſed cardamine folia non adeo glauca habet, & ſilicula priores plantas in alium ordinem rejicit. An plantula cardamines alterius æmula CLUSII valvas ſurſum contorquet? exactus CLUSIUS non meminit, & in horto non habeo, ut examinare poſſim. An plantula cardamines alterius æmula non eſt cardamine?

2.) *Cardamine Trifolia.*

Cardamine alpina trifolia CLUS. I. R. H. RAII. BOERH.
Naſturtium alpinum trifolium C. B. p. 104.

In ſylvoſis montibus CLUSIUS, in udis montis Schneberg KRAMER, tota via ſylvoſa ex Gans in Schneberg ego reperi, unde in hortulo colo, ſtupendæ vero magnitudinis vidi in aſcenſu caſarum in Etſcherum.

Nigricantibus ex purpura ramulis per terram ſerpit, in quibus oblongo ejusdem coloris pediculo terna perpetuo folia quaſi orbiculata, in ambitu non nihil crenata, in initio tenella, & viridia, dein dura nigricantia, aliquando ſubtus, ut Cyclaminum, purpura colorata.

Scapus ex curvitate erectus, ex purpura nigricans, totus ſere nudus, niſi quod in media altitudine trifolius ſit.

Flores quaſi in umbella conſtituti, longis pedunculis nixi, nivei, magni pro ratione plantulæ.

Calyx foliolis exiguis, ovatis, carnoſis, concavis, non ſupra idem planum poſitis, apice membrana albicante reflexa auctis, hiat.

Petala lactea, magna, venoſa, undulata.

Glandulæ quatuor, virides: duabus majoribus inter ſtamina majora & petala: duabus concavis cavitate ſua ſtamina minora recipientibus.

Stamina craſſiuſcula nivea antheris ſagittatis ex albo vireſcentibus.

Piſtillum viride ſtigmate albente *ſiliqua.*

3.) *Cardamine Impatiens.*

Cardamine foliis pinnatis, pinnis laciniatis, floribus exiguis.
Cardamine foliis pinnatis, floribus apetalis L. admodum male.
Siſymbrii cardamines ſpecies quædam inſipida. I. B. II. p. 886.
Cardamine annua exiguo flore. TOUR. 224. BOERH. RUP.
Naſturtium alpinum inſipidum C. B.

In nemoribus inſularum Danubialium, præſertim in Tabor, KRAMER, etiam ego ibidem, & in udis ſylvis Etſcheri.

OBSERVATIO. Si ob florum exiguorum petala alba cum turritide confundi poteſt, ſiliqua confuſionem ſtatim diluit.

4.) *Cardamine pratenſis.*

Cardamine foliis pinnatis, foliolis radicalibus ſubrotundis, caulinis lanceolatis L.
Naſturtium pratenſe magno flore C. B. *pin.* 104.
Flos cuculi DOD. *pempt.* 592.
Cardamine pratenſis, magno flore purpuraſcente TOUR. 224. RUP. 79. BOERH. II. p. 16.

In Prato uliginoſo *Döbling*, in *Tabor*, inſulis Danubialibus, *Fiſchamentæ* KRAMER, iisdem etiam locis ego, tum in locis reſedes aquas habentibus *Brader* primo vere non infrequens.

Caulis ſimpliciſſimus ſtrictus, glaucus, erectus.

Flores in longis pedunculis ſolitarii, ex albo purpuraſcentes.

Calyx gibberus, patulus, ochroleucus, albida membrana auctus.

Corolla ſatis ampla, unguibus viridantibus, calyce longioribus: limbo venoſo, ſæpe convoluto, purpuraſcenti-pallido.

Stamina minora inſigni ratione exigua: antheris in maturis uncinatis flavicantibus.

Glandulæ ſquammoſæ, extus ſtamina majora fulcientes duæ: duæ itidem pro ſtaminibus minoribus ſcutellatæ.

OBSERVATIO. Cardamine aſarifolia, petræa, nudicaulis, reſedifolia, nondum, quantum novi, in noſtris alpibus lectæ.

CHEIRANTHUS.

CHARACTER. Calyx carneus ſuperne patens in noſtris; ſiliqua immatura carnea, toroſa quadrangularis, matura ſubſidens, planior, ſtylo brevi bifido, ſepto non fungoſo, ut Heſperidi, a qua calyce magis ſuperne

perne patente, ſiliquis in initio magis tetragonis, villo etiam ſericeo cineraceo obductis, clarius diſtinguitur.

1.) *Cheiranthus Sylveſtris.*
Cheiranthus foliis lanceolatis aſperis, flore ſpecioſo odorato.
Leucoium ſylveſtre CLUSII *Hiſt.* I. p. 299. icon bona.
Leucoium luteum ſylveſtre CLUSII I. B. II. p. 873. SCHEUCHZ. iti. IV. p. 337. Deſcriptio bona.
Heſperis leucoii folio non ſerrato, ſiliqua quadrangula TOUR. 223.

In montibus *Badenſibus*, in *Leytenberg* CLUSIUS, ex *Baden* hortulo meo intuli perennem plantam.

Etiam hæc multis aliis confuſa planta fuit, & inprimis Eryſimo *Cheiranthoidi*, ſed habitus, ætas, flores diverſiſſimi facile confuſionem diluunt; tum etiam mixta Eryſimo *pannonico*, Authoritate. I. B. LINNAEI. HALLERI.

Habet hic Cheiranthus folia lanceolata, loco natali ſubhirſuta, aſpera, quæ cultura in glabra mutantur; habet caulem ſtriatum, ſcabrum, florem ſulphureum, odoratum Cheiranthi & ſiliquas ejusdem in initio quadrangulas dein compreſſas, lanuginoſas, ut Eryſimum eſſe nequeat, tum ſtygma craſſum, bicolle; adhæc extremitatem valvarum manifeſtius exſtantem, quæ levis differentia non adeo a Cheirantho *Cheiri* plantam repellit, ut Cheiranthum *Cheiri* hujus differentiam credam: adeoque

2.) *Cheiranthus Cheiri.*
Leucoium luteum. DOD. Keiri LOB.
Leucoium luteum, vulgo Cheiri flore ſimplici. I. B.
Leucoium luteum, pleno flore majus, & minus. C. B.

In hortis ubique colitur, ex priori nata.

SINAPIS.

CHARACTER. Calyx patens; ſiliqua dehiſcens; cornu aut fere ſiliquis æquali, aut majori, pyramidali, leniter bifido. Cur glandulas ex LINNAEO addit HALLERUS? hæ plantam nec a Braſſica, nec a Raphano diſtinguunt. Cui igitur bono in ſinapi glandularum adnotatio?

1.) *Sinapis arvenſis.*

Sinapis ſiliquis multangulis, toroſo-turgidis, roſtro longioribus. L.
Rapiſtrum flore luteo, foliis inciſis, vel ſinuatis. C. B. *pin.* 95. bene.
Sinapi arvenſe præcox, ſemine nigro. MOR. II. p. 216.
Eruca arvenſis vulgaris. HALL. RUP. 82.
Rapiſtrum arvorum. LOB. Icon 195

In arvis *Hollebrun*, *Leytepontanis* inter hordeum KRAMER. Ego ad vias publicas, abunde ubique inter ſegetes.

Variat caule glabro, aut ſubhirſuto, HALLER, ramis ad exortum ex cæruleo purpuraſcentibus.

Folia ramos craſſo petiolo interne colorata fulciunt.

Flos magnus ſulphureus.

Siliqua cornu inſtructa pro proportione breviori.

2.) *Sinapis alba.*

Sinapis ſiliquis hiſpidis, roſtro obliquo longiſſimo. L.
Sinapi apii folio. C. B. 99.
Sinapi ſativum alterum. DOD. *pempt.* 707.
Sinapi ſiliqua hirſuta, ſemine albo, & ruſo. I. B. II. p. 859. HALL. RUP. 82.

In agris circa Crembs KRAMER.

Definitionibus diſcriminantur.

SISYMBRIUM.

CHARACTER. Calyx patens, deorſum non gibbus in pleriſque, corolla patens, ſiliqua dehiſcens, valvulis rectiuſculis, ſtylo breviſſimo.

OBSERVATIO. Eryſimum ab hoc differt calyce magis clauſo, ſiliqua quadrangulari. Arabis calyce ſemper gibbo, ſiliqua toroſiore, numeroſiore. Quæ Eryſima ſiliquam exacte tetraëdram non habent, nobis ſiſymbria ſunt; non eſt tamen adhuc adeo exacte definitum Siſymbrium ut Eryſimum.

1.) *Siſymbrium Naſturtium.*

Siſymbrium ſiliquis declinatis, foliis pinnatis, anguloſis.
Naſturtium aquaticum. C. B. BLACW. T. 260.
Siſymbrium aquaticum. TOUR. BOERH.
Siſymbria cardamine. FUCH. 723.
Naſturtium aquaticum ſupinum C. B. p. 104.

Ad

Ad fontes, loca irrigua.

2.) *Siſymbrium Sylveſtre.*

Siſymbrium ſiliqnis declinatis, foliis pinnatis lanceolatis, ſerratis. L.
Eruca ſylveſtris minor repens floſcnlo luteo. C. B. p. 98.
Siſymbrium palnſtre naſturtii folio. TOUR.

In Tabor, infra Nusdorff, in arvorum confiniis humidis KRAMER, in *Auu*, ego ctiam ad viarum publicarum foſſas, inter ſegetes, quas opprimit.

Radix dura, fibroſa.

Caules cx ſummo capite modo plures, modo unicus, inflexo-erectus, diſtortus, ramoſus anguloſus, ſtriatus, inferne ſæpiſſimc rubens.

Rami ſæpiſſime ramoſi, anguloſi, ſtriati, in exortu rubentes, ad genicula ut caules folioſi.

Folia radicalia ut et caulina pinnata, pinnis ad ſe converſis conniventibus, hinc inde dentatis non ſerratis.

Calyx flavus, patulus.

Flos flavus, parvus, patulus.

Stamina fere ſubæqualia ejusdem coloris.

Glandularum corona, ita diſpoſita, ut ſint pro ſtaminibus minoribus ſcutellulæ duæ, quæ craſſa exerant tubera inter vicina ſtamina majora, & ipſa ſtamina majora etiam hic quam in aliis evidentius ſcutellata ſint.

OBSERVATIO. Magna ſæpc invenitur differentia inter plantam locis udis et ſiccis creſcentem, in eſſentialibus tamen conveniunt.

3.) *Siſymbrium Arenoſum.* *

Siſymbrium foliis lyrato-ſerratis ſcabris radicalibus, caule ſubnudo ramoſo. L.
Siſymbrium aſperum foliis pinnatis, pinnis rectangulis non dentatis. HALL. II. 552. bene.
Eruca cærulea in arenoſis creſcens C. B. *prod.* 40. male.
Eruca ſylveſtris, major, minorve foliis ſubasperis in orbem ſparſis. LOBEL. *Pruſs.* 86. Icon nimis artificioſa.
Eryſimum præcox flore carneo. BARR. malum nomen, icon 196. foliis non ſatis aſperis, nec ideo male, ſic etiam in hortis culta eſſe ſolet.

In itinere *Etſcher*, media in ſylva loco aprico arenoſo, udo, tum ſub petris *Etſcher* loco umbroſo ſicco. Ceterum adhuc copioſe provenit circa rupes *Crembs*.

Folia

Folia in orbem ad terram ſparſa pinnata, pinnis conjugatis, ad angulos ſæpius rectos ad nervum ſectis, progrediendo majoribus, confluentibus, extrema varia triangulari rotunda. Sunt cæterum folia hirſuta, ſubſcabra, ſed multum tenera, brevi exareſcentia omnia; caulis aſper ſubnudus, modo unicus, modo multum ramoſus. Flos albus. Eſt etiam ubi ex ſemine culta minus aſpera evadit, minus tenera, magis firma, qualis in hortis viſitur.

4.) *Siſymbrium* LOESELII *

Siſymbrium foliis haſtato-pinnatis ſæpe hirtis, caule ramisque pilis albis ſplendentibus, hiſpidis.

Siſymbrium caule ramisque pilis albis ſplendentibus, hiſpidis, ſiliquis longius pedicellatis, ſubtoruloſis in arcum conflexis.

Eryſimum hirſutum ſiliquis erucæ LOES. *pruſſ.* 69. T. 14 bene.

Abunde in mœnibus, muris, tectis inveni, etiam frequentem circa *Crembs*.

Radix exigua parva alba.

Caulis unicus ad exortum ſæpe angulo recto terræ innixus, rectus, dein admodum hirſutus, piloſus, pilis aſperis rigidiuſculis, ſplendentibus, albis; cæterum rotundus, ſtriatus, profunde viridis, inferne ſæpe triſte purpureus, cubitalis, etiam ultra, ſuperne ramoſus, multum tota longitudine folioſus.

Folia omnia aſpera ſunt, petiolata, petiolo triangulo hirſuto, pinnata pinnis ſuperiori coſta amplioribus latioribus & ibi magis dentatis: extima haſtata aut ſerrata, aut dentata, aut eroſa; & hæc quidem ad prima caulina ſpectant, quæ etiam ſubtus aliquando purpuraſcunt, ſuperiora enim irregulariter haſtata, in ipſa haſta anguſta & extenuata magis, longos exſtantes dentes habent: ſupremis linearibus fere & baſi pinnatis.

Rami non longi, præ hirſutie incani juniores, alii, ut caulis, admodum piloſi, folia habent ultimo loco explicata.

Pedunculi iisdem pilis fere obſiti, ſatis longi.

Calyx coloratus, piloſus, vidi ut in ſinapi patentem in multis exemplaribus *Crembs*, in viennenſibus aliquantulo minus.

Petala patentia, flava, integra, minora quam in irione.

Glandulæ ſcutellulæ duæ pro ſtaminibus minoribus, pro aliis diſcus glanduloſus.

Siliqua

Digitized by Google

Siliqua longo ſatis petiolo, debili tamen erecta & fere in arcum flexa, tenuis, toruloſa, ſeu nodoſa ſiliqua irionis minor longe; eſt cæterum confertiſſima ſpica ſiliquoſa fere cleomi violaceæ ſimilis: quod nulli alteri ſyſimbrio noſtrarum regionum competit.

OBSERVATIO. Synonima omnia evitavi, ut non iterum confundatur, plantæ diverſis aliis, ut videtur, a Botanicis juncta; & male LINNAEUS citavit *Sinapi Eryſimo Tragi cognatum.* I. B. II. p. 857. quod fatente I. B. in Auſtria ab AGERIO collectum & allatum, cauliculos habuit *cana & mollicella lanugine pubeſcentes*, quæ a noſtra planta longiſſime abſit; imo nunc certior affirmo abſentiam lanuginis, præſentiam vero pilorum albidorum & hiſpidorum noſtram plantam magis declarare, quam *folia runcinata acuta hirta*, nunc enim in multis exemplaribus hirſutiem foliorum video variare. Iterum male citavit LINNAEUS *ſyſimbrium foliis pinnatis, extrema pinna triangula dentata, petiolis longis, hirſutis.* HALL. *Hort. Gotting.* 248. dum caulem ſolum hirſutum non hiſpidum HALLERUS facit, folia *glabra*, quæ LINNAEUS *hirta* dicit, dum Eryſimum II. TABER. laudat HALLERUS, & ſuæ plantæ convenire dicit, quod tamen LINNAEUS ſuo *irioni* adſcribit, ſed omnino LINNAEUS in his nimium erravit: Syſimbrium HALLERI eſt noſtrum ſyſimbrium LOESELII, licet illud non eſſe poſſit LINNAEI & Eryſimon II. TAB. ut HALLERIANAE plantæ conveniebat, ita noſtræ, ergo ex *irione* deleri debet. Nunquam enim adeo folioſum ſyſimbrium *irio* eſt tota caulis longitudine ut icon TABER. vere de eo LOESELII expreſſit: et jam eſt habitus *Loeſelii* ſyſimbrii in icone, qui non reperiatur in *irione.*

5.) *Siſymbrium irio* * Enumeratio.

Siſymbrium foliis lingoni aut haſtæ forma pinnatis, ſiliquis longis, ſtrictis, hirſutulis.

Eryſimum latifolium majus glabrum. C. B. *pin.* inani nomine MOR. II. T. 3. Sect. 3. F. 3. ficta icone.

Irio apulus alter lævi folio erucæ COLUM. *Ecphr.* I. p. 264. T. 265? ſed ſiliquæ glabræ ſunt, auriculæ in foliorum coſtis inferioribus.

In mœnibus, maceriis, ad margines agrorum & ſylvarum *Incersdorfwalde* abunde; abunde etiam in *Caltenberg*, inveni pariter in *Crembs.*

OBSERV. I. Etiam hæc ſtirps a nemine vere cognoſcitur, minus adhuc ab ullo bene deſcripta data eſt, perpetuus igitur illi aſſignandus character fuit, ut in varia adeo perſonata forma cognoſceretur.

Digitized by Google

OBSERVATIO II. ſtatura, imo foliorum forma, multum ludere ſolet, tum caule ſimplici, ramoſiſſimo, nunc molli magis, nunc leniter aſpero, quod etiam de foliis verum eſt.

Radix alba fibroſa, aliquando ramoſa.

Caulis terræ inclinato inſidens ad angulum pene rectum, dein erigitur palmaris, cubitalis, brachialis & ultra, modo ſimplex, modo ab inferioribus geniculis ramoſus, ramis longis paniculatis, leni brevique hirſutie & ea ſæpe ſpernenda, ut in caule donatis. Cæterum etiam is aliquando purpuraſcit & in ſiliquarum ſpica magis glaber fit. Rotundus eſt.

Rami in maioribus plantis longi eodem modo ut caulis ſe habent, niſi quod in multis obſervaverim, in initio aliquantulum magis hirſutos eſſe, cæterum folioſi et ipſi aliquando ramoſi.

Folia radicalia, ut & prima caulina, longiſſime petiolata petiolis ex purpura frequenter cæruleſcentibus; hæc in plurimis mollia fere ſunt, in aliis aliquantulum plus, aſpera, pinnata, pinnis parum hirſutis ellipticis, latis, inferiori coſta ad caulem auriculatis, ſuperiori vero dentatis: extima maxima haſtata; atque hæc quidem in maioribus plantis frequentiſſime obſervantur, in minoribus vero & non ramoſis adeo, pinnarum paria vix ultra duo ſunt deorſum conflexa: extima pinna manifeſtius ligoniformi.

Caulina ſuperiora præter conflexas ad petiolum pinnas extimam maxime haſtatam poſſident, modo validis dentibus inſtructam, modo minus, hi enim adſcendendo evaneſcunt magis, tumque media longiſſima linearis dependet, pinnarum pari uno quoque lineari & longo; et hæc ultimo loco deſcripta in ramis frequentiſſima ſunt.

Calyx ſubæqualis non patens, ſed potius clauſus, imperceptibiliter villoſus, ex viridi albidus.

Corolla unguibus erectis, limbis pallide flavis quaſi ochroleucis, ad angulum rectum patentibus, illis *Loeſelii* maioribus, integris

Scutellulæ pro ſtaminibus minoribus duæ triangulares baſi trianguli externa inter calycem & ſtamina, pro maioribus diſcus craſſus.

Siliquæ exiguo pedicello fultæ, erectæ, longæ, ſtrictæ, ſubglaucæ, perpetuo hirſutulæ.

OBSER-

OBSERVATIO. Iuvenes ſiliquæ pendent, ſenſim vero firmantur et eriguntur, & huic, non ſyſimbrio *Loeſelii*, convenit *Columnae* nomen *macrolepto ceraton:* ut certum ſit & in tertio hoc ſynonimo LINNAEUM erraſſe. Minus ſane adhuc ejus definitio intelligi poteſt: foliis *runcinatis*, dentatis, *nudis*, caule *lævi*, quem tamen in nota *minus glabrum* dicit, ſiliquis erectis. Longe melius adhuc noſtræ plantæ conveniret ænigma, quod *altiſſimo* inſcripſit, *foliis flaccidis* foliolis (ſummis) ſublinearibus integerrimis: ſed quid ſignificat: pedunculis laxis, ſiliquis laxis, quas BUXBAUMIUS dicit eſſe ſtrictiſſimas. Sed neque calyx patentiſſimus eſt, ut igitur noſtra planta nec ſit Syſimbrium *altiſſimum*, nec irio LINNAEI.

6.) *Siſymbrium Waltheri* * *Enumeratio.*
Siſymbrium foliis haſtato-pinnatis, ſubaſperis; ſiliquis longiſſimis, ſtriato ſubquadrangulis; caule glabro.
Eryſimum monſpeſſulanum ſinapios folio. Walther *hort.* p. 135. icon T. XXII. bona.

Circa *Viennam* cum præcedente.

Radix præcedentium, annuæ plantæ alba ſcilicet, & leniter fibroſa, exigua pro plantæ portione.

Caulis rotundus, glaberrimus, viriditate triſti perfuſus, & aliquando ex atra purpura tinctus, ramoſus, ſuberectus & maturis ſiliquis, quandoque etiam ante, dependens, inclinatus.

Folia ſatis lata, viridia, ſubaſpera non evidentis, ut in duabus præcedentibus ſtirpibus, piloſitatis pinnato-haſtata pinnis quam in aliis longioribus: media etiam haſtata longiore, imo longiſſima. Hæc cæterum magis, quam in aliis carnoſa ſunt.

Calycis ex viridi exalbeſcentis foliola admodum hirſuta ſunt non adeo patentia, recte ut pinxit WALTHERUS, non vero ut perhibuit LINNAEUS, abſque omni dubio iterum ex ſpecimine ſicco hariolatus.

Petala exigua pro portione plantæ flava præcedentis plantæ minora, non multum patebant ſuberecta fere magis.

Siliquæ ſæpe coloratæ exiguo, firmo tamen pedunculo nixæ, firmæ, ſtrictæ, longæ, ſtriato-anguloſæ, ut fere ſint ſubquadrangulæ; ſunt præterea ſatis craſſæ.

OBSERVATIO. Hanc ſtirpem calycem adeo patentem imo patentiſſimum poſſidere dicit LINNAEUS, ut fere ſit Synapiis affinis; Ego vero

 judico

judico, ad Eryſima longe propius quam ad Sinapia accedere. Nec folia in mea aut WALTHERI planta ſublinearia eſſe, nec pedunculos laxos eſſe, tenendum eſt. Sed quid eſt

Siſymbrium foliis runcinatis hirtis, caule retrorſum non antrorſum hiſpido. LINNEI ? aut
Siſymbrium foliis runcinatis, dentatis, nudis, caule lævi; ſiliquis erectis? aut
Siſymbrium foliis runcinatis, flaccidis, foliolis ſublinearibus integerrimis, modo pedunculis laxis, modo ſiliquis laxis. Ejusdem?

qui hæc ænigmata runcinare poterit, erit magnus Apollo.

Ergo, ut ſemel dicam, differt ſyſimbrium *Loeſelii* ab aliis omnibus ejusdem ſectionis, ſiliquis longius pedicellatis, thyrſo fructificationum conferto, ſiliquis nodulofis brevibus, ad alia ſcilicet comparatis. Differt ſyſimbrium *irio* perpetua ſiliquarum longarum ſtrictarum lanuginoſarum nota & prærogativa. Differt ſyſimbrium *Waltheri* ſiliquis longiſſimis ſtrictiſſimis, craſſis, ſtriato ſubquadrangulis, præter alias omnium trium notas, quas ex exactiori deſcriptione uniuscujusque ſtirpis depromere poteſt.

7.) *Siſymbrium ſinapiſtrum.*
Siſymbrium foliis inferioribus triangulo-pinnatis, hirſutis, ſuperioribus linearibus glabris; calyce patente.
Siſymbrium foliis cauleque partim hirſutis, partim glabris; calyce patente, ſiliquis longiſſimis.

Hanc plantam primus & jam ante aliquot annos in Auſtria invenerat D. WINTERL. M. D. vidi dein in eodem loco, quem mihi in botaniſatione *Gatterholz* monſtravit.

Radix annuæ plantæ tenuis alba parum ſibroſa.

Caulis unicus jam ſimplex, jam, quod tamen rarius obſervatur, ramoſus virgatus quaſi, rotundus, albis pilis ultra medietatem obſitus, hiſpidus, dein vero nitidus glaber. Hic ut præcedentium plerique angulo fere recto terræ, quod tamen non perpetuum hic, ut neque in aliis, inſidet donec erigatur, erectus ſæpe a pondere ſiliquarum trahitur, inclinatur, ut etiam propius terræ incumbat.

Folia varia ſunt; & primo admodum hirſuta & ſubaſpera inferiora ſunt, ſuperioribus glabris & ſecundo inferiora petiolo ſatis firmo, cauli ad angulum acutum inſiſtente, erecta ſunt & pinnata, pinnis primis ad petio-

petiolum deorſum reflexis, aliis ad angulum rectum exſtantibus, ultima triangula modice latis admodum hirſutis omnibus & primis adhuc canaliculatis & ad ſulcum petioli dentem eſferentibus, ut id in folio 3. 4. caulis expreſſum, dum ſuperiorum foliorum pinnulæ aut recte ſunt aut ſurſum conflexæ lineares, nec ad petioli carinam ſectæ aut dentatæ.

Folia ſuprema, ut et ea, quæ jam a caulis medietate incipiunt, etiam pinnata ſunt, ſed pinnis linearibus integerrimis, extima ſeu impari etiam lineari longiſſima, ut id pariter icon declarat. Cæterum pinnarum tam in inferioribus, quam ſuperioribus paria variant, in inferioribus quidem 6. 7. 8. ſuperiorum vero 6. 5. etiam ad unum decreſunt. Pinna impar in inferioribus foliis etiam variare ſolet, nunquam vero illam præcedentium omnium ſtirpium latitudinem conſequitur.

Folia hæc omnia quidem emarceſcunt, ſed flaccida non ſunt, ut in *irione*, nec hic ſummæ pinnæ & impares unquam ut in hoc dependent, ſed ad caulem erectæ ſunt; & cæterum vix eſt inter has & illas *irionis* comparatio.

Pedunculi alis foliorum inſiſtunt, ſatis longi, nitidi, glabri, & primo quaſi racemoſi, in quo ſtatu plantam delineatam dedi, ſed brevi poſt in longitudinem pars florida caulis educitur & longe extenditur.

Calycis patentiſſimi foliola oblonga, canaliculata membrana alba aucta & quaſi in apice cucullata ætate albent & minus viridia ſunt.

Flos pallide flavus petalis patentibus non magnis.

Diſcus glandulоſus in quem ſtamina omnia implantantur, ſed nullum evidentius eminens tuber vidi.

Siliqua longiſſima tenuis, rarius craſſa, duobus lateribus complanata, ſyſimbrii non ſinapi.

OBSERVATIO. Nulla prorſus ſimilitudo eſt inter hanc plantam & illam *Waltheri*, utramque tamen confudiſſe videtur LINNAEUS, & certum eſt, ambas non vidiſſe, quare etiam ultimæ iconem adjeci, ut examinare poſſit & conferre cum illa *Waltheri*, quam citavit.

8.) *Siſymbrium Sophia.*

Digitized by Google

Siſymbrium petalis calyce minoribus, foliis decompoſito-pinnatis. L.

Naſturtium ſylveſtre tenuiſſime diviſum. C. B.

Sophia chirurgorum, BLACW. Tab. 440.

Seriphium abſynthium, FUCH.

Ubique in muris, ruderatis, ad vias, copioſe etiam retro Collegium *Thereſianum* in arvis.

9.) *Siſymbrium ſtrictiſſimum.*

Siſymbrium (Heſperis) foliis ellipticis, glabris, circumſerratis. HALL. *Helv.* 551.

Draba lutea ſiliquis ſtrictiſſimis. C. B. MOR. II. p. 234.

Heſperis lutea ſiliquis ſtrictiſſimis, I. R. H. BOERHAAVE.

Arabis, quibusdam dicta planta, CAM. *epit.* 342. bona.

Draba lutea II. C. B. in MATH. Fig. bona.

In valle *Döbling* KRAMER, ibi, & in via inter *Kaltenberg*, & *Leopoldiberg* magna copia loco umbroſo udo ego inveni.

Habitu lignoſo, alto Heſperidum, inter omnia Siſymbria cognoſcitur; cum Heſperide confundi non poteſt.

10.) *Siſymbrium Officinarum Eryſimum.*

Siſymbrium ſiliquis conicis, multangulis, ſpicæ appreſſis.

Eryſimum irio I. TAB. p. 448. bene.

Irio I. B. C. in MATH. Fig. bona.

In muris, tectis, ruderatis, viis publicis, ubique frequens.

Habitu ſtricto, foliis pinnatis, extremo lobo triangulo dentato, calycum apicibus coloratis, flore minimo ſulphureo, ſiliqua ſcapo appreſſa, multangula, conica cognoſcitur.

11.) *Siſymbrium, Barbarea.*

Siſymbrium foliis lyratis, extimo ſubrotundo, ſiliqua ſubquadrangula.

Siſymbrium foliis pinnatis, pinna extrema ampliſſima ſubrotunda. HALL. *Helv.* bene de inferioribus, & convenit plantæ ad vias loca ruderata creſcenti.

Siſymbrium (Eryſimum) foliis baſi pinnato-dentatis, apice ſubrotundis. LINN. *Lap.* bene de ſuperioribus foliis, & convenit magis plantæ in aquis provenienti.

Barbarea

Barbarea. DOD. *pempt.* 712. etiam I. B.
Barbarea fœmina TAB. 452. icon bona.
Eruca lutea latifolia, ſeu Barbarea C. B. *Baſ.*

In *Brader* frequens, etiam ad foſſas viæ *Nusdorff*, ad Molendinam rubram prope *Schönbrun* rarior, inveni etiam inter ſegetes.

A priori extremo lobo ampliſſimo ſubrotundo, foliis carnoſis læte virentibus ſplendentibus, ſiliquis cauli parallelis, non appreſſis, ſtrictis, diſtinguitur. Notari meretur ſiliquas nec ſtatim in prima, nec in ultima ætate valde quadrangulas eſſe, folia inferiora amplexicaulia pinnata, ſuperiora non pinnata, dentata, ſubrotunda, tum in hortis multum variare plantam & ſiliquas.

11.) *Siſymbrium amphibium.*
Siſymbrium ſiliquis declinatis oblongo-ovatis, foliis pinnatifidis, ſerratis. L.

Rarior ad ripas.

Diſcrimen manifeſtum eſt ex Definitione.

INDEX

Digitized by Google

INDEX GENERUM

FASCICULI PRIMI.

Alyſſon p. 15
Anaſtatica 7
Arabis 36
Bohadſchia ib
Braſſica 35
Camelina 18
Cardamine 42
Cheiranthus 44
Clypeola 19
Cochlearia ib.
Dentaria 26
Draba 11
Eryſimum 27
Heſperis 31
Iberis 20
Iſatis 5
Lepidium 8
Lunaria 18
Miagrum 6
Naſturtium 14
Raphanus 35
Sinapis 45
Siſymbrium 46
Thlaſpi 21
Turritis 35

STIR-

HENRICI IOA. NEPOM. CRANTZ

S. C. A. MAIESTATIS CONSILIARII, INSTITVTIONVM MED. ET MATERIAE MEDICAE VINDOBONENSIS PROFESSORIS PVB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. ET SOCIETAT. BOTANIC. FLORENTIN. LITTER. ROBORET. SODALIS.

STIRPIVM AVSTRIACARVM

FASCICVLI II

EDITIO ALTERA AVCTA



CVM FIGVRIS AENEIS

IMPENSIS IOANNIS PAVLI KRAVS BIBLIOPOLAE VIENN.

M D C C L X I X

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRIS

IOAN. BAPT. BOHADSCH,

M. D. HISTOR. NATVR. ET BOTAN. PROFESSORI PRAGENSI,

XAVER. FERDIN. MANETTI,

M. D. HORTI BOTAN. FLORENT. PRAEFECTO, ET ACAD. A SECRETIS,

AMICIS,

FLORVM AVSTRIORVM ALTERVM SVVM FASCICVLVM

CONSECRAT

H. CRANTZ.

Digitized by Google

Digitized by Google

STIRPIUM AUSTRIACARUM

PART. I

FASCICULVS SECUNDUS.

H

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Etſi jam primo Auſtriarum plantarum faſciculo inſtituti cauſas dixi, eas tamen & hic repetere juvat, & diligentius aliquantulum explanare. Calidi CAROL. CLUSII *& Egregiorum Virorum* KRAMERORUM *labores, Auſtrias non ita exegerant Stirpes, ut adjici non poſſent aliæ: Genera non eo definita erant ſcrupulo a Syſtematicis a quibus mutuata, ut eſſent optima & certa: Species haud ita caſte generibus inſcriptæ omnes, ut aut facile aut certo cognoſcerentur; hæc quidem ut & mancæ, & falſæ multarum plantarum deſcriptiones, & Syſtematis artificium, effecere, ut ad Floræ Auſtriæ amplitudinem & certitudinem, ſtudium, operam, ſumptus, non parcus conſerrem. Quæ non agimus Floræ Amaſii? Jamque magnam ſtirpium vim 1759. 1760. delineari, etiam his annis ut & ſequentibus ære incidi curaveram, dum coactas antea unum in indicem & novas, & veteres plantas mutato conſilio diſſolvo, clare perſpiciens, vaſtam adeo meſſem per faſciculos ordinatius compingi, etiam evidentius, & caſtius, carptim proponi poſſe, quam tumultuaria aliquot annorum conquiſitione congeri, & præmatura & cruda enumeratione edi.*

Igitur in ſingulum Faſciculum annum denuo collocavi, in excurſionibus Botanicis, quanquam plantas, quæ aut in horto deficerent aut in herbario, colligerem cunctas, illis tamen magis inſidiabar, quæ edendi eſſent Faſciculi, ſic demum potui fructificationis partes diligentius examinare, probare Syſtemata, tentare genera, &, aut juſtam, aut iniquam ſpecierum ſedem cognoſcere, perſpicere quid in quaque re verum ſincerumque ſit, & multas inter Clariſſimos Viros lites componere.

Plus una vice ſexualis Syſtematis hodie in morem inducti hariolatione turpiter deceptus, eidem valedixi coactus, & ea confidentius plantas ordinare methodo incoepi, quæ vel artificii vel divinationis minus haberet, intimè ex rebus creatis perſuaſus, ipſam aut artificio aut hariolatione naturam non capi, & quæ naturam non generaret, expreſſam per deridiculum haberi imaginem; Quodſi etiam, ne quidem in ea, quam ſequerer Cl. van ROYEN *methodo, omnes Claſſes naturales eſſe, & Syſtema naturale abſolutum, quod a ſolo* capaciſſimo HALLERO *ſperari poteſt, hucusque deſiderari perſpicerem facilis, eas tamen phyſici partes ſemper reputavi, artificio naturam ubi nuda eſt, haud violare, ſed talem, qualis eſt, & in plurimis* ROYENI *Claſſibus expreſſa viſitur, cognoſcere, non in obſequium Syſtematis naturam, ſed in obſequium naturæ captivare Syſtema. An conſtanter aut*

mate-

materia ſubtili, aut igne, aut alia re ſola gubernari mundus debet, quod omnia mundi phaenomena ex una cauſa explicari non poſſint? an acidi cum alcali conflictu motus in animalibus regi? quod irritabilitas digito naturæ indicata, & hodie clare agnita, in eſſentia nondum perſpecta? an vegetabilis cognoſci ſolum oeconomia poteſt, & debet, ex maritis, uxoribus, meretricibus, caſtratis, imperforatis, hermaphroditis, quod vegetabilium omnium familiæ in Claſſes naturales nondum ordinari potuerint, licet nonnullæ tamen feliciter ordinatæ ſint, aut demum, an ea ſexualis ſyſtematis inevitabilis neceſſitas, ut mariti, uxores, hermaphroditi, caſtrati, imperforatæ, & in Filicibus *&* Algis *&* Fungis *definiantur, ut ſic demum hæ ſtirpes ex ſexu cognoſcantur? ſed &* Filices *&* Algæ *&* Fungi, *absque maritis, absque uxoribus, absque ullo ſexus beneficio, etiam a* LINNAEO, *& ſexualibus omnibus definiuntur, & cognoſcuntur, ita nimis certum eſt, naturam ingenio non regi, minus adhuc Syſtemate cogi, & illice in plantis ſexu, voluiſſe hos viros in labyrinthum, quem ſedulo evitarent ipſi, alios deducere botanicos. Atque hujus rei luculentiorem in iisdem ſtirpibus probationem elabi ſibi paſſus, dum eas ordinare vellet* LINNAEVS: *etenim proprii Syſtematis artificio deluſus abjecto tam maſculino, quam foeminino genere, ſpreto jam & Maritorum & Conjugum totius regni vegetabilis numero, neglectis etiam horum potentia, confraternitate, ſimultanea generatione, copula, cohabitatione, illas in nullam aliam Claſſem collocare potuit, quam quidem eam, quas non videret, occultarum nuptiarum: immortali exemplo, naturam tum ſolum philoſophice complexus, dum videre hanc non poſſet amplius!*

Alias hujus Syſtematis partes, diſſinitatem ſcilicet, & affinitatem maritorum, indifferentiſmum & ſubordinationem eorundem, extractionem radicis quadratæ, & biquadrati, ſcilicet horum ad ſecundam (Didynamiam) aliorum ad quartam potentiam (Tetradidynamiam) evectionem, quid morer? cum ipſa, harum rerum ideam natura ſuggerat nullam, & contra minutula imaginationis figmenta, male diſputarem phyſicus. Verum enim vero etiamſi imaginationi, ſpreta naturæ voce, in regno tamen naturæ, prima potentia concedatur, næ tum quidem capi poteſt. Equidem quæ etiam fervida, ex eo, quod vel mariti inter ſe ligati ſint, vel non ſint, horum affinitatem, aut diſſinitatem deducere, imaginatio valet? Quæ in his, quod nullam determinatam proportionem longitudinis inter ſe ſervent, horum indifferentiſmum, in illis, quod duo ſemper minores, illorum ſubordinationem aut ſupponere aut divinare poteſt? næ per inſomnia, etiamſi vellent, ſimiles ideas hiſtoriæ naturalis ſtudioſi captare poſſent! Nonne in multis familiis priores natu ſequentibus minores ſunt, an ideo his ſubordinati? & nullam determinatam proportionem magnitudinis inter ſe ſervantes, an ideo indifferentes? Et ſi ex numerali vel tetrandriarum, vel hexan-

hexandriarum Claſſe eximi, & novæ inſcribi debent mariti, quia duo aliis minores ſunt, cur non novam exigerent eodem jure ſedem alii, qui vel perpetuo incurvi ſunt (Epicurtodynamiæ) ut in aliquibus Salviæ *ſpeciebus, vel bicornes (Dikeratodynamiæ) ut in* Ericis*? & qui alternis vicibus majores ſunt (Amoibaiodynamiæ) ut in* Stellariis *& plurimis aliis: ſed vide quam potentiarum poene omnium et totius ſexualis ſubordinationis in novo Syſtemate naturæ immemor* LINNAEUS, *Hexadynamiam impotentem faciat;* LAGERSTROEM *ſtirpem* LINNAEO, *quam determinare non potuit mittit, planta maritos habuit plurimos petalis breviores, ſed inter hos ſex exteriores aliis duplo craſſiores, etiam ipſis petalis longiores, ſubordinationis potentiam, ſi demum aliqua in plantis ſit, invocantes.* LINNAEUS *tamen contra omnium ſpem, inter polyandria locat Stirpem,* LAGERSTROEMIAE *nomine, recte quidem, quoad maritorum numerum, non perinde quoad horum poteſtatem, illorum ſubordinationem; ut evidens ſit, vel* LAGERSTROEMIAM *iniqua inter polyandrias ſede locari, vel Didynamias & Tedradynamias ſua, injuſte cogi; & has, vel ad numerales Claſſes Tetrandrarum, Hexandrarum, ſubordinatione omni abſolutas ablegandas, vel etiam in indifferentiſmo ſubordinationem ſtatuendam. Sed de his in præſentiarum ſatis dixi, ut intelligeretur Claſſes naturales quotquot cognitæ ſunt, non amplius imaginatione vitiandas, aut ſi ob cohæſionis Syſtematis neceſſitatem tentandæ ſunt, ordines naturales ex his non factitios conſtituendos, & in illis ſolum, quarum naturalis Character nondum inventus eſt, Syſtemate artificiali opus eſſe.*

Atque dum hæc pauca de ſexuali Syſtemate diſputavi, hujus nec obſcoenitates, quas jam dudum SIEGESBECKIUS *riſit, propalare, nec in ſcenam meretrices, imperforatas, caſtratas, quarum honori per me conſultum ſit, etiam elegantioribus appellationibus proſpexit* Cl. LUDWIGIUS, *ducere, nec ædificii aut imbecillitatem, aut malam conſtructionem, quæ omnibus plantas determinantibus ſtatim obvia, dicere volui, ſed* LINNAEANAM *ſolum fabulam narrare, quæ etiam Characteribus genericis commiſceatur; quaſi totum vegetabile regnum philoſophica eſſet fictio, & ſigillum naturæ in natura non daretur! at in hac demonſtratione eamus per principia: Character genericus eſt definitio generis* (Fundamenta Botanica) *ſine definitione generis cognoſci genus non poteſt, nec inferenda generi ſpecies* (per eadem) *eſt igitur abſolutum cognitionis plantarum fundamentum; ſed inter Characteres genericos, naturalis, baſis eſt omnium Syſtematum, generum infallibilis cuſtos, omnique Syſtemati poſſibili, & vero applicabilis* (per eadem) *quæ igitur Genera plantarum hoc gaudent, optima ſunt. Genera* LINNAEANA *an iſta recommendanda nota? multa affirmatione hæc ſua laudat* LINNAEUS *ipſe,*

Digitized by Google

Philoſ. Botanica, Generibus plantar. *eadem etiam ex [propria obſervatione] deprædicant alii ſexuales, & hæc ſancta, & infallibilia habent, & ad eadem Botánicos omnes tanquam ad naturæ fontem remittunt. Ivi conſultum de his naturam ſæpius, alias protulit illa imagines, & perperam ex paucis particularibus ſpeciebus, ad genera deductas notas, & carbonariam Sexualium fidem commonſtravit. Falſas generum* LINNAEANORUM *definitiones jam in primo faſciculo retuli, horum, quae in hoc pertractantur errores, obiter hic tango. Jamque ad ſolum oculum evidens & inconcuſſum, Gea* LINN. *omnia, cauda piloſa non eſſe, quod tamen cuſtos generis Gei Character exigit, & Gei* urbani *nuditas impugnat: Nec nectaria ſolum quinque in Nigellis eſſe, aut ea trifida deprehendi, nec calyce omnes Anemones deſtitui, aut ſex ad minimum petalis inſtrui, nec omnes hujus viri Crataegos bacca biſperma eſſe, aut triſperma ſorbos, nec Meſpilos pentaſperma: nec ſemina in Meſpilis omnibus oſſea eſſe, aut pyra a Meſpilis diſtincta; dum pyrus cui calyx quinquefidus, petala quinque, pomum inferum, quinqueloculare, polyſpermum, etiam Meſpilis inſcripta. Adhaec non minus ſemper ad eundem oculum perſpicuum eſt, Characteres genericos, in toto fere pomiferarum umbilicatarum ordine, fabuloſos eſſe, dum ex numero conjugum, numerum uterorum, & foetuum divinare vellent ſexuales, & reclamante natura dyginae Crataego, ſolum uteros duos, totidem ſeminibus foetos darent, ſorbo tryginae tres, pentagynae Meſpilo, quinque; ſed haec ſuo loco dicentur omnia, non ſolum uno, ſed pluribus confirmata exemplis, ut rite de his definiatur: nec verebor illorum, qui ſolos ſe, quam naturam, plus ſapere, ſibi obſequentes fingunt, dictatoria ſemper, puerilia ſaepe, & ridicula judicia.*

Caeterum eandem in edendis reliquis florae Auſtriae faſciculis adhibebo curam; miſſis jam Syſtematibus, genera LINNAEANA *(cum ſine exacta generum conſtitutione, nec expeditior unquam, nec certior Botanica ſperari poſſit, ut jam dudum* LUDWIGIUS *&* BOEHMERUS *perſpicientes multo labore obſirmavere) ad naturam ex profeſſo exigam, exactiores etiam ſpecierum deſcriptiones communicabo; ſimplici inſuper, ut incoepi, aſteriſco in* Elencho *non ſcriptas ſtirpes notabo, duplici eas, quae & in* Elencho, & Enumeratione *omiſſae fuere, ſupplementum etiam illarum daturus, quae in propriis Faſciculis deſiderantur, quarum jam duas ex antiſcorbuticis poſſideo aeri inciſas, alpeſtrem unam rariſſimam, alteram non adhuc ſcriptam, & ſemper ſat cito,*

ſi ſat bene.

CLAS-

CLASSIS
MULTI-STAMINUM.

Character in multitudine ſtaminum vertitur, qui ſi in plurimis ad primum aſpectum manifeſtus, eſt tamen, quia natura ſaltum non facit (Fund. Botanic.) etiam in illis exactius definiendus plantis, quæ pro ſuo jure ad hanc Claſſem aſpirant. Itaque plantam multiſtamineam eam conſtanter voco, quæ viginti & plura ſtamina habet; & hujus Claſſis erunt, cæterum ab ipſo non ſatis diſtincta auctore, *Icoſandria* & *Polyandria* LINNAEI, non vero *Dodecandria*, dum hæc adeo varians, maximam in determinatione ſtirpium injicere confuſionem, Claſſis ſolet.

ORDINES.

I. *Calyciflora.* Stamina multa calyci inſerta.
II. *Multiloculares.* Stamina multa. Capſula ſicca multilocularis.
III. *Multiſiliquæ.* Et Stamina, et ſiliquæ multæ.
IV. *Rhoeades.* Stamina multa; vis ſoporifera.
V. *Columniferæ.* Stamina multa in columna.

DIVIS. ORD. I.

I. Seminibus nudis.
II. Seminibus incluſis.
III. Pomis umbilicatis.
IV. Pomis umbilico deſtitutis.

ORD. III.

I. Siliculis clauſis, liberis.
II. Siliculis clauſis, receptaculo communi exceptis.
III. Siliculis apertis.

Alii ob paucitatem individuorum diviſionem non poſtulant. Genera iam ſuis ſedibus definiuntur omnia.

I. CALY-

Digitized by Google

I. CALYCIFLORAE.

SEMINIBUS NUDIS.

I. GEUM calyce monophyllo; 8-10-fido; ſemine caudato.

1. Caryophyllata Offic.
2. Montanum.
3. Nutans.
4. Chamædryfolium.

II. FRAGARIA receptaculi frago ſicco vel carnoſo.

1. Anſerina.
2. Rupeſtris.
3. Supina.
4. Paluſtris.
5. Argentea.
6. Verna.
7. Rubens.
8. Villoſa.
9. Aurea.
10. Alba.
11. Cauleſcens.
12. Recta.
13. Pentaphyllum Offic.
14. Tormentilla Offic.
15. Dubia.
16. Veſca.

SEMINIBUS INCLUSIS.

III. RUBUS calyce quinquefido, petalis quinque, bacca acinis monoſpermis.

1. Idæus Offic.
2. Fruticoſus.
3. Cæſius.
4. Saxatilis.

POMIS UMBILICATIS.

IV. ROSA calyce carnoſo; petalis quinque; ſeminibus hiſpidis.

1. Cinamomea.
2. Cynosbatos Offic.
3. Spinoſiſſima.
4. Centifolia.
5. Alba.
6. Rupeſtris.
7. Auſtriaca.
8. . . . . .

V. MESPILUS calyce quinquefido; petalis quinque; fructu diſſepimento & loculis carente.

1. Germanica.
2. Cotoneaſter.
3. Oxyacantha.

VI SORBUS calyce quinquefido, petalis quinque, fructu loculis inſtructo.

1. Chamæmeſpilus.
2. Torminalis.
3. Aria.
4. Domeſtica.
5. Aucuparia.
6. Amelanchier.
7. Pyrus.
8. Malus.
9. Cydonia.

POMIS

POMIS UMBILICO DESTITUTIS.

VII. PRUNUS calyce quinquefido; petalis quinque; drupæ nuce ſuturis prominatis.

1. Acacia Germ. offic.
2. Ceraſa offic.
3. Pruna offic.
4. Padus.
5. Mahaleb.

II. MULTILOCULARES.

VIII. TILIA calyce quinquefido; petalis quinque; capſula ſicca quinqueloculari, quinquevalvi.

1. Officinarum.

IX. HYPERICUM filamentis in manipulos ordinatis & ſeſe decuſſantibus.

1. Villoſum.
2. Elegantiſſimum.
3. Maculatum.
4. Quadrangulum.
5. Officinarum.
6. Montanum.

X. CYSTUS calyce quinquefolio: foliolis duobus minoribus.

1. Helianthemum.
2. Helianthemoides.
3. Serpillifolius.
4. Fumana.
5. Canus.
6. Alpeſtris.
7. Sequieri.

III. MULTISILIQUAE.

SILICULIS NON DEHISCENTIBUS LIBERIS.

XI. THALICTRUM calyce nullo; petalis quatuor; ſiliquis monoſpermis nudis.

1. Bauhini.
2. Anguſtifolium.
3. Flavum.
4. Aquilegifolium.
5. Minus.
6. Majus.

XII. SPIRAEA calyce quinquefido; petalis quinque; capſulis monoſpermis.

1. Aruncus.
2. Ulmaria.
3. Filipendula.

Digitized by Google

SILICULIS NON DEHISCENTIBUS, RECEPTACULO COMMUNI EXCEPTIS.

XIII. ADONIS calyce quinquefolio; petalis 8-12; receptaculo ſpicato.
1. Helleborus.
2. Annua.

XIV. RANUNCULUS unguis petali fovea, vel tuberculo.
1. Sceleratus.
2. Sardous.
3. Auricomus.
4. Aconitifolius.
5. Illyricus.
6. Rutæfolius.
7. Alpeſtris.
8. Bulboſus.
9. Repens.
10. Napellifolius.
11. Breyninus.
12. Nivalis.
13. Echinatus.
14. Aquatilis.
15. Lanuginoſus.
16. Teſticulatus.
17. Pthora.
18. Ficaria.
19. Lingua.

XV. ANEMONE loco calycis involucro aut 3. foliis.
1. Hepatica.
2. Nemoroſa alba.
3. Nemoroſa lutea.
4. Narciſſiflora.
5. Sylveſtris.
6. Pulſatilla.
7. Pratenſis.
8. Alpina.

XVI. CLEMATIS calyce nullo; petalis quatuor; ſeminibus ariſta piloſa præditis.
1. Vitalba.
2. Recta.
3. Nutans.

XVII. ATRAGENE calyce quadriphyllo; petalis duodecim minimis; ſeminum cauda plumoſa.
1. Clematidis.

SILICULIS DEHISCENTIBUS.

I. FLORE IRREGULARI.

XVIII. AQUILEGIA calyce nullo; petalis quinque; nectariis quinque corniculatis; ſiliquis diſtinctis.
1. Vulgaris.

XIX. ACONITUM calyce nullo; petalis quinque irregularibus: ſupremo galeato.
1. Napellus.
2. Lycoctonum.

XX. DEL-

XX. DELPHINIUM calyce nullo; petalis quinque radiatis: ſexto in centro bifido.

1. Conſolida. 2. Aiacis.

XXI. NIGELLA calyce quinque foliolis bifidis; corolla octo in orbem poſitis.

1. Arvenſis. 2. Damaſcena.'

II. FLORE REGULARI.

XXII. HELLEBORUS calyce nullo cum petalis quinque & corniculis bilabiatis; capſulis polyſpermis.

1. Hyemalis. 3. Viridis.
2. Niger.

XXIII. TROLLIUS calyce nullo; petalis 12-14; ſiliquis monoſpermis.

1. Altiſſimus. 2. Humilis.

XXIV. ISOPYRUM calyce nullo; petalis quinque; ſquamis quinque; ſiliquis arietinis.

1. Thalictroides.

XXV. POEONIA calyce quinquefolio; corollæ quinquepetalæ, ſtylis nullis.

1. Officinalis.

XXVI. CALTHA calyce nullo; petalis quinque; ſiliquis ſtellatis.

1. Paluſtris.

IV. RHOEADES.

XXVII. PAPAVER calyce bifolio; petalis quatuor; capſulæ operculo radiato.

1. Rhœas. 3. Burſeri.
2. Album, & nigrum Offic. 4. Dubium.'

XXVIII. CHELIDONIVM calyce bifolio; petalis quatuor; ſiliqua longa, nodoſa, uniloculari.

1. Majus Offic.

XXIX. GLAUCIVM calyce bifolio; petalis quatuor; ſiliqua fungiformi, pileata, biloculari.

1. Flavum. 2. Phœniceum.

Digitized by Google

XXX. ACTAEA calyce quadrifolio; corolla quadripetala; fructus bacca uniloculari.

1. Spicata.

XXXI. NYMPHAEA calyce 4. 5-folio; corolla polypetala; fructu multiloculari.

1. Lutea   2. Alba.

V. COLUMNIFERAE.

XXXII. MALVA calyce duplici; exteriore triphyllo; capſulis monoſpermis.

1 Rotundifolia.   2. Sylveſtris.

XXXIII. ALTHAEA calyce duplici: exteriore novemfido; capſulis monoſpermis.

1. Officinalis.
2. Cannabina.
3. Hirſuta.

XXXIV. LAVATERA calyce duplici: exteriore trifido; capſulis monoſpermis.

1. Thuringica.

ORDO

Digitized by Google

ORDO I.
CALYCIFLORARUM.

CHARACTER ordinis, in ſtaminibus multis ex calyce ortis.

SEMINIBUS NUDIS.

GEUM.

CHARACTER, eſſentia in calyce monophyllo octo vel decemfido, ſeminibus caudatis.

Obſervatio I. Conjungit hic Character duo Genera LINNAEI, Geum nempe & Dryas, quæ vi quadam, ob lævem ſcrupulum diſtracta ſeparataque fuerant. Caryophyllatam cum TOURN. plantam dicere non potui, quod præter officinalem illam nulla radicem Caryophyllati ſaporis habeat.

Obſervatio II. Geo aſſignatus a LINNAEO Character multum fallit. Cum enim nullus Character infallibilis antequam ſecundum omnes ſpecies directus ſit; *Philoſoph. Botanicæ* §. 193. LINNAEUS Geo appictus Character ſecundum omnes ſpecies dirigi non poſſit; etenim in hoc requiruntur ſemina cauda piloſa inſtructa, hæc in Geo *Urbano* LINNAEI eandem conſtanter nudam, nunquam piloſam habeant, patet propoſitionis veritas.

Obſervatio III. Geum diſtinguitur facile a Fragariis ſeminibus longe caudatis vel nudis vel piloſis, quibus confunderetur cum Anemone, Clematide, Atragene; ab his vero diſcriminatur & calyce & flore.

1) *Geum Officin. caryophyllata.*
Geum floribus erectis, fructu globoſo, ariſtis uncinatis nudis.
Caryophyllata pinnis paucioribus rhomboideis, tubarum fine uncinato HALL. *Helv.* ſpec. I.
Caryophyllata Omnium. BLAKW. T. 253.

Inveni in ſylva *Dornbach*, circa *Dornbach*, *Mauerbach*, etiam in *Tabor*, *Brigitau*, Inſulis aliis Danubialibus.

Semina & placenta hirſuta.

Ariſta longa, glabra, uucinata.

a.) *Geum Montanum.*

Geum flore erecto ſolitario, fructu oblongo, ariſtis villoſis.

Caryophyllata pinnis confertioribus; extrema ſubrotunda, tubis erectis, HALL. *Helv.* ſpec. II.

Caryophyllata montana II. CLUS *Hiſt.* p. CIII. Icon commoda.

Caryophyllata montana. CAMM. Epit. p. 727. Icon boua.

II. Caryophyllata alpiua minor. C. B.

Cariophyllata alpina minima flore aureo. BARREL. *Icon.* 399. bene.

Caryophyllata alpina omnium minima. PON. apud CLUS.

In omnibus alpibus, locis fuſa nive udis reperi, ut & KRAMERUS, copioſiſſime vero in itinere ex alpe *Breynina* in *Grünſchacker Alpen.*

Floris petala ex tota gente maxima, flava, patentia, margine rotundo. Caulis exiguus, folia longiſſima radicalia.

3.) *Geum nutans.*

Geum floribus uutantibus, fructu oblongo, ariſtis plumoſis.

Caryophllata pinnis frequentioribus, extrema ſemitrifida, flore connivente uutaute. HALL. *Helv.* p. 336.

Caryophyllata alpina nutante flore. CLUSII *Pannon.* 434. bona Icon; Montana I. *Hiſt.*

II Caryophyllata montana III. CLUSII. *Hiſt.* p. CIIII.

Etiam hæc mihi in alpibus lecta eſt.

Et Caulis & Calyx profundius purpurei, tenui lanugine obſiti. Flos nutans. Petala in modum ventilabri explicata, externa facie lineis ſanguineis pulchre picta, interna obſoleta magis viſuntur.

4.) *Geum Chamædryfolium.*

Geum flore erecto, octopetalo, fructu oblongo, ariſtis lanigeris.

Caryophyllata alpina chamædryos folio. MOR. RAI. TOURN. SCHEUCHZ.

Chamædrys montana CLUSII *Hiſt.* I. p. 351. bona Icon, & deſcriptio.

Chamædrys alpina ciſti flore C. B.

In ſummis Auſtriacarum alpium iugis frequens, CLUSIUS; in *Schneberg* primo inveni, dein *Etſchero*, etiam in ſubalpinis *Etſcheri*, ad viam *Hockenberg*, prope prædium Parochi, latiſſimo ceſpite lætiſſime florentem, qualem figura TABERNEMONTANI ſub nomine *Chamædris alpinæ ciſti flore* exprimit, admirabar: nuper etiam iterato ex alpe *Breyn* retuli.

Planta lignoſa, ceſpitoſa.

Folium chamædryos, ſubtus incanum.

Scapus

Scapus aphyllos, quandoque bractea inſtructus, in alpibus dilute rubens, hirſutus.

Calyx nigris villis aſperſus, laciniis villoſis.

Flos lacteus petalis narciſſi forma.

Fructus arcuatus, piloſus, ariſtis lanigeris ex ſubtenſa egredientibus, ita conſtanter invenio in alpibus.

Obſervatio I. Flos lacteus in herbario brevi in flavum commutatur, ut inde græca horti ſicci fides pateat.

Obſervatio II. Petala floris numero variant, in icone illa eleganti CLUSII decem ſunt, totidem calycis ſegmenta: ſimile exemplar ſiccum etiam ego habeo; habeo & aliud ſolum ſex conſtans, plerumque tamen octo ſunt, raro pentapetala eſt, tamen huic Claſſi inſcripſit BOEHMERUS. A Geo divelli non poteſt, & neſcio cur voce Dryas, faſcinatus cæterum æquus HALLERUS.

FRAGARIA.

CHARACTER in receptaculi frago, aut ſicco aut carnoſo; adde calycis ſegmenta 8. 10. Petala 4. 5.

Obſervatio I. Conjunxere non infeliciter LUDWIG, BOEHMER, SCOPOLI, Comarum, Fragariam, Potentillam; ſed genus Fragariam malui dicere quam Potentillam: nam, & in Potentillis eſt quid frago ſimilis fructus, & datur Fragaria non veſca, & Potentilla nihil ſignificat, & novæ creationis eſt potens-illa: adde quod LINNAEO diſpliceant nomina in Oides, aliis in illa, et juxta criticam Botanicam „Nomina generica „ex duobus vocabulis latinis integris, & conjunctis compoſita, vix tol-„leranda eſſe.„

Hinc nec *impatiens*, nec *potens*, nec *potens-illa*, nec *potentillaſtrum* an *potentilloides*? LINN. *Crit. Botan.*

FOLIIS PINNATIS.

1.) *Fragaria Anſerina.*

Fragaria repens, ſcapo nudo unifloro, pinnis plurimis confertis, minoribus intermixtis. HALL. *Helv.* 338.

Potentilla foliis pinnatis ſerratis, caule repente LINNAEI.

Argentina potentilla LOB. Ic. p. 693. BLACKW. T. 6.

Anſerina

Digitized by Google

Anſerina argentina potentilla. TAB.
Pentaphylloides argenteum alatum, ſeu potentilla I. R. H.

Nihil vulgatius in tota Auſtria ad ripas, foſſas, circa urbem, pagos, Ego ad Viennæ rivum prope *Schönbrun*, in *Statgut* ad aquarum ſtagnantium foſſas, ad viarum publicarum decliviora loca, circa *Neudorff*, *Draskirchen* &c.

Folia pulchre ſecta, inferna parte argentea. Stolones repentes rubri ſunt. Flos flavus.

2.) *Fragaria Rupeſtris.* *

Fragaria foliis pinnatis alternis: foliolis quinis ovatis crenatis, caule erecto.
Quinquefolium V. fragiferum CLUSII. *Hiſt.* p. CVII. c. B. *pin.* 326.

Ad Leytaberg arcem, in media ſylva ſupra *Mannersdorff*, ſupra *Petersdorff*, CLUSIUS; inter *Dornbach*, & *Neuſtifft*, KRAMER, in ſylvis *Farenfeld* Ego reperi, etiam alibi, circa Durrenſtain:

Radix nigra craſſa.

Caulis erectus, ſplendeus, purpureus leni pube obſitus, pedalis & altior in ſummitate ramoſus; cæterum longe nudus.

Folia circa exortum caulis multa latis vaginis & membranaceis & auriculatis orta in petiolo viridi magnis ſatis diſtantiis ordinantur, tribus quatuorve pinnarum paribus cum impari. Hæc ambitus rotunde rhomboidei a nervo inæqualiter dividuntur venoſa ora profundius & levius inciſa glabra, vix piloſa; impar fere ſemper majus eſt & regularius factum.

Folia circa exortum ramoſum vaginis auriculatis viridibus herbaceis etiam oriuntur ramum amplexantibus, pinnis ſimilibus, licet magis approximatis & numero paucioribus.

Summitas caulis ut & ramorum multiflora.

Pedunculi villoſi bini, terni, plures.

Calyx gentis alternis quinque minoribus flore deflorato patentibus, quinque majoribus circa ovarium complicatis: omnibus ut pedunculi villoſis.

Corolla pentapetala nivea: petalis limbo rotundis patentibus, anguſto ungue exortis.

Antheræ rotundatæ flavæ.

Receptaculi fragum convexum, ſiccum.

3) *Fragaria*

Digitized by Google

3.) *Fragaria Supina.* •

Fragaria foliis pinnatis, caule dichotomo decumbente.
Pentaphyllum ſupinum quorundam potentillæ facie, CLUS.
Quinquefolio fragifero affinis C. B. p. 326.

Frequens in agro Viennenſi, in extremis pratorum marginibus ſecùs ſylvas CLUSIUS; Ego ad *Nusdorff* in prato inter-danubiali.

Ab Anſerina facile diſcriminatur, quod nec repat, nec folia ſubtus incana habeat.

4.) *Fragaria paluſtris.*

Fragaria foliis pinnatis ſubhirſutis, petalis minimis.
Fragaria 4. TRAGI p. 501.
Quinquefolium paluſtre. CAMM. *Epit.* 762.
Pentaphylloides paluſtre rubrum. I. R. H.
Comarum L. malum nomen, quaſi fragum græcis deſignaret aliam rem, quam fragum latinis.

In Pratis udis *Gundermansdorff* inveni; in *Fiſchamentenſibus* KRAMER.

Paluſtris planta definitione facile ab omnibus diſſociatur. Calyx ruber, petala calyce minora ſunt:

FOLIIS DIGITATIS.

5.) *Fragaria* ſubtus *argentea.*

Fragaria foliis quinatis cuneiformibus & cuneiformiter inciſis, ſubtus tomentoſis: caule firmo erecto.
Potentilla foliis quinatis anguſtiſſimis ſubtus tomentoſis, caule erecto. HALL. *Helv. ſpecies* 10.
Quinquefolium folio argenteo C. B. *pin.*
Pentaphyllum minus. CAMM. *epit*, nec deſcriptio nec icon commoda.
Pentaphyllum erectum foliis profunde ſectis, ſubtus argenteis, flore luteo. I. B. II. bene, MOR. I. T. 19. F. II. infimum folium bene.

In valli ſuburbici Belveder illa, maxime parte, quæ Collegium Thereſianum ſpectat, creſcit copioſe tum ad margines ſylvulæ *Gatterholz*, circa *Symmering*, in monte ſupra *Petersdorff*, ſupra *Grinzing*, etiam in *Hernals*, & *Lichtenthal*, per totam Auſtriam.

Diſtinctionis notæ dictæ ſunt definitione: ſubtus argentea eſt, ut anſerina, ſed folia cuneiformia habet, quinata, quæ in alia non obtinent. Caulis firmus multum folioſus & ramoſus non ſemper invenitur erectus. Flos ſulphureus eſt, foliolis calycinis manifeſtius inter petala pro altitudine plantæ exigua, conſpicuis.

6.) *Fragaria verna* TAB. I. F. 1.

Fragaria foliis ternatis quinatisque ſubtus canis, caulinis ternatis.

Potentilla foliis quinatis, obtuſe in apice ſerratis, petalis cordatis HALL. *Helv.* p. 340.

Quinquefolii IV. flavo flore I. ſpecies CLUS. *Hiſt.* p. CVI. etiam cum foliis ternatis, bona icon.

Quinquefolii IV. flavo flore II. ſpecies CLUS. Icon itidem bona, licet priori magis hirſuta omnia picta, ut plerumque ſunt.

An Quinquefolium minus folio ſubtus albicante I. B. II. p. 398. a. HALLERUS interrogat, bonum nomen, ſed non eſt ſequens

Quinquefolium minus repens aureum SCHEUCHZ. iter V. p. 427.

Quinquefolium minus XIII. TABERN. icon, niſi quod caules altiores firmioresve videantur.

An potentilla *verna* L?

An potentilla *opaca* Ejusdem? non videtur.

Ad vias locis ſiccis & nudis nihil vulgatius CLUSIUS; ita et Ego reperi, tum ad margines ſylvulæ *Gatterholz*, *Simmering*, *Incersdorff*, in montibus vero *Rodaun*, *Baden*, *Mödling*, aliis apricis hac nihil frequentius.

Habitus ad vias pulverulentus, in montibus viridis: Folium ubique ſubtus incanum, nervis & ora argenteis.

Obſervatio. In definitione hujus plantæ inſuperabilem eſſe confuſionem & immedicabilem, ſtatim *Clariſſimus* HALLERUS monuit, mederi LINNAEUS in poſterioribus curis voluit, & varias, quas ſub una denominatione accumulaverat ſtirpes, ſeparare, ut jam *vernam* unam, alteram *opacam* dixerit: ſed ex definitione LINNAEI nihil intelligo, & quid obſervando compererim, patefaciam.

Et primo quidem quinquefolia illa duo CLUSII una eademque planta eſſe videntur; & jam obſerves folia radicalia omnia ternata in his, ternata & quinata in aliis petiolis prodeuntia, qualia TAB. I. F. 1. curavi exprimi, ut in hac re & HALLERI & aliorum dubium ſolutum. Sed etiam differentia, quam inter has, cum CLUSIUS, tum LINNAEUS poſuere, componenda eſt; Cauliculi in utrisque modo virent, modo purpuraſcunt, modo æque graciles, modo minus deprehenduntur: folia eadem cuneiformia, licet in his latiora, in aliis anguſtiora, etiam ora minus aut magis ſecta, quod in diuerſis foliis & ſpeciminibus verum. Radix in omnibus eadem, pro ratione ſoli plus minusve nigra, & caules filiformes decumbentes, ut, quomodo *opacam* LINNAEI Potentillam, a *verna* ex his duabus CLUSII cognoſcere valeas, deſperes.

Radix

Digitized by Google

Radix duabus illis CLUSIANIS perennis eſt, plus minusve nigra, horizonti parallela, longe repens, per intervalla ſurculos novos emittens humifuſos.

Caules plurimi, declinati, filiformes, debiles, brevi emarcidi, ſub foliis abſconditi.

Folia cuneiformia evidentiſſime, ad vias facie pulverulenta, in montibus apricis læte, ad muros obſcure viridia, dorſo omnia ſemper incana, pilis ſericeis, argenteisque, nervum, venas, oram foliorum cingentibus.

Petioli iam virides, iam purpuraſcentes, villoſi pariter.

Folia ad caulis exortum quinata, dein ternata.

Petala lutea, cordata, non maculata.

Fructus frago ſimilis, receptaculis hirſutis.

An forte intellexerit CLUSIUS aliam illam vernalem rariorem, quam ad ſylvarum aridarum margines inveni, & quæ definiri poſſet

7.) *Fragaria Rubens* * *
Fagaria foliis quinatis anguſtis cuneiformibus, & cuneiformiter ſerratis, piloſis, caulibus filiformibus rubentibus.

Hæc quidem præcedenti rarior, radicem habet magis nigram, præcedentium annorum exſuccis vaginis ſquamatam, in terram demerſam.

Caulis unus alterve præcedenti duplo altior, & rectior, non proſtratus, licet etiam gracilior purpureus, hirſutus, pilis ſatis longis.

Petioli duplo triploque præcedenti altiores, longis pilis conferti, ſuſtinent folia quinque, vix lineam cum dimidia lata, cuneiformia, & tota fere longitudine cuneiformiter ſerrata, nervo in dentem eminente acuminato, qui in præcedenti aut ſectus, aut eſſet depreſſus, retuſus; etiam hæc tota piloſa ſunt & facie & ora, & dorſo quo incana; folia caulina ex ampliori vagina biauri, quinata in initio, dein ternata, ut in priori.

Flos, & *receptaculum*, eadem.

Obſervatio I. Icones ambæ CLUSIANAE huic plantæ non conveniunt, videtur tamen huius dediſſe deſcriptionem, dum alteram curaret æri incidi.

8.) *Fragaria villoſa* TAB. I. F. 2. * *
Fragaria foliis radicalibus quinatis, obtuſe & alte ſerratis: floribus ſuboppoſitis trifidis, petalis maculatis.

Digitized by Google

An Potentilla foliis radicalibus, quinatis, cuneiformibus, ſerratis, caulinis ſub oppoſitis, ramis filiformibus decumbentibus *Cent.* I. LINN. in noſtra caules filiformes non ſunt nec decumbentes.

Quinquefolium minus repens aureum SCHEUCHZ. *iter.* V. p. 427. Egregia deſcriptione, petalis coloris aurei, ad ungues crocei, ſeu rubentis magis, calyce viridi hirſuto, qua hirſutie veſtita eſt tota planta.

Pentaphyllum minus, magis villoſum, flore aureo, foliis altius ſectis. MOR. II. p. 190. bonum nomen.

Ad pedem *Geſletz* alpen, etiam in aſcenſu *baxrigel*, in *Schneleiten*, inter muſcum, inveni non deſcriptam Botanicis noſtris, aut aliis plantam, quam hodie in hortulo alo.

Habitus opacus, piloſus, non incanus, fere potentillæ rectæ quoad folia, niſi quod non adeo longa ſint.

Radix ſummo capite folioſa, nigra, quinque foliorum, plerorumque more.

Petioli primores aliquot exigui, ſemidigitales, ſequentes longiores, digitales, ad exortum ex vagina oriuntur biauri; hi villoſi, canaliculati, folia ſuſtinent majora, ampliora, quina, exterioribus ſenſim minoribus, medio maximo ambitus obtuſi: hæc alte, & obtuſe ſecundum totam longitudinem utrimque laciniata potius, quam ſerrata, omnia obſcuræ viriditatis, non ſplendentis, ſubpiloſa, nec dorſo cana, ut in illis CLUSII perpetuum eſt.

Folia caulina modo terna, trifida, cuneiformia, modo unum vel quinquefidum, quod rarius, vel trifidum, quod frequentius obvenit, ramorum diviſioni adſtans; ſuprema ſeſſilia, oppoſita, late & alte trifida.

Caules multi villoſi ex viridi purpuraſcentes, mediam ſpithamam alti, craſſiores, & firmiores longe, quam *vernæ*.

Calyx ſegmentis majoribus factus, hirſutus.

Petala flava emarginata, cordiformia, maculata.

Semen fragiforme.

Receptacula hirſuta.

Obſervatio. In hac folia ſeptennata aut novennata nunquam vidi, licet plus viginti conſulerem exemplaria, qua nota LINNAEUS a *verna* diſtinguit *Opacam;* ſed in univerſum huic folia multo majora ſunt, etiam piloſa, quibus ſignis iterum *Opacæ* LINNAEI congrueret. Cur non notavit, an dorſo incana ſit, nec ne? noſtra non eſt, ſed denuo requirit caules

caules filiformes, hi in hac minus, quam in *verna* ſunt; radix atra, ut fere in omnibus, & hæc ſane minime diſtinguit nota. Quæ igitur LINNAEO potentilla noſtra? habet petala maculata, quæ in *opaca* non notantur.

9.) *Fragaria Aurea* *

Fragaria foliis rad. quinatis ſplendentibus, ora argentea, petalis maculatis.

Potentilla foliis quinatis, acute ſerratis, ora ſericea, petalis maculatis HALL. *Helv.* p. 339. icon p. 333. admodum elegans ex planta ſolo pingui enata.

Potentilla foliis radicalibus quinatis acute ſerratis, acuminatis, caulinis ternatis, caule declinato LINN. *Cent.* p. 153.

Quinquefolium aureo flore III. CLUS. *Hiſt.* p. CVI Icon non incommoda.

Quinquefolium alpinum ſplendens SCHWENKF. exigua phraſi bonum nomen.

Quinquefolium alpinum ſplendens aureo flore. I. B. II. p. 398. omnibus aliis definitionibus intelligibilior.

Quinquefolium minus repens alpinum aureum. C. B. I. R. H. SCHEUCHZ.

In herbidis Auſtriacarum alpium jugis CLUSIUS; Ego hac planta nihil frequentius in omnibus alpibus reperi.

Habitus ſplendens.

Diſcriminatur a *verna* foliis apice acutius inciſis, ſplendentibus, quæ nec cuneiformia ſint, nec ſubtus incana, petalis maculatis; *retuſum* & *acuminatum* inter utramque differentiam facere LINNAEUS haud exacto ſigno voluit. Differt vero a præcedenti folio ſplendente, non hirſuto radicali, caulino non oppoſito; a *cauleſcente* folio nitido, ſplendente, quod huic hirſutum rufum villo ſplendente, caule declinato, qui alteri rectus, folioſus, purpuraſcens, exiguus eſt; adhuc multa in petalis differentia eſt.

Obſervatio I. In alpibus noſtris minutula magis, quam HALLERI icone eleganti expreſſa ſit, ſemper invenitur; occurrit tamen, & ſtatura HALLERIANAE æqualis, quales etiam omnes in hortis cultæ eſſe ſolent, & a ſex annis ex Schneberg allatas colo: in notis vero in alpe Breynina, primo itinere ſcriptis, hæc invenio: folia *aureæ* potentillæ in vniuerſum nitidiora ſunt & elegantiora, quam *vernæ*, etiam ſplendentia, quod in verna non reperi. Sunt hæc in ſummis alpibus foliis potentillæ cauleſcentis non majora, & licet lanuginem habeant, parum tamen nitent. Petala aurea maculata. Radix lignea, fibræ duræ; receptacula hirſuta, incana, ut in aliis.

Obſervatio II. In omnibus tribus hiſce Fragariis, videlicet *Verna*, *Aurea*, & *noſtra*, caulis eſt declinatus, ut id ipſum definitioni adjicere

 ſuper-

Digitized by Google

ſuperfluum duxerim, quod pluribus conveniret. De *rubente* forte Figuram in ſupplemento dabo: jam exhibere non potui, quod ſicca eſſet. Non amo exemplaria ſicca, a natura abſunt æri inciſa.

10.) *Fragaria alba.*

Fragaria petiolis & Foliis quinatis, caule procumbente fere altioribus: flore albo.

Potentilla foliis quinatis apice conniventi ſerratis, caulibus filiformibus, procumbentibus, receptaculis hirſutis L. male. Receptacula in plerisque hirſuta ſunt.

Potentilla foliis quinatis, apice retuſo ſerrato, petalis albis oblongis ellipticis HALL. *Helv.* p. 339.

Pentaphyllum I. majus albo flore CLUS. II. p. CV. Icon non bona.

Quinquefolium Sylvaticum V. TABERN. folia apice non ſerrata novella, Icon optima.

Ubique in ſylvis apricis *Gatterholz, Dornbach, Haderkling;* non vidi in alpibus.

Radix ex nigro ruſa ſquammata horizonti parallela.

Folia radicalia ampla, longe petiolata, 3. 4. petiolis ſuffulta, quina, in arcum patentia, ſuperne pulchre viridia, ſplendentia, inferne incana, ex albo ſerico nitida, ora ſericeo villo nitente, inciſa apice, inciſuris apicem reſpicientibus; ſunt etiam aliqua non inciſa novella, & inſtar ventilabri, ut in Alchimilla, plicata:

Caulis raro folioſus, debilis, procumbens, vix ultra folia elatus, defloratus, in terram proſtratus.

Flos albus petalis niveis cordatis.

Receptacula hirſuta.

Obſervatio. Diſtinctiſſima eſt a ſequente, quæ flores in firmis & eminentibus ramis folioſis habeat. Alia dein dicentur.

11.) *Fragaria Caule/cens.*

Fragaria petiolis, & foliis quinatis caule erecto minoribus, flore albo.

Potentilla foliis quinatis, apice conniventi ſerratis, caulibus multifloris erectis, receptaculis hirſutis L. dixi jam ultimum omitti poſſe.

Quinquefolium, cauleſcens erectum, & folioſum HALL. *iter. Helv.* XLVIII. bonum nomen, ut doleam contuliſſe cum priore in *Enumeratione Stirp. Helv. ſpec.* 4.

Quinquefolium umbellatum album, foliis in apice tridentatis SEGUIERI *Veron.* I. p. 498. pulchra definitio.

Quinquefolium II. minus albo flore CLUSII. *Hiſt.* p. CV. Icon bona.

Inter

Inter ſaxa & ſcopulos, ſummis Auſtriacarum alpium jugis CLUSIUS, Ego in *Schneberg Baxrigel*, tum alpe *Breynina* eruebam, ubique etiam in rupibus tenui terra veſtitis creſcentem.

Habitus ruſus cauleſcens humilis hirſutus.

Obſervatio. Difficilis & obſcura non nullorum quinquefoliorum hiſtoria effecit, ut hanc in *itinere Helvetico* N. LII. exactius indigitaret HALLERUS, tum in *Stirp. Helv.* Hiſtoria quinquefolia una definitione plura complecteretur. In ſpeciebus plantarum conjunxerat pariter duo LINNAEUS, quæ dein in *Cent. II. Plantarum* denuo ſeparavit, & recte quidem, quod ſub potentillæ *albæ* definitione cogi nunquam II. *minus flore albo* CLUSII potuerit, quod non haberet caules filiformes, procumbentes, ut illa quidem requirebat definitio; quare etiam jam in notis primi itineris invenio illud *Quinquefidum II. minus albo flore* CLUSII adeo per omnes alpes frequens, quod et LINNAEUS in noſtris alpibus creſcere ſcripſerat, a LINNAEO nunquam viſum, alias everſuro definitionem, ſi cum illa compararetur: credidiſſe CLUSIO, qui aſſereret prioris genus videri per omnia ſimile. Parva cæterum eſt inter utramque affinitas, licet intimam LINNAEUS faciat.

Cognoſcitur definitione, etiam hac ab aliis diſtinguitur, tum exiguorum foliorum villo ſplendente, hirſutie caulis, calycis laciniis ampliſſimis purpuraſcentibus, maxime hirſutis, receptaculis hirſutis ruſeſcentibus, & aliis.

11.) *Fragaria recta* •

Fragaria foliis ſeptenis quinatiſque, ſerratis, utrimque piloſis: caule erecto corymboſo.

Fragaria caule erecto corymboſo, calyce lanato.

Quinquefolium I. majus TABERN. Icon.

Quinquefolium alterum vulgare DODON. *pemp.* 116. Icon.

Pentaphyllum majus erectum PARK. MOR. Icon II. T. 19

Pentaphyllum majus erectum I. B. II. p. 598. Icon.

Pentaphyllum rectum majus, tenuius, villoſius Pannonicum, quod in Pannonia collegit D. AGERIUS. I. B. 398. c. bene.

Creſcit apud nos locis ſiccis, in ſepibus ſylvulæ *Simering*, in ſylva *Gatterholz*, *Dornbach*, & alibi.

Folia radicalia, ex vagina quadrilaciniata, quina, utrimque viridia, inferiori tamen parte dilutiora, ſuperiori obſcurius aut magis triſte viridia,

dia, longe & profunde inciſa, utrimque barbata, barba argentea ſplendente.

Caulina ex caule alto recto, firmo, rotundo, ſæpius purpuraſcente, villoſo, etiam ex longis pediculis in initio, dein minoribus emergentia, quina, ut priora.

Caulis in ſummitate ramoſus, corymboſus.

Calyx alba lanugine ſplendida, admodum piloſus.

Flos ſulphureus antheris profundius in initio flavis, dein purpuraſcentibus, petalis diſtinctis.

Obſervatio. Icones vix non omnes eædem ſine pilis, ut noſtram non exprimant. Annua apud nos non eſt, ut LINNAEUS edixit, quæ jam ſex annis in meo hortulo ex eadem radice quotannis repullulat.

13.) *Fragaria*, Officinarum *Pentaphyllum* *
Fragaria (Potentilla) foliis digitatis, caule repente, pedunculis unifloris L.
Quinquefolium BLAKW. T. 454.
Quinquefolium majus repens C. B. I. R. H. PONT.
Pentaphyllum vulgatiſſimum RAII. t. 611.
Pentaphyllum minus, procumbens, flore luteo vulgare, radiculas emittens ex geniculis MOR. II. p. 189.

In deſcenſu *Kaltenberg*, ad *Kaltenbergerdorff*, in canali ad recipiendas aquas vinearum vidi, poſteaquam ex ſubalpinis attuleram odioſe ſerpentem & vix exſtirpandam plantam, hoſpitatur etiam ad vallum *Belveder*, tum in pratis *Nusdorff*, & alibi ubique.

14.) *Fragaria*, *Tormentilla* Officinarum.
Fragaria foliis quinatis, calyce octofido, flore tetrapetalo.
Potentilla foliis quinatis, flore tetrapetalo, caule erecto, HALLER. *Helv.* ZINN. *Hort.* GOTTING.
Tormentilla Omnium BLAKW. T. 445.
Heptaphyllum FUCHS.
Pentaphyllum aut potius Heptaphyllum flore aureo tetrapetalo, Tormentilla dictum MOR.

Ex alpibus attuli, eſt tamen etiam in ſylvis magis vicinis, *Dornbach*, *Neuſtifft*, *Clauſtro-Neoburgenſibus*, KRAMER.

In Charactere effigies, & diſtinctio, omnibus notæ plantæ. Calyx octofidus, petala quatuor cordata, exigua, maculata.

Obſervatio. Tormentillam ſub potentilla bene propoſuit HALLERUS, quem ſecutus ZINNIUS; conſenſerat LINNAEUS.

FOLIIS

FOLIIS TERNATIS.

15.) *Fragaria dubia* * *
Fragaria (Potentilla) foliis ternatis, petalis cordatis luteis HALL. bonum nomen, non vero icon nec ſynonima.
An? Pentaphylloides minus erectum flore luteo, ternis Fragariæ foliis PLUCKN. p. 284. quod florem habeat parvum.
An Monſpelienſis LINN?

Habui a primo itinere ex *Schneberg* florentem in Horto, unde etiam exemplar.

Folia radicalia ex petiolis hirſutis terna, ovata, obtuſa, æqualiter fere ſerrata, niſi quod duo inferiora ora, quæ caulem ſpectant, tamen longius ſecta ſint.

Caulina longis ſatis pediculis innixa non cauli adhærentia, diverſo ac in aliis more.

Pedunculi ſupra geniculos enati.

Flos parvus luteus.

In adverſariis illius anni invenio noſtram plantam convenire figuræ Fragariæ ſterilis ampliſſimo folio, & flore VAILL. Icon. T. X. ſed folia longe minora eſſe & ſplendere, ut *aurea* ſolet, oram ſericeam habere: video etiam florem noſtrum minus ſpectabilem, ita in *nota*.

Planta, ut videtur, annua eſt.

16.) *Fragaria veſca*, Fragaria *Offic.*
Fragaria flagellis reptantibus, fructu eduli.
Fragaria fructu albo C. B.

Ubique in ſylvis exſectis, etiam in ſterilibus apricis *Leopoldiberg*. Definitione diſcriminatur.

SEMINIBUS INCLUSIS.

RUBUS.

CHARACTER. Calyx quinquefidus, petala quinque, bacca compoſita acinis monoſpermis.

1.) *Rubus idæus* Offic.
Rubus foliis ternatis & quinatis, coſta plerumque inermi, fructu rubro villoſo HALL. *Helv. ſpec.* 3.
Rubus idæus vulgaris CLUSII *Hiſt.* p. 117. cum icone.

Rubus Idæus BLAKW. Tab. 289.
Rubus idæus ſpinoſus C. B.

In Auſtriacis ſylvis frequentem CLUSIUS, circa *Dornbach*, *Nusdorff*, & copioſe circa *Burckersdorff*, KRAMER.

Folia ſubtus albiſſima, dum quinata, pinnata ſunt, prima conjugatione majori.

2.) *Rubus fruticoſus.*
Rubus foliis ternatis & quinatis, coſta ſpinoſa, fructo nigro & lævi.
Rubus vulgaris fructu nigro C. B.

Circa *Dornbach*, *Burckersdorff*, KRAM. Ego in ſylva cædua *Haderkling*, *Rodaun*, & alibi, paſſim etiam in ſubalpinis ſylvis.

3.) *Rubus Cæſius.*
Rubus foliis ternatis ſubnudis, lateralibus bilobis, caule aculeato tereti L.
Humilis rubus TRAGI.
Rubus repens fructu cæſio C. B. I. R. H.
Rubus minor fructu cæruleo I. B. II. p. 59.

In agris paſſim circa *Rodaun*, in dumetis & alibi KRAMER, & Ego.
Folia pubeſcentia tomentoſa, habitus humilior nigrior, ſatis ſuperque hunc diſcriminant a rubo *idæo*.

4.) *Rubus Saxatilis* *
Rubus foliis ternatis, nudis, flagellis reptantibus, herbaceis.
Rubus ſaxatilis, ſeu petræus CLUSII *Hiſt.* p. 117.
Rubus alpinus humilis I. B. SCHEUCHZ. iter VI. & VII. etiam I. ſub nomine C. B.
Chamærubus ſaxatilis C. B. RAII.

In ſaxoſis collibus *Neuberg* CLUSIUS: Ego ad rupes *Kuplanken-Schneberg* 1758, etiam *Etſchero*, & abunde in catena alpium *Breyninarum.*
Habitu herbaceo, foliis ulmi varie circumſerratis, & definitione diſcriminatur.

POMIS UMBILICATIS.

Obſervatio. Nullibi major, quam in generibus hujus ordinis definiendis confuſio, etiam apud illos, qui ex fructu ſuum ſtabilitum ivere ſyſtema, evidens; & Cratægi & Sorbi, & Meſpili non recte diſcriminaſſe genera TOURNEFORTIUM mirum haud eſt, dum nec RAIUS, nec alii potuere.

Difficul-

Digitized by Google

Difficultatem LINNAEUS clare perſpexit, non ſuſtulit: licet enim in Generibus ſuis ita ſcribat „ex dictis patet, valde affinia eſſe genera Cra-„tægum, Sorbum, & Meſpilum, ut aut ſolo numero fœminarum, aut „vix ulla ſufficienti nota diſtingui poſſint„ tamen in poſterioribus curis novi ſyſtematis naturæ, quanquam ab HALLERO admonitus, etiam a ZINNIO, SCOPOLI, qui hæc tria ſub uno coëgere, in pluribus convictus nihil emendavit, ut etiam pro ſuo jure demirentur LINNAEANI, quid cauſæ fuerit, cur fruticem *Cotoneaſtrum forte Geſneri* CLUSIO dictum, ab HALLERO inter Cratægos ordinatum, LINNAEUS adhuc transmigrare juſſerit ad Meſpilos.

Sed quoniam non ſolum alieno intruſam conventui hanc ſtirpem, ſed & alias multas a LINNAEO, & ipſis his LINNAEANIS iniquo ſubſellio locatas, & indiſtinctos & falſos plerorumque generum Characteres deprehendo, nec ex horum præſcriptione, aut Meſpili, aut Cratægi, aut Sorbi, aut Pyri cognoſci unquam, minus adhuc a ſe invicem diſtingui poſſint, aliam inii viam, ut determinanti plantam, non adeo aqua, ut omnibus ex LINNAEANO prototypo inevitabiliter accidit ſemper, hæreret.

Atque dum in hac pateſacienda eſſem totus, facile perſpexi, etiam hujus ſectæ, Meſpilos, & Sorbos a pyris diſtinctos non eſſe, & majori jure Meſpilum *Amelanchier* L. Sorbum *domeſticam* ejusdem, & Pyrum ſub uno eodemque genere, quam Malum et Pyrum TOURNEF.: Prunum & Ceraſum ejusdem, proponi poſſe; ſi enim „mi-„rum, omnes a ſæculis, pyri unicum genus in tria diſpeſcuiſſe, licet „omnium notiſſimum, quod genera e ſpeciebus, ſpecies e varietatibus „conſtituerint „ ut monet in *generibus* LINNAEUS, de Meſpilo, & Sorbo, & Pyri ſpeciebus, ignorari id pariter non debuiſſet. Quare hæc tria genera in duo contraho, aliis inſiſtens notis, dum expertus, a ſolo & adeo variabili his feminarum numero, ea ſtatui haud poſſe, quod dudum ante me Cl. HALLERUS intellexerat, dum diſtincte in *Enumeratione plantarum Horti Regii & Agri Gotting.*: Sexuales moneret „Tubarum & ſe-„minum numerum variabilem nimis eſſe, quam ut genera conſtituat p. III.

 ROSA.

Digitized by Google

ROSA.

CHARACTER. Calyx carnoſus, quinquefidus, Petala quinque. Fructus umbilicatus, coriaceus, coloratus. Semina hiſpida calycis interiori lateri affixa.

1.) *Roſa Cinamomea.*
Roſa germinibus globoſis pedunculiſque glabris, caule aculeis ſtipularibus, petiolis ſubinermibus L. addit ipſe ſequentia ſynoolma.
Roſa non ſpiooſa calycis foliolis indiuiſis, fructu oblongo HALL. *Helv. ſpec.* 2. p. 348. male hic miſcetur HALLERI Roſa.
Roſa ſylveſtris odoratiſſimo rubro flore C. B. *pin.* 483. bene, judicio HALLERI.

In hortis frequentiſſima KRAMER.

2.) *Roſa ſylveſtris.* Offic. *Cynosbatus*
Roſa germioibus pedunculiſque glabris, caule petiolliſque aculeatis L.
Roſa ſylveſtris vulgaris, flore odorato incarnato C. B. *pin.*
Roſa vulgo proveniens CAM. *epitome.*
Roſa canina ſylveſtris BLAKW. T. 8.

Paſſim in dumetis ubique, tum inter vineas ad *Kaltenberg*, etiam ad vias publicas, non infrequens in vallo ſuburbico inter *Belveder*, & St. *Marcum.*

Petala in his nivea, in illis carnea, in aliis rubra magis, cordata, parum odora. Foliola calycina fere ſemper duo indiviſa, duo duobus lateribus, unum uno laciniata.

3.) *Roſa ſpinoſiſſima.*
Roſa germinibus globoſis glabris, pedunculis, caule, petioliſque aculeis conſertis.
Roſa germioibus ovatis glabris, pedonculis hiſpidis, caule petioliſque aculeatis L. male germina globoſa ſunt.
Roſa calycis foliolis indiviſis, pomo globoſo HALL. *Helv.* I. *ſpecies* bene.
Roſa campeſtris ſpinoſiſſima, flore albo odorato C. B. *pin.* I. R. H. VAILL.
Roſa ſylveſtris pomifera minor C. B.
Roſa campeſtris odorato flore CLUSII *Hiſt.* I. p. 116. Icon commoda.

Invenitur multis circa Viennam locis præſertim montoſis, & editioribus, CLUSIUS; ad agrorum margines paſſim, præſertim inter *Dornbach* & *Hernals* ac circa *Leytæ-pontum* KRAMER; inter *Medling* & *Gatterholz*, copioſe in ſylvula *Incerzdorff*, etiam in ſepibus *Simmeringer Wald* abundanter, & ubique Ego reperi, & jam addo.

Roſa

Digitized by Google

Roſa pumila ſpinoſiſſima foliis pimpinellæ glabris I. B. RAII.
Roſa montis Chaſſeral HALL. *Helv.* I. *ſpec.*

Obſervatio I. Explicatione, foliis pimpinellæ novenis, ſeptenîſque acute ſerratis, & ſpiculis rubeſcentibus confertis, calycibus indiviſis in pomo globoſo, ſplendente, glabro erectis, diu perſiſtentibus, coloratis, facile ab omnibus aliis diſtinguitur.

Obſervatio II. Dum jam in fruticem ſatis validum ramoſum adolevit planta ligneſcens, rami aculeis deſtituuntur, & hinc inde ſparſas ſolum ſpinulas habent *muticas*, & pedunculos in his ut pomum coloratos glabros inveni, & calyces etiam in uno alterove, in calycinis apendiculis dentatos, & poma in pluribus ovata, ut excuſari omnino LINNAEUS poſſit, qui fere contra omnium Botanicorum obſervationem, pomum ovatum dixit; ſed quid? quod pedunculos in initio rubros ſubinermes, plurimos etiam, ubi pomum ex rubro jam nigrum fit, nigros glabros inveniam? Sed & in junioribus ex morbo degenerantibus foliis, in hac magis, quam in alia ſpecie, poma concreſcunt kermeſina, folioſa, oſſea, qualia plurima exemplaria legi in Simmering Wald.

4.) *Roſa centifolia.*
Roſa germinibus ovatis pedunculiſque hiſpidis, caule hiſpido aculeato, petiolis inermibus.
Roſa multiplex media.
Roſa centifolia batavica II. CLUSII. *Hiſt.* p. 114.

In Hortis.

5.) *Roſa alba.*
Roſa germinibus ovatis, glabris, pedunculis hiſpidis, caule petioliſque aculeatis. L.
Roſa alba vulgaris major. C. B. *pin.*

Ad *Teuffelsmühl*, & alibi paſſim.

6.) *Roſa rupeſtris* *
Roſa germinibus glabris, pedunculis hiſpidis, caule, petitioliſque inermibus.
Roſa non ſpinoſa, calycis foliolis indiviſis, fructu oblongo. HALL. *Helv. ſpec.* 2. bene.
Roſa non ſpinoſa. HALL. *iter. Helv.* Numero XXVII. nitida deſcriptio cum ſynonimis.
Roſa ſaxatilis colore floris ruberrimo. CAMM. *Epit.* p. 99.
Roſa alpina ſpinis carens BURSERI. *Act. ſuec.* p. 585.

Roſa rubello flore parvo ſimplici non ſpinoſa. I. B. p. 39. RAII *ſyllog. exter.* p. 219. bene, non vero
Roſa ſylveſtris odoratiſſimo rubro flore. C. B. *pin.* 483, nec
Roſa cinamomea LINNAEI.

In *Kuplancken-Schneberg* prima hujus loci Botaniſatione 1758 inveni ſecundum rupes.

Humilis, ramoſiſſimus tamen frutex, folia ovata lævia ſeptena habet, caulem glabrum inermem, ut & petiolos: pedunculus ſolus hiſpidus, aſper, nigra purpura perfuſus eſt. Folia calycina appendiculata, indiviſa. Flos vividiſſimi coloris Kermeſini, grate odoratus, Fructus oblongus glaber.

Obſervatio. Omnium Botanicorum primus HALLERUS hanc Roſam recte definierat, HALLERI definitionem, & aliud ſynonimon C. B. HALLERO non ſcriptum, etiam aſſumpſerat LINNAEUS, ut notam faceret ſpeciem ſuam primam *Cinamomeam.* Dein vero demonſtravit in itinere Helvetico HALLERUS, Synonimon C. B. nec ſuæ definitioni, nec deſcriptioni convenire, lata ſimul ſententia expunctionis. Sed an expuncto ſynonimo C. B. haud multum tamen ſignificante, prima ſpecies LINNAEI, ſecunda eſt HALLERI? & nunc quidem nullum ſupereſt dubium, non eſſe; cum in novo ſyſtemate naturæ LINNAEUS dicat ſuæ pedunculos glabros eſſe, petiolos ſubinermes, quæ Roſam LINNAEI ita ab HALLERI Roſa non ſpinoſa alienant, ut etiam nunc HALLERI deſcriptio, primæ LINNAEI ſpeciei aliena ſit, & HALLERI ſynonimon a LINNAEO perperam aſſumatur.

7.) *Roſa Auſtriaca* *
Roſa germinibus ovatis pedunculiſque hiſpidis, petiolis medioque caule aculeatis.
Roſa pumila. CLUSII *Hiſt.* I. p. 117.
Roſa pumila pannonica flore rubello. I. B. II. p. 35. RAII *ſyllog exter.* p. 219. ZWINGER.
Roſa ſylveſtris pumila rubens. C. B.
Roſa pumila rubra auſtriaca. PARK.
Roſæ 3. *ſpecies* HALLERI *Helv.* p. 348.

Naſci paſſim in cæduis ſylvis; aliarum ſylvarum marginibus ſublimioribus, & deſertis agris, per Auſtriam inferiorem exactus CLUSIUS reliquit; reperi iisdem locis abundantem, & in hortulo colo. LINNAEUS ſe hanc ignorare credit, nec meminere Auſtriacarum ſtirpium ſcriptores.

Cum

Cum tamen exteri Botanici ſub nomine Roſæ aut *Pannonicæ*, aut *Auſtriacæ* hujus mentionem frequenter injiciant, patriam aliis neglectam plantam volui exactius deſcribere.

Radix parum fibroſa, caulem pedalem, aliquando cubitalem, raro ramoſum, viridem, inferne nullis, ſuperne multis ſpinis rigentem habet.

Petioli in hac ſpecie validiores, aculeati, folia gerunt terna, quina, rarius ſeptena, aut novena, baſeos inſertione decuſſata, reclinata, ſerrata, carinata, duriora non ſplendentia, facie viridia, glabra, ſæpe maculis ſanguineis reſperſa, ex carina complanata, ſubrotunda, aut ex ovato acuta.

Pedunculus brevis hiſpidus eſt.

Germen ovatum hiſpidum.

Calyx foliolis duobus utraque ora ramoſis, duobus integris, uno una ora laciniato factus, etiam hiſpidus; ſed & ora ſegmentorum calycinorum tam ſimplicium, quam ramoſorum, glandulis ſerrato nigris, ut in Hyperico, ſed hiſpidis, dum fructus matureſcere incipit, obſita eſt, quod in nulla alia vidi.

Flos in tota planta plerumque unicus, jucundiſſimo odore, petalo læte purpureo, ungue exalbido.

Nunc addo etiam alia aliorum ſynonima, ut hæc ſuæ ſedi reſtituantur.

Roſa foliis carinatis ſubtus ſcabris. DALIB. Paris. 145. bonum nomen.

Roſa *Gallica* LINN. ex DALIB. ſed ante hunc diu CLUSIUS in Auſtria inventam deſcripſit.

Roſa germinibus ovatis pedunculiſque hiſpidis, caule petioliſque hiſpido-aculeatis. *Novi Syſt. Nat. Spec.* 8. ovatum tamen ſcrupulum facit, turbinatum dixit CLUSIUS.

Obſervatio. Conferatur *Auſtriaca* noſtra *pumila* CLUSII, cum *Gallica* LINNAEI. Calycis ſegmenta tam ſimplicia, quam ramoſa glandulis nigris ſerrata, & hirſuta in noſtra, an Gallicæ competunt? adeo difficile eſt, exactam plantæ unius legere deſcriptionem. Synonimis multi non delectantur, & Ego inutili deſcriptione, aut manca delineatione parum recreor.

8.) *Roſa* **

Roſa germinibus ovatis glabris, caule ſpinis ſparſis raris: petiolis, nervis, pedunculiſque hiſpidis.

In

In *Kollberg*, ad pedem *Grün-Schacheralpen*, ita deſcripſi in loco natali.

Caules altos tenues virgatos, glaberrimos flavos, hamatis raris ſpinis rigidis obſitos, ſuperiori parte ramis glaberrimis ramoſos hæc Roſa promit.

Petioli tota longitudine brevibus aculeis, etiam in nervos foliorum continuatis (quod in aliis minus frequens) inſtructi, folia ovato-oblonga ſeptena conſtanter; ſuperne ſaturate, inferne dilute magis viridia ſerraturarum apicibus piloſis.

Pedunculus hiſpidus.

Calyx non ramoſus, intus lanuginoſus, ora alba pilis nigris.

Flos Kermeſinus odorus, petalis cordatis.

Germen ovatum glabrum.

MESPILUS.

CHARACTER. Calyx quinquefidus. Petala quinque. Fructus umbilicatus, diſſepimento & loculis carens.

1.) *Meſpilus Germanica.*

Meſpilus foliis oblongis argute ſerratis, bacca pyriformi truncata.
Meſpilus fructu & calycis laciniis maximis, feminibus ſtellatis.
Meſpilus inermis foliis lanceolatis integerrimis ſubtus tomentoſis, floribus terminalibus ſolitariis ſeſſilibus. L.
Meſpilus Germanica folio laurino non ſerrato. C. B. *pin.*

In ſylvis, præcipue illa *Dornbach.*

Obſervatio. Folia lanceolata haud diſtincta & clara expreſſione dixit LINNAEVS, integerrima omnino male, cum in univerſum omnia inveniam acutiſſime ſerrata, ſerraturis utrimque ad medietatem certo productis, rarius ad baſim evaneſcentibus.

Folia utrimque villoſa ſunt, villo dorſo tomentoſo, molli, facie rigidiori aſpero.

Pedunculi multum folioſi, tomentoſi, flores ſolitarios gerunt.

Calyx circa excavatum ovarium prominens, lacinias longas habet ſeſe mutuo amplexantes. Calycis baſis ſtellæ in modum diſpoſita.

Semina quinque oſſiculis duris compreſſis incluſa, baſeos calycis diſpoſitioni reſpondentia, inde etiam ſtellata.

2) *Meſpi-*

Digitized by Google

1. *Meſpilus Cotoneaſter.* Icon. TAB. II. F. 1.
Meſpilus foliis ovato acuminatis, integerrimis, ſubtus lanatis, bacca globoſa.
Chamæmeſpilus. GESN. CLUS. *Hiſt.* I. p. 60. Icon non placet, cauliculis ſtriatis.
Meſpilus humilis folio mali cydoniæ rotundo, non ſerrato. HERM. non male.
Meſpilus folio ſubrotundo, fructu rubro. I. R. H.
Meſpilus inermis foliis ovatis integerrimis. L.

In omnibus alpibus, & montibus quibusdam Viennæ Auſtriæ vicinis CLUSIUS; in montibus *Baden*, *Petersdorff*, abundantius vero in ſaxoſis ſterilibus montis *Medlingenſis*, & nuper etiam in alpe *Breynina* inveni.

Modo humilior, modo altior, noſtris in montibus frutex, diffuſus diſtortus eſt.

Folia ovalia & ex ovatis acuminata, quandoque apice inciſa, ut cordata videantur, cæterum integra, non ſerrata, ora argentea, ſuperne ex nigro viridia, leni tomento perfuſa, quo abſterſo nitent, ſæpe maculata eroſa, inferne lanato tomento ſordido obducta, foliis cotoneæ mali figura, & tomenti ſimilitudine.

Cauliculi adulti cute albida ſplendente, quæ exfolietur, obducti; juniores magis pubeſcunt.

Flores totis ſæpe ramis ſparſi, bini, terni, quaterni, raro quini.

Fructus pulpoſus, globoſus, exſtante non præditus calyce, tamen carnoſis, coloratis calycis laciniis, tanquam digitorum apicibus in umbilicum flexis coronatus. Fructus ruber, brevi alboque holoſerico obductus, minus, hoc deterſo magis, purpureus, ſplendens; pulpa flava, ſicca farinoſa, ut ob hanc rationem montium incolæ *Mehlbeer* vocent, quod nomen CLUSIUS de Aria Theophraſti bene perhibuit, dum alpicolæ pariter ita vocitant. Edules ſunt infimæ ſortis hominibus, non ſapidi, ſed farinoſi fructus.

Obſervatio. In fructu grana tria GESNERUS, quina CLUSIUS, tria quatuorve in triginta maximis & maturis fructibus de induſtria examinatis Ego tantum obſervavi; vide Iconem T. II. N. 1. ut I. BAUHINO in integrum accedens, demirer, *Cl.* LINNAEUM & LINNAEANOS omnes adeo confidenter inter Meſpilum retuliſſe, & in baeca quinqueſperma raro obſeruanda, & rarius adhuc divinanda, Meſpili genus fundaſſe. Fructum quinqueſpermum ne hoc anno etiam reiteratis in Baden & Medling experimentis, reperi, tamen habet quina exactus CLUSIUS, cuius auctoritas & HALLERO, & mihi ſumma, quod viſo ſemper innixa.

M *Semina*

Semina oſſiculo duro, dorſo linea exarata plano, ventre biſacie incluſa, oſſicula triangula baſi, qua incana, calycem, apice pedunculum ſpectant.

A præcedenti diſtinguitur foliis integris, non ſerratis, ex ovato-acuminatis, magis craſſis, dorſo cana lanugine pubeſcenticus, colore fructus rubro, calyce carnoſo, rubro, pulpa farinoſa, molli, flava.

3.) *Meſpilus Oxyacantha.*
Meſpilus ſpinoſa, drupa ovata monoſperma.
Cratægus foliis obtuſis ſæpe trifidis. HALL. *Helv. Spec.* 4.
Oxyacantha DIOSCORIDIS, CORDI, LOB. CAMM. TAB.
Spina alba. BLAKW. T. 149.
Oxyacanthus S. ſpina acuta. DOD. *Stirp. hiſt* p. 738. Icon.

Ubique per totam Auſtriam ad vias ſæpe, in ſylvis in *Gatterholz*, ſylvula *Inzersdorff*, *Döbling*, in montibus *Cetio*, *Leopoldi*, *Rodaun*, *Baden* &c.

Folia varia, dorſo cineracea, pulchre venoſa, facie viridia, nitentia, maculis ſphacelata: ramorum pentangula ſunt ſæpe lobo medio trifido, duobus lobis lateralibus inſidente.

Flos odorus.

Calycis quinquefidi infundibuliformis laciniæ reflexæ.

Fructus ovatus in initio viridis, dein ruber.

Pulpa pauca inſipida.

Oſſiculum ingens ovatum, unicum conſtanter invenio cum ſemine uno; anne fructus Drupa, an bacca LINNAEI? Philoſophia Botanica omnia confundit.

Obſervatio. Character Cratægi genericus LINNAEI multum infidus, etiamſi diverſæ diverſorum de hoc poſteriori fructu obſervationes: unum HALLERUS oſſiculum, duo MATHIOLUS, tria RUPPIUS, quatuor BRASSAVOLA, quinque alii habent: an de una eademque loquuntur planta? ſed etiam Cratægus *Azarolus* LINNAEI a Cratægi LINNAEI Charactere diſcrepat. Fructum triſtylum triſpermum Ego invenio frequentius.

SOR-

SORBUS.

CHARACTER, in fructu umbilicato loculis inſtructo: adde Calycem 5-fidum, petala 5.

1.) *Sorbus Chamæmeſpilus* * Icon. TAB. 1. F. 3.

Sorbus fruticoſa, foliis oblongo-ovalibus ſerratis, fructu ovato biloculari.

Sorbus fruticoſa, floribus capitatis inter folia abſconſis: fructu biloculari.

Cratægus foliis ovalibus utrimque glabris, indiviſis, ſerratis. HALL. *Helv.* p. 353.

Meſpilus inermis, foliis ovalibus, ſerratis, glabris, floribus capitatis, bracteis deciduis linearibus. L.

Cotoneaſter forte Geſneri. CLUS. *Hiſt.* I. p. 62. Icon cum flore optima, ſed deeſt fructus.

Chamæmeſpilus. I. B. I. p. 72.

Cotoneaſter folio oblongo ſerrato. C. B.

Cotoneaſter folio utrimque virente. I. R. H.

In *Schnealpen* iugis CLUSIUS. Ego in *Sauplanken Schneberg* 1758, & *Kleine Lechnerin* alpi Breyninæ imminente, recte ad caſas glaciales 1762.

Non alia quam quidem hujus ſtirpis cognitio, viſa difficilior, eaque ex multipli capite deſperata, tum 1. quod nec erui, nec ad ullam LINNAEI ſpeciem flecti poſſet; utrumque clare demonſtro.

Et primum quidem luculenter eluceſcit ex adeo neglectis omnium Authorum inutilibus deſcriptionibus: RAIUS hanc plantam legit in ſummo *Jura* prope Genevam & deſcriptionem mutuatur a I. BAUHINO, qui ſuam ex ramo ſicco detorſit, nullus meretur excuſari; alii vix aut veriora, aut intelligibiliora habent, & folia utrimque glabra, quæ I. BAUHINUS, TOURN. LINNAEUS, & alii perhibuere, ut plantam CLUSII bene noſcerem, horum Virorum noſcere non poſſem, effecerunt. Alterum probat diverſa Auctorum in fructificationis partibus ſententia. Bina grana oblonga ineſſe fructui I. BAUHINUS; tubas ſolum duas & ſemina duo HALLERUS *Helv.* duas & tres, ſemina tria, *Gotting.* & ex huius viri obſervatione hinc inde unus alterve alius; tubas quinque cum totidem ſeminibus LINNAEUS, cui credes? ſed nimis certum eſt, LINNAEUM plantam non vidiſſe, & contra naturam de ſeminibus pronunciaſſe. Neque tamen aut hic ultimus mihi viſus labor eſt, ut enim generi ſuo inſciberem plantam, quærendum fuerat de diſſepimento, de loculis: in *Enumeratione Stirpium Auſtriacarum* quidem ſcriptum fuerat, unilocularem fructum eſſe, ſed cuius naturæ eſt ſeminum involucrum? an membrana?

an cruſta? an os? in tanta omnium obſervationum diligentia, & exactitudine ut ſcirem, debui propter unicam hanc difficultatem denuo adire alpes, & en! quæ ibi vel ad plantam ſedens, vel in caſa moleſto oppleta fumo, ſcripſi, dum alterum ramum egregius Medicinæ Studioſus *Cipps* delinearet 10 Sept. 1762.

Fruticis *radix* craſſa, horizonti parallele ſerpens, vagis lapidum dirutorum anfractibus tenui terra veſtitis ſeſe accommodans.

Caules emittit teretes, unum, duos, tres pedes altos, tenues, virgatos, plurima longitudine frequenter nudos, raro hinc inde ad gemmarum exortum folio minori inſtructos, & in ſummitate tantum plerumque ramoſos.

Cortex adultarum virgarum ſubfuſcus, verrucis inæqualis, gemmis abundans, & maculis exalbidis variegatus; novellarum ſubpurpuraſcens, nondum maculatus; ex ſummitate harum virgarum ex geniculo educitur junior caulis foliis cinctus plurimis, modo in faſciculum congeſtis, modo magis diſtantibus, alterne exortis; & hic folia promit & pedunculos iam pubeſcens.

Foliorum petioli craſſi, villoſi, rubentes, in iuniori gemmam plerumque lato amplexu complectuntur, & in prominentem foliorum nervum exſpirant.

Gemmæ petiolis comprehenſæ fructificationis tempore ſtipulis, modo exalbidis, modo ruſeſcentibus ſtipantur, quibus alio tempore careant.

Ipſa folia alterna argute ſerrata, apice modo acutiori, modo rotundiori, oualia tamen, iuniora facie ſaturate viridia, ſplendentia, laurina, admodum craſſa, dorſo nitide cineracea, glaberrima, abſque lanugine, quam tamen ſenſim induunt, ut iam lana æquabiliter plana incana ſint, quam adulta denuo abiiciant, nuda, & pallida abſque ulla lanugine in ſenectute futura, & varie corroſa, emarcida, maculis ferrugineis obſoleta, etiam, quam in tenera ætate, tenuiora.

Pedunculi inter congeſta in ſummitate erecta folia abſconditi, terminales, lanuginoſi, vel ſolitarii, quod frequentius, vel in duos æquales bifidi, quod rarius.

Calyx conicus, ſericea lanugine obductus, in quinque apices virides ſectus.

Flos racemoſus, petalis ex albo parum roſeis.

Fructus

Digitized by Google

Fructus coronatus calyce carneo, apicibus exiguis inſtructo, etiam lanuginoſus, lanugine tamen abiicienda, initio viridis, dein hinc inde rubeſcit, ut in ſorbo *domeſtica*, & aliis, nigrum non vidi.

Saporem immaturi pyri, ſed benigniorem habet fructus deguſtatus viridis, non adeo adſtringentem aut præfocantem; Diſſectus bilocularis eſt etiam in vigeſimo experimento. Primus fructus diſſectus in loco natali N. 1. exprimitur, tales inter viginti, duos tantum inveni. Alter vero N. 2. deſignatus, octo & decem vicibus viſus. Eſt tamen etiam ratione numeri granorum & loculorum alia animadverſione opus, ſcilicet unius loculi ſemen, maius incrementum frequentius ſumere, unde in altero loculo contentum ſuffocetur, & ipſa huius ſedes in ſemilunulam deprimatur, ut N. 2. rite expreſſum. Pericarpium ſpongioſo-cartilaginoſum biloculare ſemina continet omnino duo, ſed in ſingulo loculo unum, non vidi in uno loculo duo, licet unius loculi conſtantius elidatur. Pulpa pauca. Fructus figura ovata rite expreſſa eſt. Folium N. 3.

Ex quibus omnibus eluceſcit

I. Nec folia utrimque nuda eſſe: quod omnibus prætervifum Botanicis, ſolus exactus CLUSIUS notaverat.
II. Nec fructum baccam vocari poſſe.
III. Nec pentaſpermum eſſe.
IV. Nec unilocularem: quæ omnia tamen adeo confidenter & cum emphaſi quaſi ex natura hauſta a ſexus in plantis amaſiis ſcripta. Unde ut diligentius obſervent rogandi, rogandi etiam, cum generibus ſpecies conferant, ipſa genera firment.

Obſervatio. Hæc ſorbus ab omnibus congeneribus facile diſtinguitur, ſimplici fruticis natura; Nam etſi ſorbus *Amelanchier* & ſorbus *Cydonia* in altas arbores nunquam excreſcant, humiles tamen & craſſo conſtantes ligno arbuſculæ, habentur omnibus.

2.) *Sorbus torminalis* Offic.
Sorbus folio ſeptangulo, fructu ovato biloculari.
Cratægus folio ſeptangulo ſubtus ſubhirſuto. HALL. *Helv. Spec.* 3.
Cratægus foliis cordatis ſeptangulis, lobis infimis divaricatis. L.
Sorbus torminalis Cratægus Theophraſti. CLUS. *Hiſt.* I. p. 9.
Sorbus Plinii EJUSDEM. p. 10. cum icone bona, præter calycem fructus.
Cratægus folio laciniato. I. R. H.
Meſpilus apii folio ſylveſtris non ſpinoſa. WEINM. Icon. N. 727.

Pleriſque Auſtriæ ſylvis CLUSIUS, ſupra *Weidling*, in ſylvis *Leytepontanis, Latifontanis, Breyninis* KRAMER; in *Dornabacenſibus* reperi & non procul ab urbe in *Gatterholz*.

Loculi duo, ſemina quatuor, licet hinc inde in uno immaturum ſæpe ſemen elidatur, & emoriatur; vide TAB. I. F. 5.

Obſervatio. Fructum hujus arboris baccam vocant LINNAEANI, at ſane bacca non eſt, ut ex propriis fundamentis Botanicis convincere ſeſe poſſent, ni pericarpium farctum evalve, ſemina capſula incluſa continens, idem cum eo velint, quod capſula incluſa non habet, ſed nuda gerit. Sed neque diſperma eſt, ut iidem contra experimenta HALLERI, & mea habent, inde ex numero mulierum numerum fœtuum non ſemper tuto inferri poſſe, ſexuales diſcant; nequit igitur eſſe ſorbus *Torminalis* LINNAEANORUM ſorbus *Torminalis* LINNAEI.

3.) *Sorbus Aria.* Icon. TAB. II. F. 2.

Sorbus foliis ovalibus ſerratis, facie ſplendentibus dorſo tomentoſis, fructu biloculari.

Aria CLUSII. *Hiſt.* I. p. 9. OEDER. *Fl. dan.* T. CCCI.

Aria Theophraſti effigie alnl. LOB. II. *Icon* 167. non bona.

Aria & metallum Italorum. TABERN. Icon haud melior & contra naturam.

Sorbus alpina. I. B. I. p. 65. *Icon*, quoad folia commoda, flores omnino mali, quod tetrapetali; deſcriptio bona.

Cratægus foliis ovatis, inæqualiter ſerratis, ſubtus tomentoſis. L. ROY. HALL. SAUV.

Meſpilus alni, lanato folio major. WEINM. *Icon.* N. 727. fructus omnino male.

Creſcit in valle *Döbling*, etiam in ſaxoſis *Medling*, *Baden*, ſed in calidis his locis ſolum fruteſcit, nec unquam fructum dat; vidi etiam in *Breyninis* ſylvis frequentem, in quibus noſtra planta delineata fuit.

Altior decem, quindecim & ultra pedum arbor, recta adoleſcit, cortice rubente ſplendente.

Folia huic, quam omnibus congeneribus, majora ſunt, varia, ovalia multum, & inæqualiter ſerrata, ſuperne læte viridia, ſplendentia, quandoque maculis ſanguineis etiam tomento in locis calidis aſperſa, inferne pulchre tomentoſa, nervis eminentibus albiſſima, ſæpe utrimque aliquibus locis eroſa, ſphacelata, aut lacerata, ut recte HALLERUS.

Petioli pedunculique candidiſſimi lana abiicienda, quæ in dorſo foliorum pertinax.

Flores

Digitized by Google

Flores umbellati calyces lanatos habent, ſub quibus creſcat fructus, etiam lana obductus abjicienda. Calycis coronantis apices erecti conniventes in iuniori & viridi fructu, in receptaculum profundum flectuntur in adultiori & ſubflaveſcente, in adulto vero & corallino in integrum contracti ſunt.

Fructus ipſe umbilicum diutius lanatus, pomi formam habens, ſemina pyri, in duobus loculis quatuor, multiplici experimento, plus quam in quinquaginta pomis fere maturis, diverſis temporibus deſtructis, etſi unum, duo, tria hinc inde abortiant, geſtat.

Obſervatio. Et hæc planta inter Cratægos referri a LINNAEO nunquam debuiſſet, cum tetraſperma, non 2. ſperma ſit. Quoniam igitur haud evidens Sorbi Cratægi Meſpili L. character, facile patet, quas confuſiones ſequentes LINNAEI definitiones examinantibus adſerant.

> *Meſpilus* inermis foliis ovalibus ſerratis, cauliculis hirſutis. L.
> Meſpilus inermis foliis ovalibus ſerratis, acutis. L.
> Cratægus foliis ovatis inæqualiter ſerratis, ſubtus tomentoſis. L.

Dum duas priores adeo bene *Ariæ*, quam poſteriorem *Amelanchier* competere poſſe intelligatur, ſed nec fructus bacca vocari poteſt. Conſule *Fund. Botan.* LINNAEI.

4.) *Sorbus Domeſtica* * Tab. II. F. 3.
> Sorbus foliis pinnatis, fructu pyriformi quinqueloculari.
> Sorbus fructu pyriformi quinqueloculari, cono lanato.
> Sorbus foliis pinnatis inferne tomentoſis, fructu majori. HALL. *Helv. ſpec.* 2.
> Sorbus legitima. CLUSII *Hiſt.* I. p. 9.

In ſylva *Dornbach* & aliis reperi, & abundanter circa *Paſſſtæden*, & inter hunc pagum & *Baden*, media via in vineis, etiam alibi.

Calycis coronantis exigua ora lanata, receptaculum conum prominentis lanæ facit.

Fructus pyriformis initio viridis, dein rubeſcens, maculis aſperſus; quinquelocularis, omnino pentaſpermos, etſi aliqua ſemina abortiant, ut monuit exactus HALLERUS, & delineatum dedi TAB. II. F. 3.

Loculi in fructu perpetuo quini, raro ſemine completi omnes, frequenter videas tres fæcundos, rarius duos, rariſſime quatuor, ut iam ex deſtructis pomis triginta confirmor; quare nec Sorbi character unquam LINNAEO patuit, nec ex eo unquam Sorbus Domeſtica determinari

nari potuit; pomum quinqueloculare non fallit, ſed bacca diſperma bis decipit.

Obſervatio. Foliorum dorſale tomentum ex levi cauſa perit, & abiicitur, & tum folia hæcce, ut *aucupariæ* dorſo cineraceo ſunt nitida, juniora tamen evidentius tomentoſa deprehenduntur, qualia & aucupariæ ſunt. Fructus verius pyrus eſt, & deberet potius pyris inſcribi, nulla ab iis diſtinctus nota; quid? quod omnia pyri habeat, & pomum, & figuram baſi productam, & capſulam quinquelocularem; hiſce adde ſaporem & alia, nec obeſt polyſpermum non deprehendi, utique etiam in multis pyri ſpeciebus & eliſi loculi, & pauci obſeruantur fœtus, & has ſpecies perperam ideo civitate eiiceres.

5.) ***Sorbus Aucuparia.*** **Tab. I. F. 4.**
Sorbus foliis pinnatis, fructu pomiformi quinqueloculari.
Sorbus foliis pinnatis glabris, fructu minimo. HALL. *Helv.* p. 350.
Sorbus ſylveſtris MATH. CAMER. *Epit.* p. 161. bene.
Sorbus ſylveſtris alpina. LOB. Icon. II. p. 107.
Aucuparia. RIV. RUP.
Sorbus aucuparia vel ornus. WEINM. Icon. N. 941.

Creſcit ad *Mauerbach*, *Mauer*, *Weikendorff*, in via ex *Baden* eundo ad *parvas cellas*, in *Breyn*, etiam in ipſis alpibus in aſcenſu *Baxrigel.*

Arbor frondoſa.

Folia pinnata.

Calyx conicus, lanuginoſus, in quinque lacinias breves, virides, carnoſas, aliquando glanduloſas ſectus.

Flos racemoſus, factus petalis albis quinque, rotundo cochleatis cavis, potentiſſimis.

Stamina multa, alba, incurva, antheris ex brunno-flavis.

Piſtilla tria, baſi piloſa.

Fructus maturus ruberrimus, coronatus calyce, cujus apices colorati, carnoſi, in ovarium flexi, ut in Meſpilo *Contoneaſtro.*

Semina pyri, ſed minora, magis complanata.

Cæterum fructus avibus expetitus, hominibus nonnullis exſiccatus eſtur.

Obſervatio. I. De hac ſtirpe pulchras & veras notas reliquit I. B. Oculi magni ſunt, longi, atropurpurei, flores umbellati, multi, candidi, odori, quibus ſuccedunt baccæ acinis ſambuci aquaticæ pares; *bene.*

Sed

Sed de natura fructus perhibuit nihil: in *Generibus Plantar.* LINNAEUS primus, quod ſciam, fructum triſpermum eſſe ſcripſit, & in *Enumeratione ſtirpium Helveticarum* vix ex LINNAEO edixerat HALLERUS, dum ſe ipſum & LINNAEUM corrigeret, addendorum p. 779. his verbis: ad pag. 350. ad ſorbi Characterem adde: ita LINNAEUS „ſed fructus omnino penta- „ſpermos eſt, etſi aliqua ſemina abortiant: a Meſpilis adeoque ſolis dif- „fert tubis„ & hæc quidem HALLERI obſervatio adeo parum LINNAEUM movit, ut in novo Syſtemate Naturæ, ſpreta HALLERI obſervatione, in characteriſticam ſorbi cognitionem baccam inferam triſpermam iterato adduceret, quam hodie ſartam tectamque, ut credunt, gemente prælo, aſſeclæ longe lateque promulgant, ita nemo dictatorum in ſe deſcendere tentat! atque tamen in gratiam ſaxualium dici poteſt, nullum omnium vel obiter fructum, qui in omni experimento quinquelocularis deprehenditur, ut centum pene fructibus deſtructis confirmor, indigitaſſe; quæ cum ita ſint, an eo adducentur contra proprium ſexuale ſyſtema hi Viri, ut fructum quinquelocularem fieri oportuiſſe aſſerant, qui tria ſemina, quæ ſolum tribus loculis incluſa ſint, caperet? quinque uteros, quinque ad minimum fœtus recondere poſſe, ex gynæceis perſuaſum habetur in eodem; quare omnino pentaſpermos eſt hic fructus, etſi aliqua ſemina abortiant, ut ex naturæ codice exſcripſerat ſedulus obſervator HALLERUS. Sed etiam quinque fructui loculos, quos prædeceſſorum nemo perhibuerat, jam pro momento tollas, ne tunc quidem LINNAEI Character, aut certior, aut futurus eſt evidentior, & en quæ obſervo: in his fructibus loculos quatuor vacuos, uno, ſemine uno, quandoque etiam duobus fœto: in aliis loculos tres vacuos, duobus ſemine unico gravidis, qualis TAB. I. F. 4. habetur: in illis loculos duos vacuos tribus aliis totidem ſeminibus inſtructis; ſed hæc poſterior Anatome prioribus haud frequentior Characterem LINNAEI denuo convellit; igitur bacca infera triſperma in Characterem Sorbi adduci non poteſt; ſed nec fructus quinquelocularis bacca eſt, ex *fundamentis Botanicis:* quare ut veriſſima in Philoſophia Botanica ſententia, „nullus Character infallibilis „eſt, antequam ſecundum omnes ſuas ſpecies directus eſt„ ita poſtrema a vero maxime aliena „genera mea plantarum promunt Characteres „naturales, adeoque inſerviunt omnium methodis, & fundamentum „præbent & antiquis, & novis„ meæ non multum inſervire poſſunt.

N *Obſer-*

Digitized by Google

Obſervatio II. Cum in uno loculo quandoque duos repererim fructus, majorem unum, minorem alterum, ſuo tamen involucro cinctum ſingulum, etiam ſuo funiculo proviſum, de ſuperfœtatione in plantis ſententia, ſexualibus penitius trutinanda eſt; hac enim rite deducta, vel nova in ſyſtemate LINNAEI more monadelphorum, diadelphorum, polyadelphorum, Claſſis ſuperfœtantium, vel ordo ſaltem novus ad polygamiæ, ſpuriæ, ſuperfluæ, fruſtraneæ, neceſſariæ exemplar, fundari poteſt, quæ non parum totum hoc ſyſtema ſtabilirent: nec ſicco pede prætereunda eſt conſtanter vacua & inanis multorum uterorum in his natura; etenim nullo tempore quinque, quos aut ſorbus *Aucuparia*, aut *Domeſtica* habet uteros, licet improbe diſquirerem, repletos conſpexi: at unde eſt, quod in Sorbo *Aucuparia* viginti circiter Mariti ex obſervatione LINNAEI, fœcundare non valeant Mulieres tres (ex eadem)? Unde eſt, quod mulieres Sorbi *Aucupariæ* tres, ex ſententia LINNAEANORUM, uteros quinque gerant ex mea eaque fideliſſima obſervatione? quam hic eſt difficilis uterorum in mulieres repartitio? quid demum eſt cauſæ, quod quinque mulieribus & totidem uteris inſtructa cum viginti Maritis Sorbus *domeſtica*, omnes tamen raro fœtos habeat uteros? an forte inter has quinque quædam non maritatæ, meretrices, ob defectum vulvæ veluti caſtratæ, imprægnari nequeunt, ut in *novo Syſtemate Naturæ*, pag. 840: perhibuit LINNAEUS? nonne plurima adhuc de generatione, & caſtratione in plantis latent? & quæ ſyſtema ſexuale illuſtrabunt cognita; nuptiæ quidem in plurimis plantis apertæ, & viſibiles, conceptiones vero inviſibiles & occultæ, efficiunt, ut idem hoc ſexuale ſyſtema non illico perfectiſſimum eſſe poſſit, licet ſit generalius receptum. Ego interea de inſigni huic adjecta obſervatione, & LINNAEO & mihi gratulor, ſcilicet Sorbi *Aucupariæ* mulieres tres, quinque habere etiam ſine microſcopiis viſibiles uteros, hinc repartitione facta ſingulam harum trium $1\frac{2}{3}$ uteri habere, nam $5 \div 3 = 1\frac{2}{3}$.

6.) *Sorbus Amelanchier.*

Sorbus foliis ovalibus, ſerratis, carinatis, fructu globoſo, multiloculari.

Meſpilus inermis, foliis ovatis, ſerratis, acutis L. *non bene.* retuſa potius ſunt quam acuta.

Meſpilus inermis foliis ovalibus ſerratis, cauliculis hirſutis. L. mala definitio, conveniens plurimis ſtirpibus.

Flübirlin etiam in noſtris montibus, ut in Helvetiæ alpibus.

Vitis Idæa III. CLUSII *Hiſt.* I. p. 61. 62. *Icon* bona.

Dioſpy-

Dioſpyros I. B. I. p. 75 bona deſcriptio, malum nomen.
Alni effigie lanato folio minor C. B. *Baſil.*
Amelanchier LOB. II. p. 191. Icon commoda.
Amelanchier Gallo-provinciæ. BARR. Icon. 527. fructus maturus male, flos non optime.
Meſpilus folio rotundiori, fructu nigro ſubdulci. T. R. H. ipſa LINNAEI definitione intelligibilior.

Abundantiſſime naſci vidit CLUSIUS montibus Viennæ Auſtriæ vicinis, ad *Brunnam*, *Medling*, in *Fiſcha:* circa *Petersdorff* adhuc KRAMERUS invenit. Ego in montis *Rodaun* Arci imminentis meridionali parte, nullibi vero frequentius, quam in montibus *Badenſibus*, etiam in ſepibus.

Tenellus ramis, pedunculis, petiolis, & foliis ſubtus villoſo tomentoſus, adultus vero lanam in foliis, & ramis tantum, licet in pedunculis & petiolis pertinacius retineat, exuit ſubnudus frutex.

Folia faſciculata gemmæ circumſtantia, ovalia, ſerrata, ſerraturis apicem reſpicientibus, nervoſa nervis parallelis, apice retuſo ſæpius, quam acuto, etiam quandoque vel inciſo, vel eroſo, vel lacero: tum ſuperna parte pulchre virent, non tamen ſplendent, quod nimis exſucca arida ſint, inferna pallidiora ſunt, in faciem tota longitudine plicata, carinata, petiolis purpuraſcentibus, candida lana obſitis, longis.

Pedunculi itidem & longi, & candida lana induti, ſtipula una, duabus, purpuraſcentibus, villoſis cincti, etiam bractea una alterave candida, ora purpuraſcente præditi, florem unum indiviſi, aut bifidi duos ſuſtinent.

Flos ſpectabilis, niveus, petalis ampliſſimis, patentibus, ex acutiori ungue in latiorem finem deſinentibus, candidiſſimis, facie glabris, dorſo niveo villo lanatis, ungue ad latera longe & faſciculatim barbato.

Calyx viridis lanatus, laciniis lanceolatis, patentibus, apicibus coloratis.

Stamina plurima inter calycem & coronem quinque quaſi corculis flavis factam egreſſa, alba, antheras flavas habent; corona hæc hic deſcripta, etiam in maturo fructu obſoleta viſitur, nectarifera LINNAEO certo vocanda.

Ovarii ſuperior paries candida lana obſitus, quam etiam adultus fructus conſervat, tubas habet quinque.

Fructus ſphæricus, coronatus calyce, baſi coarctata, laciniis patentibus ab omni alio facile dignoſcendus; cæterum initio viridis, dein ex cæruleo nigreſcit, donec totus niger ſit, & mollis & ſapidus & melleus, diſſectus in loculos 6. 7. 8. multiplici experimento diviſus, ſeminibus 6. 7. 8. 10. fœtus viſitur.

Tantæ vero diverſitatis numeri loculorum, & ſeminum ratio diligentius examinanti illico pateſcit, ſcilicet quod unum alterumve ſemen, majus capiens incrementum, vicinum in ſua ſede elidat, etiam eius ſedem in integrum deleat: veritas in eo eſt, fructum quinquelocularem eſſe, in ſingulo loculo ſemina duo concipi, etiam ſæpe ad frugem perduci, parte aliqua diſſepimenti, quod ad axim non pertingat diviſa, ut delineatum dedi T. II. F. 4. Quinque ſemina, ut quidem LINNAEI perhibet character, nunquam obſervavi, & dubito an unquam viſa, ſæpiſſime 8. etiam 10; ſunt pyri ſeminibus ſimillima.

Obſervatio I. Fructus *Amelanchier* multilocularis & polyſpermos, ideam Baccæ LINNAEANAE claram diſtinctam & ſimplicem exhibet; LINNAEI caveant diſcipuli, ne oblivione conteratur.

Obſervatio II. Cum mulieres quinque hic habeat fructus, plures vero ſemper quam quinque ſinu ſuo foveat fœtus, ſexus in plantis amaſii ſedulo monendi ſunt, has ſuperfœtationes exactius ut diſquirant, videantque, quæ gemellos pariat mulier, ut rectius impoſterum referre poſſint: an ſuecicæ viennenſibus ſteriliores? interea dum hæc res diſcutitur, Viennenſes quinarium illum in LINNAEANO Prototypo *Gener. plant.* & *Syſt. Nat.* præſcriptum numerum peremptorie proſcribunt.

Obſervatio III. Amelanchier, meſpilus habetur LINNAEO: Omni meſpilo ex hujus viri characteriſtica præſcriptione *ſemina quinque oſſea gibba*, *Genera. plant. 1754. Holmiæ*, caveant juniores Botanici, ne avidius fructum mollem mordentes dentem ſibi findant, frangantve, ut accidit infeliciter LINNAEANIS, & SEGUIERO tamen Tourneſortiano viro, & aliis; quare ſola carbonaria fide a recentioribus ſpretum, certum tamen, I. BAUHINI, ubi de ſemine *Dioſpyri* agit, antidotum ſedulo exſcribant, & in ſua adverſaria ob metum infortunii quantocyus redigant moneo; maius eſt, quod in omnibus ſeu Cratægis, ſeu Sorbis, ſeu Meſpilis, oſſicula adeſſe perhibeant nonnulli alii, dum LINNAEUS ſolum oſſea in Meſpilis ſemina eſſe voluit, in aliis cartilaginea.

7) *Sorbus*

7.) *Sorbus Pyrus* Omnium.

Sorbus foliis ferratis, fructu turbinato quinqueloculari.
Pyrus foliis ferratis, floribus corymboſis. L.
Pyrus foliis ferratis, pomis baſi productis. EIUSD. male.
Pyrus ſylveſtris. C. B *pin.*

In valle *Döbling*, etiam aliis ſylvis, *Gatterholz* &c. & nemoribus, locis apricis Montis St. Leopoldi.

Obſervatio. In locis natalibus nulla arte vexatus fructus poma baſi producta non habet, quæ producta baſi conſtanter ſunt in Sorbo domeſtica, ut nullus fructus ex hac notione potiori jure pyrus dicendus, quam haec ſorbus.

8) *Sorbus Malus* Omnium.

Sorbus foliis ferratis, fructu ſphærico quinqueloculari.
Pyrus foliis ferratis, umbellis ſeſſilibus L.
Pyrus foliis ferratis, pomis baſi concavis. Ejusdem male.
Mala ſylveſtria. TRAGI.
Malus ſylveſtris. C. B.

Iisdem cum priore locis, etiam in *Gatterholz.*

Obſervatio. Poma ſylveſtria breviori pedunculo, calyce magis prominente, fructus figura, & ſapore facile a pyris diſtingues.

9.) *Sorbus cydonia* Omnium.

Sorbus foliis rotundis integerrimis, fructu lanato quinqueloculari.
Pyrus foliis integerrimis, floribus ſolitariis. L.
Malus cotonea ſylveſtris. C. B. p. 434.
Cotonea & Cydonia. LOB. Varietates omitto

Locis apricis ſylvulæ Inzersdorff, & alibi in ſepibus, ad vias publicas, ad Teuffelsmühl, in via ex Döbling ad Grinzing.

POMIS UMBILICO DESTITUTIS.

PRUNUS.

CHARACTER. Calyx 5-fidus. Petala 5. Drupæ nux ſuturis prominatis.

1.) *Prunus Acacia germ.* Offic.

Prunus ſpinoſa foliis lanceolatis, pedunculis ſolitariis. L.
Prunus ſylveſtris omnium, bene. TAB. cum bona icone.
Pruna ſylveſtria præcocia. C. B.

In omnibus ſepibus, & dumetis, ad *Breitenſee*, *Schönbrun*, in ſylvula *Inzersdorff*, & ubique.

2.) *Prunus Ceraſa.* Offic.

Prunus floribus umbellatis, ſubpedunculatis, ovato lanceolatis, glabris L.
Ceraſus ſylveſtris fructu rubro, & nigro. I. B. I. p. 220.
Ceraſus maior ac ſylveſtris, fructu nigro colore inficiente. C. B. RAII. I. R. H.
Ceraſus nigra. BLAKW. TAB. 425.
Ceraſus pumila. C. B.

In ſylvis *Inzersdorff*, in ſylvula *Simmering*, ubique ad pagos aliæ varietates.

Omitto ſtudio prunum *Armeniaca mala*, prunum *Laurocerаſum* Officinarum, plantas non indigenas,

3.) *Prunus Pruna* Offic.

Prunus pedunculis ſubſolitariis, foliis lanceolato ovatis, convolutis, ramis muticis.
Prunus C. B. *pinax.*

In vineis & ad pagos.

4.) *Prunus padus.*

Prunus floribus racemoſis, foliis deciduis, baſi ſubtus biglanduloſis. L.
Ceraſus avium. CLUS. *Hiſt.* I. p. 65.
Pſeudo-liguſtrum. DOD. 765. bene.
Ceraſus avium nigra, & racemoſa. RAII.
Padus Germanica folio deciduo. RUPP. *Jen.*
Ceraſus racemoſa ſylveſtris fructu non eduli. C. B.

In ſylvis frequens eſt, CLUSIUS, etiam ad ſepes, in *Au* monſtravit Frater HONORIUS Botanices amantiſſimus.

Frutex frondoſus cortice rubente.

Folia ex ovatis utrimque acuminata, acute & minute crenata, ad exortum eminentias duas habent, cæterum profunde, & multum venoſa facie ſaturatius viridia, nervo venis atro colore tinctis, dorſo exalbida.

Flores in ſpicis longis odoratiſſimi, odoris HALLERO ingrati, multis gratiſſimi, petala albida figura rotunda.

Fructus ſequenti minor etiam niger, pulpa mellis conſiſtentia glutinoſa, viridis, ex dulci nauſeoſa.

Oſſiculum ſcabrum pedunculo pertinaciſſime hærens.
Semen odoratum perſici ſapore.

5.) *Pru-*

5.) *Prunus Mahaleb.* * *

Prunus floribus corymboſis foliis ovatis. L.

Mahaleb. CLUS. *Hiſt.* 1. p. 64. CAMER. *Epitome* icon. p. 91.

Ceraſo affinis. C. B.

Ceraſus ſylveſtris amara Mahaleb putata I. B. I. p. I. p. 225. Icon commoda. RAII. I. R. H.

Mahaleb. GESNER. & MATIOL. *Icon.* II. p. 133. LOBEL.

In collium urbi Viennenſi vicinorum radicibus, CLUSIUS. Satis copioſam circa *Baden* inveni ignoratam adhuc hodie noſtratibus Botanicis plantam. Deſcripta plurimis aliis eſt, en characterica huius ſigna.

Humilior, & tenuior longe vulgari, diſtorta arbor ligno ceraſi ſed ingrate odorato, ramis longe rectis, nudis donatur.

Folia ex orbiculari figura acuminata, ſubtiliter ſerrata betulaceorum aut populi nigræ, multa etiam cordis forma ſplendentia, ſuperne profunde, inferne albide viridia, pulchre venoſa ſunt.

Flores racemoſi albi, exigui.

Fructus exiguus, macilentus, niger, ſucco purpureo pertinaciter tingente plenus, fallaci primo dulcedine fatuus, dein ſapore amaro nauſeoſo ingratus.

Oſſiculum monoſpermum ceraſi.

Semen multum odoratum, ſaporis ſubamari.

Obſervatio. Mahaleb veterum, padum eſſe multi ſuſpicati ſunt: ſi ex odore ſumitur argumentum, padus planta erit. Equidem lignum padi longe odoratius; recens ſpecimen foliorum inter chartas poſitum gratiſſime odorum; tantam fragrantiam flores habent, ut vaſtiſſima conclavia ſuo impleant odore, & ſemen padi, ſemine Mahaleb proprie dicti, in obſervatione mihi viſum odoratum magis.

ORDO

ORDO II.

MULTILOCULARIUM.

CHARACTER. Flos multiſtamineus. Fructus capſula ſicca, multilocularis.

TILIA.

CHARACTER. Calyx quinquefidus coloratus deciduus: Petala quinque. Capſula ſicca, quinquelocularis, quinquevalvis.

1.) *Tilia Officinarum.*
Tilia Omnium.
Tilia foliis amplioribus mollibus, ſubhirſutis. HALL. *Helv.* 357.
Tilia vulgaris platyphyllos. I. B. RAII.
Tilia fæmina. CAM. *epit.* Icon. bona.
II. Tilia montana maximo folio. C. B. *pin.* 425.
III. Tilia folio glabro, duriori, minori. HALL. *Helv.* 358.
Tilia fæmina folio minore. C. B. *pin.* 426.

Per totam Auſtriam ubique vias ornat, maxime *Belveder*, ad St. *Marcum*. Flos carvi odore; pedunculo bractea elliptica innata.

HYPERICUM.

CHARACTER. Calyx quinquepartitus. Petala quinque elliptica flava: Filamenta in manipulos ſeſe decuſſantes ordinata. Fructus conicus, trilocularis.

1.) *Hypericum Villoſum* *
Hypericum calyce ſerrato glanduloſo, foliis pedicellatis, perforatis, caule tereti villoſo.
Hypericum Villoſum calyce ſerrato foliis perforatis. HALL. *Helv.* 361. optime.
Hypericum villoſum erectum caule rotundo. TOURN. bene.
Androſæmum, Aſcyrum dictum, caule rotundo hirſuto. MOR. II. S. 5. T. 6. F. II.
II. Hypericum villoſum foliis ex adverſo ternis.
Hanc varietatem inveni in valle Döbling.

Creſcit

Creſcit ad margines ſylvulæ *Dornbach*, locis opacis valli *Döblingenſis* & alibi.

Inſuperabilis eſt ſynonimorum confuſio. In ſpeciebus L. qui ſub *hirſuto* diverſa ſynonima cogit, quæ plantæ non conveniant, in *Flora ſuecica* etiam alia addidit, in novo demum naturæ ſyſtemate ſepoſuit & duo Hyperica fecit, *montanum* unum, alterum *hirſutum*. Iam dudum diſtinxerat *Cl.* HALLERUS.

Caulis teres, firmus, villoſus, erectus, admodum folioſus, foliolis iunioribus ex alio adultiorum conſtanter pullulantibus, non niſi in ſummitate ramoſus.

Folia ovato-oblonga mollia villoſa perforata, non punctata in meis, licet tamen etiam ad exortum vage punctata viſa HALLERO, brevi pediculo donata, ut bene GUETTARD, ſuperne atræ viriditatis, inferne dilutioris, mollia ſericea.

Calyx ſerrato-glanduloſus.

Flos non punctatus purus.

Stamina pura.

Obſervatio. Folia inferiora minus quandoque, ſuperiora magis evidenter perforata ſunt.

2.) *Hypericum Elegantiſſimum* * *

Hypericum calyce ſerrato, foliis perfoliatis, margine punctatis, caule tereti glabro.

Hypericum foliis perfoliatis floribus cymoſis.

Androſæmum bifolium glabrum, perfoliatum, non perforatum. MOR. bene, deſcriptio P. II. S. 5. T. 6. F. 9. non bona.

Hypericum foliorum baſi latiſſima. HALL. *Helv. Spec.* 3. bene, ſed ampullæ reſiniferæ non ſunt in flore.

Androſæmum Campoclarenſe. COL. *Ecph.* p. 73. Icon. 74.

Aſcyrum elegantiſſimum non ramoſum folio lato. I. B. III. p. 389. RAII.

Hypericum LINNAEI quod? certe non eſt *hirſutum ſpec.* 16. nec *pulchrum*, bracteæ enim intergeminæ non ſunt, nec folia cordata.

In *Gatterholz*, *Dornbach* & alibi non infrequens.

Caulis reliquis craſſior teres firmus, glaber, rectus, raro ramoſus, capitulum florum in cacumine gerens.

Folia caulem latiſſima baſi amplexa, dein ovato-oblonga, obtuſo magis in inferioribus, aucto contra in ſuperioribus fine, ambitu ſemper

O puncta-

Digitized by Google

punctato; folia inferiora pauciora, bracteæ ut & floralia minima globulis glandulosis ſerrata.

Calyx ſerrato glandulosus.

Flos plerumque purus, confertiſſimus, ſeſſilis, cymoſus.

Elegantiſſimum præter alia foliorum baſim latiſſimam habet perforatam, alpinum baſim pedicillatam, apicem obtuſum.

3.) *Hypericum maculatum.*

Hypericum calyce, floribus, foliis, caule, maculatis.

Hypericum calyce integro, foliis margine punctatis, caule ancipiti.

Hypericum alpinum magno flore, nigris punctis inſignito. *Schol. Botan.* p. 41.

Hypericum alpinum humilius magno flore nigris punctis inſignito. I. R. H. MAG. H.

Hypericum LINNAEI quod? non ſcriptum eſt, nec in novo ſyſtemate.

Creſcit in ſubalpinis ſylvis & pratis *Etſcher*, & *Breyn.*

Caulis anceps inclinatus, non herbaceus, ut a quadrangulo diſtinguas, angulis hinc inde punctulis nigris notatis, in ſuprema parte longe ramoſus, virgatus virgis tenuibus firmulis, tamen obſcurius quadrangulis, quibus ab omni alio Hyperico iterum facile diſtinguas.

Folia conferta exiguo pediculo donata ad caulem anguſtiſſima, ſine ovato rotundiori, latiori, obtuſo, leviter emarginato, ora ſericea ſplendente, quibus iterum a quadrangulo & elegantiſſimo diſtinguitur. Ad hæc folia ſunt ad oram inferiorem leviter punctata.

Calyx ovatus nigris punctis maculatus, non glandulosus, nec globulis nigris reſinoſis inſtructus.

Flos non pulcher, nec copioſus, plerumque ternatus; petala etiam inferne multis nigris maculis picta.

Antheræ ad oculum capitatæ didymæ.

An eſt *Hypericum* BASSI. *Bononienſ. Scient Inſtituti* T. IV.? *Icon* non abſimilis.

Obſervatio. A præcedenti differt caule ancipiti, maculato, ramoſo, foliis pluribus aliter factis obtuſis, calyce non ſerrato, nec reſinoſo, flore maculato; a ſequenti aliis notis.

4.) *Hypericum quadrangulum.*

Hypericum calyce integro, foliis margine punctatis, caule quadrato herbaceo.

Hype-

Hypericum Aſcyron dictum, caule quadrangulo, I. B. I. R. H.
Aſcyron. MATH. CAMER. DOD. LOB. RAII.

Ubique in humidis etiam in ſubalpinis pratis, ad Molendinam rubram *Schönbrun.*

In definitione diſcrimen.

Caulis quadrangulus, herbaceus, ramoſus, angulis punctatis.

Folia nervo cauli hærentia lateribus remotis reflexis ſeſſilia, ad caulem latiora ovata, ſine etiam minus præcedentibus retuſo, margine inferiori punctata, ſuperiori ſericea ſæpe.

Calyx integer lanceolatus, raris maculis, ſæpe nullis.

Flos fere purus & ea ſolum, qua laciniatus parte punctatus.

Antheræ capitatæ præcedenti ſimiles.

Diſtinctio ab aliis in definitione eſt.

5.) *Hypericum Officinarum.*

Hypericum calyce integro, caule ancipiti ramoſiſſimo, foliis confertis, pellucido-punctatis.
Hypericum caule ancipiti foliis obtuſis pellucido punctatis. LINN. *ſpec.* 14.
Hypericum vulgare. C. B. *pin.* 279.
Hypericum BLAK. T. 15. DOD. p. 76. optime.
Hypericum perforata fuga Dæmonum. TABER.
Hypericum guttis ſanguineis. BOCCON. *Muſ. di piant.* p. 25.

Ubique circa Viennam in dumetis, ſylvarum marginibus, *Simmering*, *Neugebau*, *Gatterholz*, *Döbling.*

A primo diſtinguitur glabritie, calyce integro, a reliquis foliis pellucido-punctatis, etiam nigris aut ferrugineis maculis aſperſis, ab alpino flore minore & punctis transparentibus, etiam aliis notis.

Obſervatio. Folia obtuſa rarius in ſiccis cretaceis, acuminata in herbidis humidis ſæpius invenias, conjugato & cruciato pulcherrimo ordine, ut obtuſum definitionem ingredi non debeat.

Caulis ligneus glaber, craſſus ramoſiſſimus, anceps. Aegre diſtinguo ab Hyperico humifuſo, & Officinarum Hypericum in monte LEOPOLDI ſæpe humi proſternitur, & folia in margine, linea punctorum nigrorum pinguntur.

6.) *Hypericum montanum* *

Hypericum calycibus ſerrato-glanduloſis, caule tereti erecto, foliis glabris punctatis ſeſſilibus.

Digitized by Google

Hypericum calycibus ſerrato-glandulosis, caule tereti erecto, foliis ovatis glabris. L. Nat. Syſt.

Hypericum foliorum ora punctata calyce ſerrato. HALL. *Helv.* 361. foliis non perforatis; bene.

Inveni in ſylva *Geſletz-alpen.*

Facile diſcriminatur ab Hyperico *villoſo* glabritie, foliis nec perforatis, nec pedicillatis, nec punctatis; ab Hyperico *alpino* calyce ſerrato glanduloſo, caule tereti, erecto, non punctato; ab Hyperico *elegantiſſimo* foliis ſeſſilibus non adeo ut in illo perforatis, caule tenuiori minus glabro, & toto habitu: vide elegantiſſimi deſcriptionem.

CISTUS.

CHARACTER. Calyx quinquefolius foliolis duobus minoribus. Petala quinque caduca. Stylus unicus ſtigmate orbiculato. Capſula triquetra trivalvis.

STIPULATI.

1.) *Ciſtus Helianthemum.*

Ciſtus ſtipulatus, foliis ſubhirſutis ellipticis, obtuſe acuminatis.

Ciſtus ſtipulatis foliis oblongis, revolutis, ſubpiloſis. L.

Chamæciſtus vulgaris flore luteo. C. B. *pin.* 465. Fl. Pruſs. LOESEL. *Icon.* p. 43.

Helianthemum germanicum. TAB. bene.

Helianthemum vulgare, flore luteo. TOUR.

Ubique frequens etiam in alpes aſcendit, ut recte SEGUIER.

Caules rubentes longi, hirſuti, aſperi, declinati.

Folia petiolata, oppoſita, hirſuta, ciliata, nervo depreſſo, lateribus revolutis, inferne ovata magis, ſuperne lanceolata.

Calyx capſula decidua perſiſtens, venoſus venis ſanguineis, hirſutus.

Flos amplus.

*) *Ciſtus* ſtipulatus foliis latis, ellipticis ovatis.

Helianthemum alpinum, vulgari ſimile, latioribus foliis. *Plant. Veron. Suppl.* Icon ſpecioſa.

Chamæciſtus vulgaris, flore luteo, latiori folio. *Schol. Botan.* 41.

Hoc in *Schneberg* lectum hortulo intuli, in aliis alpibus nihil frequentius: præcedente magis carnoſa, minus lanceolata, hirſuta minus in meis ſpeciminibus folia ſunt, habeo tamen etiam hirſutiſſima, quorum dedit iconem SEGUIERUS.

Flos

Flos in noſtra gente maximus, ſic etiam invenit SEGUIERUS.

**) *Ciſtus Helianthemoides.* TAB. VI. F. 2.

Et hæc in alpibus omnibus Auſtriæ, etſi longe rarior.

Ex radice lignoſa multi ſurgunt caules, qui brevi ramoſiſſimi in plures cauliculos diverſimode flexos eriguntur: caules nigri ſunt, cauliculi rubentes, annulis ut caules nigris cœpti, in cauliculo longe nudo hinc inde futuri folioli rudimentum; jam ſubſequuntur folia, longiori petiolo, quam in alpeſtri, inſtructa, conſtanter ſtipitato ſtipulis duabus.

Folia varia ſunt; infima rotundata, obcordata, quæ ſubſequuntur ovata magis, & longiora, tum lanceolata: cæterum folia ſaturate viridia, dorſo magis pallida, & hæc hirſuta margine, ut & nervo leniter ciliata, pilis ex facie paribus, ſæpe ut in *Helianthemo* egredientibus, docet lens adhibita. Folia omnia carnoſa ſunt.

Cauliculi in ſummitate longe nudi, piloſi, pedunculos, ut in *alpeſtri* diſpoſitos habent, & bracteas, & hæ piloſæ ſunt.

Calyx Helianthemi non adeo piloſus, piloſus tamen, lineis purpureis elevatis ſtriatus, intermedia membrana flaveſcente.

Obſervatio. Aegrius ſeparo ab *Helianthemo*, a quo non multum differre jam pronunciaverat HALLERUS: in *Helianthemo* omnia majora, magis hirſuta ſolam differentiam faciunt, & non obſervo racemum ante efflorefcentiam nutare ut in *Helianthemo;* ſed hæ differentiæ an ſufficiunt? tamen, cum *Ciſtus Helianthemum amplius & magis hirſutum*, quod in alpibus noſtris legi, & delineavit SEGUIERUS, & *Ciſtus Helianthemum amplius & minime hirſutum* quod etiam habeo, ſi cum vulgari comparentur, potius varietates *Helianthemi* videantur, quam diſtinctæ ſpecies, ita & meæ plantæ ad *Helianthemum* migrandum eſſe evidens eſt, licet definiatur Ciſtus ſuffruticoſus foliis oblongis LINNAEO & LINNAEANIS, idque ſub nomine Ciſti *ſerpillifolii*, quem etiam ab Helianthemo ægre ſeparo, dum vix certas conſpicio differentiæ notas.

***) *Ciſtus Serpillifolius* TAB. VI. F. 3.

Ciſtus ſuffruticoſus ſtipulatus foliis herbaceis, venoſis, marginibus parum ciliatis.

an Chamæciſtus CLUSII *Hiſt.* I. p. 73. cum Icone? quem in alpibus Auſtriæ Styriæ creſcere LINNAEUS ex CLUSIO ſcripſit. Dubito eum eſſe, cum de ſtipulis exactus CLUSIUS mentionem non faciat, nec conſentiat habitus.

In *Runden Ries-Schneberg* qua parte mons ſpectat *Schnebergerdörffel.*

Radix ſerpens, multis fibris capillaribus multifidis ex purpura nigris aucta, quibus terræ ſeſe arcte immiſceat,

Inde emittuntur *caules* plurimi, aridi plerique, uno craſſiori, ſæpe terræ etiam radicato, luteſcente, annulis magis diſtantibus eiusdem cum caule coloris aut paulo obſcurioris; hic multos promit cauliculos, parte qua ſoli obvertuntur purpureos, ea qua umbram habent, herbaceos.

Folia petiolata, petiolis ſæpe ſanguineis, ſtipulata, ſtipulis rarius coloratis: folia herbacea & quam in ulla Ciſti ſpecie teneriora, glabra, licet leniter hinc inde ciliata, manifeſte venoſa, venis & nervo ad ſolem tranſparentibus, ovata certe, aut ex ovatis acuta.

Caulis prioris & calyx & flos.

Obſervatio. Calycis lævitas quæ, in LINNAEI definitione, quid? utinam magis obſervarent, & aliena herbaria non adeo ſedulo deſcriberent floriſtæ!

EXSTIPULATI.

1.) *Ciſtus Fumana* *

Ciſtus exſtipulatus foliis alternis anguſtiſſimis; ex HALL.

Ciſtus ſuffruticoſus exſtipulatus, foliis alternis linearibus, pedunculis unifloris. L.

Ciſtus fruticoſus procumbens foliis aciformibus, nudis, floribus auriculatis. SAUVAGES.

Chamæciſtus ericæ folio luteus humilior. C. B. *pin.* bene.

Helianthemum tenuifolium glabrum, luteo flore per humum ſparſum. J. B. II. p. 18.

Chamæciſtus VI. CLUS. *Hiſt.* I. p. 75. *Icon.* licet nemo recenſeat.

In Monte *Badenſi*, *Hamburgenſi* raram CLUSIUS; inveni locis aridis ſoli expoſitis, in montibus, *Badenſibus* thermis, *Medlingenſi* Templo, *Rodaunenſi* Arci, imminentibus; ad hæc in *Türken-Schantz* & alibi.

Calyx membranaceus, tranſparens, amplus, venoſus ut in Ciſto *Helianthemo*, & flos flavedinis herbaceæ, eiusdem fere ac in illo magnitudinis; capſula *Helianthemo* par, triquetra trivalvis manifeſte ſex locularis, ſemine fuſco.

Obſervatio. Adiecit ſuis ſpeciebus LINNAEUS ſequentem notam, *corolla calyce vix maior eſt.* Noſtrarum regionum Fumanæ duplo maiorem

rem habent in loco natali, & nulli Auſtrio Ciſto maior floris cum *Helianthemo* convenientia quam huic.

3.) *Ciſtus Canus.*
Ciſtus exſtipulatus foliis oppoſitis, incanis, nudis.
Chamæciſtus II. CLUS. p. 741. *Icon.*
Chamæciſtus foliis Myrti minoris incanis. C. B. P.

In tota catena montium a *Kaltenberg* ad alpes, in monte *Hamburgenſi* CLUSIUS. Ego in *Badenſi*, etiam *Rodaunenſi* monte & *Medlingenſi* legi.

Obſervatio. Locis aridis, montoſis, natalibus, utraque longe petiolati elliptici folii facies incana eſt, inferior tamen magis; quæ incana tantum a plurimis perhibetur. Caules ſuperius rubentes longe nudi, foliis cinguntur inferius duobus, quatuor, ſex, oppoſitis. Calyx ut in *Helianthemo* purpuraſcens venoſus, ſed magis incanus. Flores tres, quatuor. Omnia ſubincana ſunt.

4.) *Ciſtus alpeſtris* * TAB. VI. F. I.
Ciſtus ſuffruticoſus, procumbens, exſtipulatus, foliis oppoſitis ciliatis, calycibus lævibus, quia nervos non habent adeo elevatos ut in *Helianthemo.*

Creſcit ubique in alpibus; hoc nihil frequentius in *Baxrigel - Kuplanken - Saugrund - Schneberg*, in *Geſletz alpen - Breyn*, in alpe *Breynina*, *grün Schack*, etiam in *Etſchero.*

Radix lignoſa, nigra, parum fibroſa, multos emittit caules ſuffruticoſos, humi aliorum more ſtratos, quorum ex radice principium nigreſcat, huic continua recens purpuraſcat pars, annulis utrobique nigris cincta & longe nuda.

Inde *Cauliculi* duo, tresve, rarius unus, ſimplex, absque veſtigio ſubnaſcentium ex denſis foliolis roſularum, longius procumbendo diffunduntur, aut etiam ſurſum, eriguntur, ſtatim rubentes, dein virides, hirſuti.

Iam *Folia* hos inveſtiunt, quandoque ovata, cauli appreſſa, ut petioli longitudo non viſatur, quandoque longius petiolata, magis minusve hirta, pilis & in marginibus & in nervo longioribus obſita, minoribus utraque facie conſpicuis, quandoque tamen etiam laurina glabriora ſunt, & ſolum margine ciliata, admodum enim variant; omnia ſemper canaliculata, nervo depreſſo & tranſparente, folio non venoſo, roſularum longius petiolata conſtanter, & oblonga.

Stipulæ

Stipulæ æternum nullæ, nec harum in ramis veſtigium, ni exſiccatos præcedentium annorum petiolos ſtipulas velis. Supremi cauliculi rarius unum folium proferunt florem ſinguli, ſæpius plures emittunt pedunculos 2. 3. 4. bractea plerumque inſtructos hirſuta.

Calyx totus incanus, cute, ſæpe viridibus, ſæpe etiam rubentibus lineis percurſa: folia tria maiora, ampla quidem hæc, duo minima linearia; foliorum maiorum alternum latus extenuatum, glabrum, quaſi flava tenuiore membrana non piloſa factum.

Flos ipſe ſulphureus eſt, marceſcens abunde aurantius.

Petala rotunda, cava, crenulato quaſi margine.

Obſervatio I. Flores racemoſi in definitionem allegari non poſſunt, cum in omnibus noſtris Ciſtis, excepto *Fumana*, ſic ſe habeant.

Obſervatio II. Adeo variare hic Ciſtus ſolet, ut modo maxime hirſutus & pilis confertus brevibus & oblongis, modo totus glaber, modo foliis non adeo craſſis, modo laurinis margine tantum ciliatis deprehendatur, ut ſi ex varietatibus ſpecies concinnare velis, in ſex facile diſtrahere poſſis; nec eſt ſatis diſtinctus ſequens.

****) *Ciſtus Seguieri.* *

Ciſtus exſtipulatus, foliis caulinis inferioribus ovatis oppoſitis revolutis, ſuperioribus expanſis.

Helianthemum alpinum ſerpilli folio nigricante, & hirſuto. SEGUIER. *Plant. Veron. Suppl.* p. 195. T. VI. F. 2. Icon admirabilis, deſcriptio itidem bona, ut addi vix quid poſſit.

Legi in coſtis ſummi cacuminis *Schneberg*, & iam a 6. annis in hortulo incolumem plantam alo. Invenio in notis, LINNAEO non ſcriptam eſſe, nec in ſpeciebus, nec in Centuriis, in novo plantarum ſyſtemate ſynonima non adſunt, & præ obſcuritate nihil definire poſſum, tamen diſtinctiſſima eſt planta; vide Iconem SEGUIERI. An ab hoc diſtinctus Ciſtus, quem iam olim nomine alpeſtris in adverſariis notaveram? vix perſuadeor.

ORDO

Digitized by Google

ORDO III.

MULTISILIQUARUM.

CHARACTER. Multiſtamina, multiſiliquæ; pauciſſimis exceptis, ut Iſopyro, Clematide *recta* &c. quas plantas ſeparare vetat natura.

SILICULIS NON DEHISCENTIBUS LIBERIS.

THALICTRUM.

CHARACTER. Calyx nullus. Petala quatuor caduca. Siliquæ monoſpermæ nudæ.

Obſervatio. Error eſt typographicus in *Syſtemate Naturæ Halæ Magdeburgicæ* edito, dum Thalictro adſcribuntur petala quinque.

FOLIIS MAGIS LANCEOLATIS.

1.) *Thalictrum.* BAUHINI.
Thalictrum foliis anguſtiſſimis æque latis integerrimis.
Thalictrum caule folioſo, foliis anguſtiſſimis non dentatis HALL. *Helv.* 307.
Thalictrum anguſtiſſimo folio C. B. *prod.* 146. Icon. bona. TABERN. eadem.
Thalictrum pratenſe anguſtiſſimo folio. C. H. Baſ. 95. I. R. H. BOERH.

In valle *Breynina* KRAMER, & ibi ego collegi.

In notis invenio convenire deſcriptioni C. B. Non crevit in hortulum delata.

*) *Thalictrum Anguſtiſſimum* *
Thalictrum foliis anguſtis lanceolatis, ultimo raro dentato.
Thalictrum foliis lanceolato-linearibus integerrimis . . . . HALL. *Helv.* 308.

In locis cæduis *Brigittau.*

Caulis anguloſus ſub umbellis florum longe nudus, plerumque ramoſus, aliquando & racemo ſimplici terminatus, ut definitio ALPINI Thalictri illi ex aſſe conveniat.

P *Folia*

Digitized by Google

Folia etiam pinnis duplicato pinnata, lanceolata, primis pinnis ſæpe bilobis, ultimis ſemper trilobis, medio folio uno alterove dente inciſo.

Panicula multiplex erecta.

Flos luteus, odorus, ut ſequentis.

Medium videtur inter primum & tertium. Malim tamen varietatem ſecundi dicere.

2.) *Thalictrum flavum.*
Thalictrum foliis longis rugoſis & aſperis.
Thalictrum pratenſe maximum Monſpelienſe: aſperioribus & rugoſis foliis. RAII *Syll. exter.* p. 245. bonum nomen.
Thalictrum maius foliis rugoſis trifidis. MORIS. Icon *umb.* T. 12. commoda, foliis tamen non rugoſa.
an Thalictri L. *Spec.* 10?

In inſulis *Danubialibus* inter pontes, & alibi.

Caulis ſulcatus anguloſus.

Folia duplicato pinnata, ut in præcedentibus, lanceolata, ſed magis elliptica, etiam minora, non adeo longa, magis rugoſa ſulcata.

Panicula multiplex erecta.

Flos odorus & ſtamina albentia antheris luteis, calyce ſubalbido maturo. Flos non cernuus

Stam. ad 17.	piſtilla ſæpe 7.	in noſtris.
24.	10 - 16.	LIN.
70. 90.	- -	SCOP.

ad inſignes has naturæ aberrationes, ſi demum veræ, merito non attendit HALLERUS.

Obſervatio I. Hoc Thalictrum inter omnia, quæ novi, maxime fœtet, fœtent vero & alia.

Obſervatio II. Thalictra Characteribus ſpecificis minime diſcriminata ſunt: ex ſemine differentia nulla ſumi poteſt, in noſtris omnia eadem ſunt, ſi *aquilegifolium* excipias; caulis folioſus ſulcatus, panicula multiplex erecta non diſtinguunt; ex ſolis foliis præcipue deſumenda differentia eſt.

Obſervatio III. Nullam hucuſque figuram vidi, quæ hoc Thalictrum recte exprimeret, excepta illa MORISONI, quæ tolerabilis eſt.

Tha-

Thaliſtrum magnum DODONAEI nulla in re huic convenit, quam in panicula. Caulis rotundus omnino malus, ſtipulæ rameæ non veræ.

FOLIIS RETUSIS MAGIS.

3.) *Thaliſtrum aquilegifolium* *

Thaliſtrum fructibus triangularibus, pedicellatis, pendulis.

Thaliſtrum maius florum ſtaminibus purpuraſcentibus. C. B. *pin.* 337. appoſite.

Thaliſtrum alpinum SCHW. p. 204.

Thaliſtrum IV. CLUS. l. c.

II. Varietates.

Thaliſtrum III. CLUS. *Hiſt.* p. 234.

Thaliſtrum aquilegiæ foliis, florum ſtaminibus albis. I. R. H. TILL.

In *Gans*, *Schneberg* aſcenſu, etiam omnibus aliis alpibus, locis ſylvoſis frequens. Nuper in luco retro *Reichenau*.

Folio aquilegiæ, definitione, floribus umbellatis denſiſſimis, vel luteis, ſiliquis triangularibus, quarto angulo depreſſiore, ſiliquis ex pedicellis pendulis, facile diſtinguitur & cognoſcitur. Adhæc corolla exalbida, ſtamina violacea, antheræ flavæ.

Stamina ad 56. 58.	piſtilla 7. 8. 10.	in Meis.
60.	. . . 16.	in LIN.
70.	. . . .	in SCOP.

4.) *Thaliſtrum minus.*

Thaliſtrum caule glabro, panicula reclinata, floribus cernuis.

Thaliſtrum foliis latis ſubrotunde tridentatis, caule nudo laxe paniculato HALL. *Helv.* 308 *bene.*

Thaliſtrum minus. DOD. *pempt.* 58. *bene.*

Ruta pratenſis minor. TAB. p. 55.

Thaliſtrum minus. C. B. RAI. TOUR. SCHEUCHZER.

In monte *Mödling* & aliis montibus.

Caulis flexuoſus; rami ad exortum ex caule atrovirente linea notati, ut & primi petioli.

Folia ſubrotunda, tridentata, glauca utrinque; inferne tamen magis cinerea, venis pellucidis: folia ſexpartita habet LINNAEUS, quod & alii aſſumpſere, non facile ullus invenit, aut plantam ex his determinat.

Flos cernuus.

Digitized by Google

Corolla rubens.

Stamina herbacea ſunt, antheris ex viridi flaveſcentibus.

Stamina 18. piſtilla 3.
20. . . 4.
5. etiam 8 hinc inde vidi.

Obſervatio. Inter noſtratia Thalictra, excepto *aquilegifolio*, quod in tantam altitudinem excreſcere non ſolet, minimum eſt.

*) *Thalictrum Maius* * *
Thalictrum caule ſtriato, panicula patenti erecta, floribus cernuis.
Thalictrum LINNAEI quod?

In Rupibus rarius.

Thalictrum hoc cum praecedenti multam ſimilitudinem habet foliorum, in pluribus tamen diverſum eſt; & caulis in hoc longe magis rectus, etiam elatus Thalictri flavi more, evidentius ſtriatus minus glaber, aut nitidus, maiorem vim foliorum habet, quod longe minori intervallo ramorum vaginae caulem complectantur, & rami ex una vagina perpetuo terni, qui in priori ſolitarius ſit, & hi ex rotundo ſtriati, anguloſi, herbacei, dum in priori complanatus, digonus, & interiori facie ſulco excavato exaratus, & glaber & ſplendens, & durus magis invenitur; ſed & glabriores & nitidiores ſunt in praecedente pedunculi omnes, ut & petioli, qui adhuc ſua baſi magis incraſſati, in noſtra omnia ſtriata ſunt, fuſca magis, ſtriis eminentibus, quandoque tota longitudine coloratis.

Foliorum figura eadem fere ac priori, ſed minora, facie nigriora, dorſo magis cinerea, venis pellucidis.

Flos cernuus.

Corolla colorata, antherae flavae, ſtamina rubentia.

SPI-

SPIRAEA.

CHARACTER. Calyx quinquefidus. Petala quinque. Capſula polyſperma L. monoſperma SCOPOLI.

Obſervatio. Recte obſervaverat HALLERUS occaſione huius generis, ſolum ſexum genera tota charactere naturali coniuncta non dividere, ut petala quinque vel ſeptem non dividunt; hinc & Filipendulam & Ulmariam, Aruncum, ſeparari non poſſe: nec minus vere notavit SCOPOLI, in hoc genere LINNAEUM ſenſim ad naturalia genera redire.

1.) *Spiraea aruncus.*
Spiraea ſexu diſtincta foliis æqualibus. HALL. *Helv.* p. 306. ſub nomine Filipendulæ.
Aruncus L. CLIFF.
Barba capræ CAM. *Hort.* Icon. IX. bona.

In Sylvis Mauerbacenſibus, & aliis.

2.) *Spiraea ulmaria.*
Spiraea foliis ex ovalibus acutis, extremo trilobato, minimis pinnulis intermixtis. HALL. *Helv. Spec.* 2. p. 306.
Regina prati. DOO.
Ulmaria CLUSII. RAII. I. B. I. R. H. BLAKW. T. 465.

In pratis uliginoſis frequens.

Foliorum pinnulæ ſerratæ, & reflexæ, caulem amplexantur: in petiolis ſulcatis ſulco rubente maiores minoribus intermixtæ ſunt.

Flos odorus.

Calyx herbaceus, reflexus.

Petala alba plura reflexa.

3.) *Spiraea filipendula* Offic.
Spiraea foliis pinnatis, foliis uniformibus ſerratis, caule herbaceo, floribus cymoſis.
Filipendula foliis anguſtis, extremo trilobato, minimis pinnulis intermixtis HALL. *Helv.* 307. *Spec.* 3.
Filipendula omnium pene. BLAKW. T. 467.
Oenanthe Filipendula LOB.

Ubique in pratis, etiam *Schönbrun*, herbidis locis *Gatterholz* &c.

Flos odorus, petala maculis ſanguineis picta, patentia, ſæpiſſime ſex.

SILICULIS NON DEHISCENTIBUS RECEPTACULO COMMUNI EXCEPTIS.

ADONIS.

CHARACTER. Calyx quinquefolius. Petala octo ad 12. 13. nitida. Receptaculum oblongum ſpicatum. Semina anguloſa.

1.) *Adonis Helleborus.*

Adonis perennis petalis plus octo.
Pſeudo-Helleborus. MATH.
Buphthalmum. DOD. *pempt.* 261. *bene.*
Buphthalmum. DOD. Pſeudo-Helleborus niger. CLUS. *Hiſt.* I. p. 333. Icon.
Helleborus niger ferulaceus. LOB. Icon. p. 784.
Helleborus Hippocratis. TAB. Icon. 721.

Copioſe in monte *Badenſi* vidi, ſupra *Petersdorff*, etiam circa *Leytapontum* KRAM.

Calyx atropurpureus, lanuginoſus.

Flos ampliſſimus, aureus, maculis albis ſæpe reſperſus.

Petala duodecim, tredecim, etiam plura, quandoque eroſa, ungue macula violacea notato.

Antheræ flavæ.

2.) *Adonis annua.*

Adonis annua octopetala. HALL. *Helv.* 320.
I. Adonis flore pallido. C. B. Baſil. 53. CAM. optime.
II. Adonis hortenſis flore minore atrorubente. C. B. *pin.* 178.

Prior hinc inde inter ſegetes, poſterior in hortis viſitur.
Diſtinctio facilis a priore. Antheræ cæruleſcentes, Flos flammeus, petalis macula atra notatis.

RANUN-

RANUNCULUS.

CHARACTER eſſentialis, in unguis petali fovea vel tuberculo. Adde Calycem quinquephyllum, Petala quinque, plura.

FOLIIS DISSECTIS.

1.) *Ranunculus ſceleratus.*
Ranunculus fructu oblongo impatiente,
Ranunculus fructu oblongo, foliis triplicibus carnoſis.
Ranunculus foliis inferioribus palmatis, ſummis digitatis, fructu oblongo L.
Apium aquaticum, TRAGI.
Ranunculus ſardonius. GESNER.
Ranunculus I. CAM. *Epit*, Icon non bona, folia ſuperiora ſerrata, ſumma trifida facit.
Ranunculus paluſtris rotundiore folio LOB. Icon. p. 669. bona.
Ranunculus Sylv. I. DOD. *pempt.* 423. Icon bona.
Ranunculus paluſtris apii folio lævis. C. B. bona deſcriptio.

Abundat Vienna rivulo, in foſſis ſuburbanis *Widen*, *Leopoldſtadt*.

Caulis tener, cavus, ſpongioſus.

Folia inferiora longe petiolata, triloba, caulina in initio adhuc triloba, dein ſimplicia, trifida, ſuprema integra.

Calyx reflexus.

Flos ex luteo pallens.

Fructus oblongus, ovatus, æqualis, glaber, impatiens attactus.

Obſervatio. Folia inferiora palmata, ſuperiora digitata, non ſatis diſtinguunt, habent enim etiam hæc alii ranunculi plurimi.

2.) *Ranunculus Sardous* * *
Ranunculus foliis radicalibus apii trilobis, fructu rotundo.
Ranunculus paluſtris apii folio, lanuginoſus. C. B. *pin.* 180.
Ranunculus II. ſpecies, vel Sardous. CORDI *Hiſt.* fol. 119.
Ranunculus ſecundus: CAMER. *epit.* 381. Icon.
Ranunculus ſecundus. C. B. in MATHIOL. fol. 458.

Abundat tota Auſtria.

Obſervatio I. A Ranunculo *ſcelerato* differre lanugine, pluribus foliorum inciſuris, iam C. B. monuerat; hæ differentiæ LINNAEUM non movere, debuiſſent tamen circumſpectiorem reddere: fructus, qui in priori

priori oblongus, tactus impatiens, elaſticus diſſilit, in hoc rotundus, ſeminibus compreſſis, ſimpliciter apice acutis, in capitulum collectis viſitur. Calyces lanuginoſi, colorati, reflexi, flos parvus, gummeo nitore ſplendens, exiguo ungue maculatus.

Obſervatio II. Semina in pleriſque ranunculis apicem habent reflexum, ſemen in noſtro *Sardoo* habet apicem ſurſum ſpectantem; quæ nota præter alias hunc ſatis ab aliis ſeparat.

3.) Ranunculus *auricomus.*

Ranunculus foliis radicalibus reniformibus, longe petiolatis, caulinis digitatis, ſeſſilibus.

Ranunculus nemoroſus ſ. ſylvaticus, folio ſubrotundo. C. B. p. 178.

Ranunculus I. ſylv. DALECHAMP.

Ranunculus auricomus DOD. Icon.

Ranunculus aconitifolius folio rotundo ad radicem præſtolante. Fl. Pruſs. LOESEL. Icon. p. 225. bona, & nomen commodum.

Ubique in Sylvis.

Folia radicalia reniformia, ſæpiſſime crenata, unum, duo, licet quandoque etiam uno eodemque petiolo 5. 6. alia nitantur, diverſæ figuræ, quale ſpecimen anno 1761. in ſylvula Dornbach collegi; caulina digitata, non linearia, ſed vel ſerrata, vel integra verticilli in modum cauli circumpoſita, qua nota facile diſtingui poteſt; adhæc mitis totus & herbaceus eſt, ut in experimento poſt HALLERVM inveni.

Caulis cavus debilis, ſuperius brachiatus, geniculatus, plerumque proſtratus.

Flos pro altitudine plantæ exiguus, flavus, calycis foliola haud multum ſuperans.

Semen ſpeciale nihil habet.

4.) *Ranunculus aconitifolius.*

Ranunculus foliis omnibus quinatis lanceolatis, inciſo-ſerratis L.

Ranunculus montanus IV. CLUSII. *Hiſt* I. p. 236. Icon bona.

Ranunculus montanus aconiti folio albus, flore maiore. C. B. RAI. TOUR.

Ranunculus IV. CAMER. *Epit.* Icon. p. 383. non adeo bona, caule ad exortum capillato, quod non invenio.

Ranunculus flore albo. DOD. *pempt.* Icon. p. 426. bona.

In acclivi montis Wexel, Schneberg & aliorum ſylvoſis locis CLUSIUS, KRAMER. In ſubalpinis ſylvis ubique abunde ego reperi.

Caulis

Caulis altus ramoſus glaberrimus.

Folia craſſa aconiti, lobis maioribus.

Calyx factus foliolis quinque minimis, margine purpureo colore perfuſis, coloratis, albidis, deciduis.

Petala floris quinque, ovata, nivea, antheræ flavæ.

Semen in capitulo ſedens ventricoſum uncinatum.

5.) *Ranunculus Illyricus* * *

Ranunculus foliis digitato-tripartitis, laciniis lanceolatis, integerrimis, calyce reflexo.

Ranunculus grumoſa radice IV. CLUS. *Hiſt.* I. p. 240. Icon commoda.

Ranunculus lanuginoſus anguſtifolius, grumoſa radice maior, & minor. C. B. *pin.*

Ranunculus Illyricus TAB. p. III. Icon inelegans.

Ranunculus Illyricus radicibus bulboſis foliis oblongis. I. B. III. p. 863.

In ea montis *Hamburgenſis* parte, quæ occaſum ſpectat, CLUSIUS, eodem loco primo inveni, ut etiam candidis CLUSII cineribus laudem debeamus. Dein & in ea montis *Hamburgenſis* parte, quæ orientem ſpectat copioſius, tum in illa, quæ Septentrionem, ſatis frequentem vidi, nuſpiam alibi terra Auſtria.

Caulis pedem & ultra altus, lanuginoſus.

Folia albo villo obducta, ſericea.

Calyx villoſus præ lanugine alba incanus.

Flos inter omnes ranunculos, quos vidi, maxime ſpecioſus, ſulphureus, purus.

6.) *Ranunculus rutæfolius.*

Ranunculus foliis ſupradecompoſitis caule ſimpliciſſimo unifolio, radice tuberoſa. L.

Ranunculus rutaceo folio flore ſuave rubente. C. B. *pin.* 181.

Ranunculus præcox I. Rutæ folio. CLUS. *Hiſt.* I. p. 232.

In inferioribus *Schneberg* iugis, & vicinis montibus CLUSIUS, in *Schneberg* KRAMER.

7.) *Ranunculus alpeſtris.*

Ranunculus foliis ſubrotundis ſplendentibus ſemitrifidis, petalis cordatis albis.

Ranunculus alpinus humilis albus folio ſubrotundo. SEGUIER *Ver.* I. p. 459. T. 12. F. 1. exquiſita icon.

Ranunculi montani I. *Species* I. & II. CLUS. *Hiſt.* p. I. p. 234.

Digitized by Google

Ranunculus foliis radicalibus ſubcordatis obtuſis tripartitis, lobis trilobatis, caulino lanceolato integerrimo, caule unifloro L. *Spec.* 22. nomen quodammodo bonum.

In *Schneberg*, *Breyn alpen*, *Grün-Schack*, & aliis in alpibus.

Folia longe petiolata, viride ſplendentia.

Calycis foliola ex albo viridia, floris petala nivea, cordata, ut bene figura expreſſit SEGUIERUS, iam etiam indicavit CLUSIUS.

Obſervatio I. Species prima, ut & altera CLUSII una eademque planta ſunt, conſentit SEGUIERUS & poſſem demonſtrative evincere.

Obſervatio II. Quandoque caulis aphyllus eſt, ut HALLERUS monuit, quandoque duobus foliolis lanceolatis inſtructus, ut CLUSIUS edixit; ſæpe etiam biflorus eſt, ut malæ *aphyllos*, *uniflori*, definitiones.

8.) *Ranunculus bulboſus.*
Ranunculus calicibus retroflexis, radice ſimplici-globoſa.
Ranunculus pratenſis radice verticilli modo rotunda. C. B. *pin.*
Ranunculus bulboſus. LOB. Icon.
Ranunculus tuberoſus. DOD. *pempt.* Icon. p. 428.
Ranunculus minor. TAB. Icon. p. 108.

Ubique in paſcuis, ſpeciatim illis *Döbling*, *Rodaun*,

Cognoſcitur napo.

9.) *Ranunculus Repens.*
Ranunculus calycibus patulis ſtolonibus repentibus.
Ranunculus foliis ternatis foliolis petiolatis trifidis, medio productiore, caule multifloro. L.
Ranunculus pratenſis repens hirſutus. C. B. *bene.*
Ranunculus hortenſis I. DOD. *pempt.* 422. Icon bona.

In pratis ubique, in illo *Simmering*, *Döbling* &c.

Ex dura, licet rara hirſutie caulis ſubaſper, folia longa petiolata petiolis ad radicem violaceis, longitudine linea cava exaratis, ſtolonibus repentibus abſque excavatione rotundis, coloratis.

Obſervatio. In hortis cultus non hirſutus, in pratis hirſutus, etiam calycibus ſumme revolutis.

10.) *Ranunculus Napellifolius.*
Ranunculus calycibus patulis, pedunculis teretibus, foliis tripartito-multifidis, ſummis linearibus. L.

Ranun-

Ranunculus pratenſis erectus acris. C. B.
Ranunculus ſylveſtris. TAB. p. 107. Icon optima. Alia ſynonima ob incertitudinem non addo.

In pratis riguis frequentiſſimus, etiam locis ſylvoſis *Dornbach*, *Baden*, *Simmeringer-Wald*; vidi in *Millersdorff*, *Sollenau*, *Baden*; etiam ſubalpina inhabitat prata, & ſumma alpium paſcua.

Radix ex tubere multum fibroſa caulem folioſum erectum ramoſum multiflorum exerit.

Folia longiſſimis pediculis quandoque maniſeſtius, quandoque obſcurius ſulcatis innixa, napelliformia, inferne dilutius herbacea, quandoque in alpibus leni pube ſubincana, quale ſpecimen ſervo, ſuperne ſaturatius viridia, macula ferruginea ab inſertione pediculi incipiente per multam latitudinem diviſionum foliorum diſperſa in plurimis.

Caulis inferne aliquando maculatus, ſæpe aphyllos, in ſylvis uno longe pedicellato folio ſemper in medio inſtructus, aliis locis inventus, ſuperioribus ſeſſilibus, trifidis, raro amplius laciniatis, plus minuſve lanuginoſus; erectus, cineraceus, dum glaber, eſt polyanthemos, unde multi Botanici polyanthemum vocant, quem acrem dixit LINNAEUS.

Sed an revera diſtinguuntur Ranunculus *acris* & *polyanthemos* LINNAEI? Adhæc noſtrum *lanuginoſi* varietatem, ut vult *Cl.* HALLERUS, non perſuadeor. En noſtræ variantia folia in TAB. IV. F. I. I.

11.) Ranunculus *Breyninus* * * TAB. IV. F. 2.
Ranunculus alpinus receptaculo lanuginoſo.

Creſcit in *Schneekiten-Breyn alpen*.

Hic ex ſummo capite plura, quam alii ranunculi alpini ſolent, folia promit, ex viridi nigricantia, ſubtus maxime hirſuta, profundiſſime, & magis ſemper quam in ſequenti tripartita, lobis irregularibus, media lacinia medii lobi minus triangulari, aut tridentata: lobi laterales non adeo profunde bifidi, & hi iterum varie ſecti, margine hirſuto in omnibus, atropurpureo in plurimis.

Pediculi atropurpurei, canaliculati, hirſuti.

Caulis raro rectus, plerumque quaſi decuſſatus, eadem hirſutie obſitus, non altus, folio vel nullo inſtructus, quale ſpecimen ex alpibus attuli, vel ad decuſſationis eminentes gibboſitates ſeſſili, uno alterove, alte trifido, quandoque quinquefido, anguſtiori.

Digitized by Google

Calyx hirſutus foliolis coloratis concavis deciduis.

Flos ſplendens gummeo nitore, ungue multum maculato.

Fructus capitatus.

Semen glabrum uncinatum ranunculi, receptaculo lanuginoſo, quod in aliis non obſervo.

Habitus hirſutus. Eſt inter alpinos poſt alpeſtrem fere minimus, in hortos tamen translatus ſtatura augetur.

12.) *Ranunculus nivalis.*

I. Ranunculus ſubhirſutus caule ſubunifloro foliis radicalibus palmatis caulinis multipartitis ſeſſilibus.

Ranunculus ſaxatilis magno flore. C. B. *prod.* SCHEUCHZER. *Itin.* I. p. 46. & definivi in alpibus ſequenti modo:

Ranunculus flore amplo Calthæ.

Ranunculi 12. *Species.* HALL. *Helv.* p. 327. deſcriptio.

II. Ranunculus caule unifloro foliis radicalibus palmatis, caulinis multipartitis ſeſſilibus *Fl.* Lapp. TAB. III. F. 2.

Ranunculus minimus alpinus luteus. I. B. III. p. 845. Icon non incommoda interior, quoad radicem optima. Deſcriptio mala.

AN? Ranunculus tenuifolius montanus luteus. I. B. III. p. 416. TAB. F. 6. videtur illum coniungere priori.

Hoc nihil copioſius in ſylvis ſubalpinis, alpinis, locis alpium udis ſub pinu primo vere, in itinere *Schneberg*, in itinere *Breyn;* en veram utriusque deſcriptionem: primi icon TAB. IV. F. 3. Secundi TAB. IV. F. 4.

I. *Radix* tuberoſa craſſa, quaſi napulis teretibus ad ſe invicem compactis conſtans, oblongis carnoſis fibris, non multum ramoſis, profunde demerſis componitur, præcedentium annorum exſuccæ foliorum vaginæ caput circumſtant, dum petiolus unus, duo, plures, longi canaliculati folia gerunt ſuperne profundius, inferne dilucidius viridia, frequentius ſubhirſuta, quam glabra, craſſiuſcula. Sunt hæc palmata, evidentius trifida, lobis ſeſſilibus, medius triangularis alte ſectus, media lacinia vel ſimplici, vel tridentata, lateralibus dentibus decreſcentibus. Laterales lobi profundiſſime bifidi, ut fere velles folia radicalia eſſe quinquefida, a medio proximi etiam triangulares, ut medius ſecti, inferiores pediculum reſpicientes, profunde quandoque iterum ſecti, quaſi alati, non adeo triangulares. Variant in hac planta foliorum inciſuræ, & laciniæ, SCHEUCHZER bene.

Caulis iam altus, iam minor, ſubhirſutus, durus, licet fiſtuloſus, ſæpius biflorus, quam uniflorus, unicum, vel duo, rarius tria habet folia: ad caulis diviſionem ſedens maximum in latas lacinias, & has in alias minores, lobi medii radicalis folii in morem, ſecatur, vicinis eodem modo, aut ſolum tridentatis; laciniæ dein ſenſim decreſcunt amplitudine, & longitudine, minimæ ſunt, ubi folium caulem non amplectitur; folium aliqua ab hoc diſtantia in ſingulo ramo aliud eſt, etiam amplexicaule, trifidum, quinquefidum, ſexfidum, octofidum, laciniis lanceolatis, maxima elliptica, aut dentata.

Calyx foliolis ovatis coloratis villoſus.

Flos unus vel duo, petala profunde lutea, ſplendentia.

Capitulum rotundum, aut ſubrotundum, compreſſum, uncinatum.

II. Omnia ſimilia habet cum hac differentia, quod radix non ſemper adeo tuberoſis aut teretibus ad ſe compactis conſtet napulis.

Caulis ſubhirſutus indiviſus, folio plerumque unico in tres, quinque lacinias ſimplices ſecto, quandoque tamen duplici, infimo longe petiolato.

Folia radicalia glabra, ut monuit HALLERUS.

Calyx, flos, ſemen, ut in priori Sed etiam ex eadem radice ſurgebat alter minor ranunculus in uno ſpecimine.

Obſervatio I. Ranunculorum alpinorum maxima, nec ſatis diſcriminata confuſio alias omnino poſtulat definitiones. Ranunculum PLATERI definit *ſpec. 20.* caule bifloro LINNAEUS, quem unifloro *ſpec. 10.* HALLERUS; ſi in colore conſtantia, calyce floris albi villoſo HALLERUS rectius pateſeciſſet, quam omnis alius, ſed hic uſque nobis in noſtris alpibus non lectus. De Ranunculo *alpeſtri* antea monui, ut & de *pthora*, definitionum inconſtantiam. Sed de illis, qui foliis radicalibus palmatis ſunt, caulinis multipartitis, maior longe difficultas, & imprimis de *Nivali* TAB. IV. F. 3. 4. etſi uniflorus hinc inde viſatur, plerumque tamen caule bifloro eſt noſtris in alpibus, atque id primum. Secundum eſt, quod caulem glabrum faciat LINNAEUS, quem ſubhirſutum invenit HALLERUS, & conſtanter obſervo, nec ſemper ad caulem folium unum, ſed etiam ſæpe duo oppoſita, ſupremo ſimpliciori, trifido, quinquefido, latiuſculo lanceolato, inferiori in lacinias ampliores, & has dentatas ſecto, alia prius dixi.

Digitized by Google

Obſervatio II. Tabulæ III. Floræ Lapponicæ Ranunculi infeliciter admodum inciſi ſunt, cum ambitu folii ſolum circumſcripto, ut cognoſcere poſſis, ex aliis enim haud divines; in figura lineæ pro arbitrio ductæ, non venarum decurſus ramificatio expreſſa, & miſera. I. B. figura interior Ranunculi minimi alpini albi, & lutei, plus veri & veriſimilitudinis habet, radicem omnino bene.

13.) *Ranunculus echinatus.*
Ranunculus ſeminibus aculeatis, foliis ſuperioribus decompoſitis linearibus. Plurimorum.
Ranunculus arvenſis echinatus. C. B. p. 179.
Ranunculus III. Sylveſtris. DOD. *pempt.*

Inter *Hetzendorff* & *Liſing*, in arvis humidis ad viam.

Multum ramoſa & diffuſa planta flores habet omnium ranunculorum noſtrarum regionum minimos. Semina complanata aculeis & magno ſtylo inſtructa.

14.) *Ranunculus aquatilis.*
Ranunculus foliis ſubmerſis capillaceis, emerſis peltatis. L.
Ranunculus foliis ſubmerſis capillaceis. L.
Ranunculus aquaticus capillaceus. C. B. *pin.*

In aquis ſtagnantibus, lacubus, ſtagnis, etiam in currente rivulo Rothenmühl.

Calycis folia reflexa colorata; flos candidus.

15.) *Ranunculus lanuginoſus.*
Ranunculus foliis tripartitis acute ſinuatis lanuginoſis.
Ranunculi 8. ſpecies. HALL. *Helv.* p. 325.
Ranunculus montanus lanuginoſus foliis ranunculi pratenſis. C. B. *prod.*
Ranunculus magnus, valde hirſutus, flore luteo. I. B. III. 417.

In Sylvis ſubalpinis ubique.

Folia lanuginoſa macula exalbida notata in alpibus.

Calycis foliola quinque, lanuginoſa, colorata, concava, lateribus magis coloratis, ſæpe reflexis, ſtria nigra ſecundum longitudinem decurrente.

Floris petala quinque profunde flava, admodum nitentia.

Semina capitata rufa ventricoſa uncinata; LINNAEUS dicit acuta compreſſa, quod nec in immaturis, ubi ventricoſiora, nec in maturis invenio.

16) *Ranun-*

Digitized by Google

16.) *Ranunculus teſticulatus.*

Ranunculus foliis filiformi-ramoſis, calycibus appendiculatis LINNAEI, male pro noſtris; calyces appendiculati non ſunt.

Melampyrum luteum minimum. C. B. *pin.* 234.

Melampyrum perpuſillum luteum. LOB. Icon.

Melampyrum luteum. TAB.

Ranunculus ceratophyllus Seminibus falcatis in ſpicam adactis. MOR. II. T. 28. F. 22. Sect. 4. Icon.

Habitat iuxta agrorum margines, ad *Belveder*, in vallo eiusdem Horti Regii copioſiſſime, ad agrorum margines *Simmering*, prato *Simmering*, vallo prati, ubi maximæ ſtaturæ deprehenditur abundanter; & in mœnibus.

Annua planta ex radice tenui parum fibroſa ſæpe ſolum unicum, ſæpe plures profert caules, omnes aphyllos, leniter lanuginoſos.

Folia ſunt ex longe petiolatis in extremitate tripartita, palmata, inſtar cornu cervi quandoque diviſa, ramoſa tenuia, non tamen filiformia.

Calyx lanuginoſus.

Flos flavus non niſi fulgente ſole apertus petalis erectis.

Semen in ſphæram, dein ſpicam adactum, in initio rectum, dein incurvum, læviter uncinatum, ut nonnulli vocarint falcatum, baſi teſticulatum, quæ nota præcedenti evidentior, cognomen teſticulati potius quam falcati illi imprimit, ſtricte enim falcem non refert.

Obſervatio. Ex definitione LINNAEI noſtra planta æternum ignoraretur, ex ſynonimis & figura MORISONII ſolum erui potuit, unde patet uſus ſynonimorum, & figurarum.

17.) *Ranunculus Pthora.*

Ranunculus foliis reniformibus ſubtrilobis crenatis, caulino ſeſſili, floribus lanceolatis, caule ſub-bifloro L.

Pthora valdenſium. LOB. *adv.* Icon.

Pthora valdenſium montis Baldi CLUSII. Icon commoda, flos petalis maioribus inſtructus noſtris ſpeciminibus omnibus conveniens.

Pthora maior. CAM. Epitome icon. p. 825. flos omnino malus, petala tantum quatuor & inciſa.

In *Schneberg*, *Schneleiten-Breyn*, alpe *Breyn*, in omnibus alpibus.

Calycis foliola colorata patentia, *floris* petala quinque profunde flava ſplendentia, macula ad unguem debiliori æqualia, margine rotundo: in

in HALLERIANIS flos dicitur parvus, non ſplendens; tale ſpecimen nunquam vidi.

Obſervatio I. In noſtris alpibus lecta ſpecimina pene omnia folia radicalia, ut & caulina ſecta trilobata habent, caulina quandoque ſeſſilia, quandoque pediculo nexa, floralia vero ſeſſilia lanceolata, apicibus in alpibus ſphacelatis.

Obſervatio II. Etſi figura foliorum variare videatur, ut reniformis LINNAEO, cordato-ſubrotunda HALLERO dicta ſit, etiam in his magis, in aliis minus ſecta, tamen primo aſpectu ab omni alio ranunculo diſtinguitur facile pthora, flos vero non ita cognoſci poteſt, nulla omnium icone hunc rite exprimente: hi quaternis pingunt petalis, quem numerum nunquam reperi; omnes depreſſis nimis ex ſiccis ſpeciminibus, ut calyx inter petala manifeſtius conſpiciatur, extenſa calycem abſcondunt in viva planta, elevata pelvim faciunt, maturiora tamen & vento agitata patula magis ſunt, plurimorum aliorum ranunculorum more ad umbilicum maculata, cæterum læte ſplendentia.

FOLIIS INDIVISIS.

18.) *Ranunculus ficaria.*
Ranunculus calycibus triphyllis cucullatis.
Ranunculus foliis cordatis angulatis petiolatis. L. *Spec.* 9.
Chelidonia rotundifolia maior minorve. C. B. *pin.* 167.
Ficaria *Nova Plant. genera* DILL. T. V. Icon.

Habitat ad *Neugebäu* locis udis, & alibi iisdem.

Calyx coloratus cucullatus, *flos* profunde flavus, nitens, petalis oblongis, 5. 6. 8. 10.

19.) *Ranunculus lingua* *
Ranunculus foliis lanceolatis capitulo ſquammato L. *ex* HALL.
Ranunculus longifolius paluſtris maior. C. B. *pin.*
Ranunculus lanceolatus maior. TAB. Icon 48. bona.

In foſſis limoſis inundatis *Brader.*

Flos magnus nitens. *Semina* ſquammulis a ſe ſeparata, ut bene Cl HALLERUS. Folia erant non ſerrata.

ANE-

ANEMONE.

CHARACTER. Calyx nullus, ſed loco calycis aut involucrum, aut terna folia.

SEMINE ECAUDATO.

1.) *Anemone hepatica.*
Hepatica foliis trilobis integerrimis.
I. Hepatica trifolia cæruleo flore. CLUS.
II. Hepatica flore ſimplici rubro.
III. Hepatica flore ſimplici albo, etiam duplici.
Hepatica DILL. *nova plant. genera.* T. V. Icon.

Primo vere in ſylvis lapidoſis *Hiedeldorff*, *Burckersdorff*, *Dornbach*, II. III. in *Kaltenberg*, ut etiam aliis locis.

2.) *Anemone nemoroſa alba.*
Anemone caule involucrato, ſemine levi, petalis ſenis ellipticis ex HALL.
Sylvarum Ranunculus flore lacteo. CLUS. *Hiſt.* I. p. 247. Icon.
Anemone nemorum alba RAII. 624.
Ranunculus phragmites vernus albus. TOUR.
Anemonoides DILL. *nova plant. genera.* Icon T. IV. elegans

Ad margines ſylvarum *Badenſium*, *Dornbach*, aliarum.

A priori differt & foliis, quæ huic nitida, pulchre ſecta, & albo flore, minore, pulchriore, & ſemine.

3.) *Anemone nemoroſa lutea.*
Anemone caule involucrato, ſemine lævi, petalis quinis ſubrotundis *ex* HALLERO.
Sylvarum Ranunculus flore flavo. CLUS.
Anemone lutea nemorum. RAII. 625.
Ranunculus phragmites luteus nemoroſus. I. B. C. B. LOB.
Ranunculus nemoroſus luteus. TAB. Icon commoda.
Anemone-Ranunculus DILL. *nova plantar. gener.* T. IV. Icon.

Supra *Petersdorff* in *Gishübel*, ſylvis aliis cum priore.

Diſcriminantur definitione & floris colore. Flos luteus ſæpe albis maculis aſperſus eſt; cæterum fere conveniunt foliis.

Digitized by Google

4.) *Anemone narciſſiflora.* TAB. III. F. 1. 1.

Anemone floribus umbellatis, ſeminibus depreſſo-ovalibus, nudis LIN.

Anemone multiflora ſemine lævi, latiſſimo, petalis ſenis ex rotundo acutis. HALL. *Helv.* 330.

I. Anemone humilior involucro ſimpliciori.

Ranunculus montanus hirſutus humilior Narciſſi flore. C. B. *pin.* 182.

Ranunculus montanus III. CLUSII. *Hiſt.* I. p. 235.

II. Anemone altiſſima involucro ſubdiviſo laciniato. F.

Ranunculus mont. II. Species altera, CLUSII *Hiſt.* I. p. 235.

Ranunculus montanus hirſutus flore purpuraſcente, SCHEUCHZER. duobus itineribus I & VII.

Primam Speciem & in *Schneberg* & alpe *Breynina*, ubi ex *Schneleiten* huius planities petitur, legi, minor longe eſt & quandoque Ranunculo *alpeſtri* non multo maior.

Radix craſſula, brevi bifida, nigra, præcedentium annorum emarcidis petiolorum vaginis obruta, quatuor cum totidem foliis educit petiolos vaginantes.

Vaginæ ex purpura exalbidæ, admodum piloſæ in petiolum confluunt declinatum, viridem, hirſutum.

Folia trilobata lobis externis profundiſſime bifidis, & his ampliter trifidis, puncto exalbido in omni diviſione notata, parte prona fere exſia, ſupina ex nigro viridia, piloſa, ora tamen magis pilis conſpicua.

Caulis plerumque unus, craſſus, multa longitudine ruber, totus hirſutus, quandoque bini, plures; ad ſupremam caulis partem involucrum bis vel ter ternis conſtans laciniis, lanceolatis, ſimplicibus fere, ex cuius centro pedunculi duo, tres, quatuor, ſuſtinent flores totidem candidos, niſi quod ſtria purpurea externa parte notentur.

Petala iam lato ortu acuminata, iam anguſtiori lateſcentia acuminantur, iam etiam fine magis obtuſo, terminantur.

Antheræ ex flavo virides.

Semina plura, plana, compreſſa, rotunda potius vocarem, quam ovalia, & hæc ex octo exemplaribus deſcriptio eſt.

Obſervatio I. Figura Ranunculi montani III. CLUSII, quam a PENNAEO accepit, haud eſt incommoda, ſed calycem habet, qui huic plantæ nullus eſt. Petala rotundiora non adeo mala, equidem & ſic obſervo ſæpius, aliquando etiam quinque, quæ naturaliter ſex ſunt, tria exteriora, tria interiora.

Obſer-

Obſervatio II. Prima Species minor, præterquam quod omnia magis lanuginoſa habeat, involucro plerumque inſtruitur bipartito aut tripartito ſimpliciori, altera maior, glabra magis, tripartito & quadripartito, alterno, laciniis reduplicato-diviſis donatur.

Obſervatio III. Hanc ſtirpem inter anemonoideas flore quidem nudo, ſed ſeminibus caudatis ordinatam errore typographi video; en etiam ſemen ex alpibus lectum TAB. III. F. I. Sed nec in hortulo, ubi iam ab aliquot annis læte floret pulcherrima ſtirps, ſemen caudatum protulit.

5.) *Anemone ſylveſtris.*
Anemone pedunculo nudo, ſeminibus lana involutis.
Anemone ſylveſtris I. CLUS. *Hiſt.* I. p. 244.
Anemone ſylveſtris alba maior, minor. C. B. *pin.* & *prod.* RUP. HALL.
Anemone IV. DOD. *pempt.* 434.
Anemone magna alba plurima parte anni florens. I. B.

Supra *Dornbach*, tum ad *Gerſthoff*, & in argorum marginibus clatioribus, in colliculo *Döbling*, in ſylvula *Gatterholz.*

Obſervatio. Locis ſylvoſis udis creſcens planta folia longe ampliora habet, ſed cognoſcitur ſemper cæſarie lanata.

SEMINE CAUDATO.

6.) *Anemone pulſatilla.*
Anemone caule involucrato, flore nutante limbo erecto.
Pulſatilla. CAM. *Epit.* Icon bona. p. 392.
Pulſatilla folio craſſiore & maiore flore. C. B. HELW. T. 8.
Pulſatilla purpureo flore. DOD. SCHWENFELD.
Pulſatilla vulgaris dilutiori flore. CLUS. *Hiſt.* I. p. 246.
Pulſatilla purpurea cæruleave. I. B.

Supra lapicidinam *Dornbach*, circa *Grinzing*, & alibi, montibus clatioribus *Rodaun*, *Baden.*

7.) *Anemone pratenſis.*
Anemone caule involucrato, flore pendulo limbo reflexo.
Pulſatilla flore minore nigricante. C. B. HELW. puls. 66. T. 12.
Pulſatilla vulgaris faturatiore flore. CLUS. *Hiſt.* I. p. 246.

In *Türcken-Schanz*, circa *Dornbach*, *Grinzing*, *Kaltenberg.*

Obſervatio. Hæ duæ ſpecies a LINNAEO & in ſpeciebus & in decima, eaque reformata editione novi ſyſtematis naturæ, dicuntur habere ſemina lanata, non caudata, an vidit?

8.) *Anemone alpina* TAB. III. F. 2.

Anemone caule involucrato ſeminibus piloſis caudatis.

Anemone ſylveſtris II. CLUS. *Hiſt.* I. p. 245. Icon admodum mala. An alterius plantæ? ſub hac definitione cogit tamen LINNAEUS.

Anemone flore candido. THAL. p. 15.

Pulſatilla nivea alpina. SCHWENFELD.

II. Anemone alpina alba minor. C. B. *prod.* p. 94.

In Etſchero CLUSIUS, dein KRAMER. Ego ex Etſchero inter Saxa lectam exiguam habeo plantam, inveni vero & in itinere I. & altero alpium Breyninarum, pingui ſolo creſcentem, in aſcenſu Baxrigel-Geſletz-alpen copioſiſſime, etiam in ſaxoſis Baxrigel culminibus.

Radix lignoſa fere, nodoſa, longa, nigra, præcedentium annorum maceratis petiolorum vaginis incompta.

Folium unicum alterumve, longo pediculo, craſſo, rubro, piloſo nixum; folium hoc, dum iam flos floret, contractum inapertum, tribus petiolis ſupradecompoſitum, externe totum lanuginoſum, interne glabrum, minoribus ſegmentis conflatum quam involucrans.

Caulis etiam unus, craſſus, altus, vel totus ruber, vel ex viridi variegatus, molli alba pube ut petiolus obſitus, hinc longe nudus, involucro folioſo, connato pelviformi, caulem undique amplexante, in tres vaginas fuſo, cingitur.

Ipſæ vaginæ ad caulem concavæ, carnoſiores, interne glabræ, externe admodum piloſæ, in tres abeunt petiolos, quorum ſinguli in tres alios quandoque dividuntur, atque id rarius eſt. Frequentius vero vaginæ abeunt in duas alas folioſas laterales, quæ in duos ſinduntur petiolos folioſos, dum ex exſecto folioſorum petiolorum centro enaſcitur petiolus verus longior, in tres alios folioſos diviſus.

Folia omnia ſupradecompoſita vocat LINNAEUS, carnoſa, interne glabra, externe piloſa, margine ut & petiolis rubra, extremis foliolorum apicibus faſciculo pilorum obſitis.

Caulis coronæ foliorum ſuperpoſitus eiusdem coloris, tamen ad florem ſæpe ex rubro cæruleſcens.

Petala plerumque ſex, quandoque plura, iam tota nivea, iam facie nivea, dorſo ex rubro cæruleſcentia, iam etiam flaveſcentia tota (color enim variare ſolet, ut huic non tantum credi debeat) externe ſemper lanuginoſa, interne glabra.

Germina

Germina plurima.

Semina ipſa ex ovatis utrimque acuminata, multum piloſa. Et hæc quidem deſcriptio ex decem exemplaribus ſimilibus in *Baxrigel-Geſletz alpen* erutis, concinnata eſt. Sed quomodo differt, quam ab hac alpina ſeparat *Cl.* HALLERUS

Pulſatilla involucro piloſo nitido LINNAEI? *Lapp.* N. 223.

Pulſatilla apii folio vernalis flore maiore carneo. RUDB. *Lapp.* 99. colori non credendum.

Eſt Pulſatilla apii folio vernalis flore maiore & minore C. B. *prod.* 94. licet deſcriptio maioris incompleta, de minori vero bene notet, aprili foliis plerumque carere plantam. Etiam floret in ventilabrum adhuc convolutis iisdem; ſed quid eſt.

Anemone alpina alba maior? C. B. *prod.* p. 94. quam pariter BURSERUS in Auſtria collegit, plantam involucratam non facit BAUHINUS, & videtur tamen eſſe Anemone.

Obſervatio I. Tantum unam alpinam LINNAEUS facit, dum tres alpium incolas recenſet HALLERUS: an ſunt diſtinctæ? octava HALLERI ſpecies icone adeo eleganti inciſa TAB. VI. p. 333. ſub nomine *pulſatillæ luteæ apii hortenſis folio* C. B. nec LINNAEO in ſuecicis, nec nobis in auſtriacis alpibus hucuſque viſa, diſtinctiſſima eſt involucro pulſatillæ cum his foliis radicalibus. Speciem vero 5. HALLERI & 6. EIUSDEM & 9. non adeo diſtinctas habeo, & videntur eſſe noſtræ.

Obſervatio II. Nullum ſpecimen figuræ CLUSIANAE conveniens hucuſque vidi, & nimis diſtincti ſunt petioli longe teretes, & folia, quæ explicata picta, nimis anguſta, plantæ noſtræ non conveniunt. In noſtris omnibus in alpibus lectis margine conniventi plicata viſuntur, & radicalia non tot invenio in florente, quæ deciduo flore ſeſe ſolum explicant, ut figura HALLERIANA bene habet: quare etiam iam deciduis petalis explicans ſeſe caulis involucrum cum ſemine, quod nemo bene habet, pingi curavi TAB. III. F. 2.

Digitized by Google

CLEMATIS.

CHARACTER. Calyx nullus. Petala quatuor. Semina ariſta piloſa.

1.) *Clematis vitalba.*
Clematis ſcandens foliis longe petiolatis pinnatis integris aut dentatis.
I. Foliis omnibus dentatis.
Vitalba. DOD. *pempt.* bene.
Atragene Theophras. CLUS.
Clematis latifolia dentata. I. B. II. p. 125.
II. Foliis integris.
Clematis III. MATTH. CAM. *epit.*
Vitis nigra II. TAB.

Ubique ad ſepes ſylvulæ *Simmering*, *Inzersdorff*, aſcenſu *Kaltenberg* & alibi etiam in montibus apricis, ut illo *Mödlingenſi.*

Obſervatio I. In Horto Cliffortiano definiverat plantam LINNAEUS *foliis pinnatis, foliolis cordatis, inæqualiter inciſo-ſerratis*, ut uni tantum conveniret varietati; in ſpeciebus duplicem complexus varietatem dixit *foliis pinnatis, foliolis cordatis ſcandentibus;* noviſſime vero in *novo Syſtemate Naturæ*, quaſi etiam hanc exoſus definitionem, vocat *foliis pinnatis, foliolis cordatis integris ſcandentibus:* eſtne *vitalba* Horti Cliffortiani *vitalba* novi ſyſtematis Naturæ?

Obſervatio II: Folia non magis cordata in hac invenio, quam in recta, ubi ovato-lanceolata a LINNAEO dicuntur, ut inde ambæ non exacte definiantur. An non folia ſcandentia, flos albidus odorus petalis deciduis, ſemen ipſum, evidentioris diſcriminis notas ſuppeditant?

2.) *Clematis recta.*
Clematis foliis longe petiolatis integris caule erecto.
Flammula. CLUS. *Hiſt.* I. p. 124. CAM. *Epit.* 698.
Flammula altera DODON. *pempt.* 406.
Flammula recta. C. B. *pin.* 300.
Clematis foliis pinnatis, foliolis ovato lanceolatis integerrimis, caule erecto LINN. *Spec.* 8. non bene.

In ſylvula *Gatterholz*, *Neugebau*, inſulis *Danubialibus.*

Folia non adeo in hac, quam in ſequenti, integerrima omnia.

A prima

A prima diſtinguitur habitu recto, ab omnibus, foliis ſubtus glaucis, & ſeminibus ſolum duobus ex orbiculis ariſtam plumoſam habentibus. An proprium hæc genus non poſtulat?

3.) *Clematis nutans.*
Clematis foliis ſeſſilibus integris, caule erecto.
Clematis foliis ſimplicibus ovato-lanceolatis. LINNAEI *Spec.* 9.
Clematis cærulea pannonica. CLUSII *Hiſt.* I. p. 123.
Clematis cærulea recta. C. B. *pin.*

Admodum rara, haud adeo obvia: invenit KRAMERUS in prato udo *Döblingenſi.* Ego ex horto *Belveder* in meum hortulum tranſtuli

Folia bina ſemper ex adverſo, raro tria, licet & ſimile ſpecimen ſervem, ſeſſilia.

Petala quatuor ampla, apice reflexo, ſemipatentia, cæruleſcentia, venis nigricantibus, marginibus dilutioribus, unguibus interne argenteis, calyci colorato atraginis alpinæ ſimillima.

Stamina ex albo lutea antheris profundius coloratis; ſtamina ut & antheræ villoſa.

Obſervatio. LINNAEUS hanc *integrifoliam* vocavit, nulla a præcedenti diſtinctionis nota, quod & *recta* integrifolia ſit; quod autem florem plerumque nutantem habet, *nutantem* dicere malui.

ATRAGENE.

CHARACTER. Calyx quatuor factus foliolis maximis.
Corolla duodecim, pluribus petalis, minoribus.
Semen cauda plumoſa arcuata.

1.) *Atragene clematides,* TAB. V. F. 1. 2. 3. 4. 5.
Atragene ſcandens foliis duplicato-ternatis, ſerratis.
Clematis foliis cordatis crenatis, indiviſis trilobis ac ternatis. ROY. nunquam ſunt cordata, nec crenata, cæterum bene.
Anemone tubis caudatis tetrapetala pinnis latiſſimis. HALL. *Helv.* p. 332. Calycem pro corolla ſumit.
Clematis cruciata alpin. PON. apud CLUS. Icon. incommoda, deſcriptio conveniens, ſed manca.
Clematis cærulea ſerrato folio. I. B.

Creſcit in *Sauplanken-Schneberg*, in *Miſtelthall* copioſe, vidi etiam dependentem ex rupe *Breynina.*

Faul)

Digitized by Google

Paulo exactior huius plantæ ſuppeditanda deſcriptio eſt, quod aut negligentiores omnes, aut ex ſpeciminibus ſiccis mancæ, & hariolantes aliæ inveniantur. Noſtris in alpibus non vidit CLUSIUS, & in deſcriptione montis Baldi primus deſcriptionem & figuram dedit PONA, hanc admodum deficientem, illam omnino malam; quare e ſedecim fere vivis ſtirpibus ab Anno 1758 uſque 1762 hortulo meo illatis, quarum quatuor ſingulis annis læte lateque floruere, & magna florum vi onuſtæ fuere, deſcriptionem adornavi, figuram ex iuniori plantula 1760. ex *Miſtelthall-Schneberg* allata, eodem anno confici curavi, & æri incidi.

Planta itaque noſtra opportune duos fundens caules, poſtratum & humi ſerpentem unum, ſcandentem alterum, & creſcendi utrumque ſuum modum illico patefecit, & foliorum figuram, coniugationum diſtantiam, clarius obtulit: nec defuit ſerpentis radius, & novam generans plantam in eadem ſtirpe, (quod etiam in aliis frequenter obvenire obſervo) ſpecimen elegans, quod etiam novella folia ab adultis omnino diſtincta eſſe commonſtraret. Scandentis plantæ ope petiolorum modum, & florem F. 2. cum folio calycis F. 3. & petalo F. 4. & calyce, & petalis deciduis immaturum ſeminum conum F. 5. & ſemen maturum F. 6. ita credo exprimi curavi, ut deſiderari nihil poſſit.

Planta etiam demiſſis in terram ſarmentis ſæpe radicem figens, caudices ſub terra ſerpentes habet, qui radiculas, unde novæ demum pullulent plantæ, agant.

Radix ramoſa, fibroſa admodum, repens, ex ſummo capite caules longe ſarmentoſos, angulares, glabros, recte, ut in Clematide *vitalba*, purpureo-nigros fundit, unum, duosve, ſingulis fere annis ſociis auctos: ſunt hi ſine fulcro ſemper proſtrati, humi ſerpentes, latas terræ plagas cooperientes, fulcrum nacti ſcandentes, etiam totos frutices minores tegentes, ramoſiſſimi varie implexi, non facile definiendæ longitudinis, cum ſingulis annis Clematidis *vitalbæ*, & facie, & habitu, & more fruticent. Caulium cortex etiam in noſtra, ut in *vitalba*, ex intorſione rimas agit, longitudinaliter finditur, & novo ſuccreſcente emoritur; eſt adhuc utrique eadem ſubſtantia, & multa in aliis ſimilitudo, quanquam enim noſtræ caules quam *vitalbæ* longe ſubtiliores ſint, tamen huic, ut illi, eadem hirſuties, eadem fere coniugationum foliorum diſtantia, idem petiolorum in cirrhos alternos incraſſandorum modus, natura,

Digitized by Google

natura, uſus, gemmarum axillarium idem ſitus, maior tamen atragini frequentia & numerus ad omnes petiolos, ſed & ad pedunculos, axillares petiolos duos, & ad caulem duos habet, qui alteri ſolum, & pro pedunculo, & pro caule, duo ſunt. Adhæc tenendum eſt, absque *gemma* una petiolum nullum deprehendi, nec absque duabus e medio harum egredientem pedunculum.

Petioli duorum pollicum leviter hirſutuli, canaliculati folia connectunt biternata, & triternata, lateralibus iterum petiolatis, extimis ex eo petiolo ortis: foliola vero hæcce plerumque ſeſſilia, quandoque exiguo petiolo nixa, quæ paria ſunt & minima, ex ellipticis alata ſerrato-inciſa, quæ imparia & longiſſima, etiam ſerrato-inciſa, ſed lanceolata magis. Scire tamen etiam iuvat quandoque minori baſi cum maiori confluere adhuc in iuventute, ut ſolum ternata aut duplicato-ternata eſſe videantur. Adhæc minora adeo profunde quandoque inciſa eſſe, ut quinque folia mentiantur. Cæterum ſunt ſuperna facie profunde, inferna dilute magis viridia, non ut in *vitalba* hirſutula.

Pedunculi longi baſi incraſſata, ex gemmis paribus egreſſis petiolis vaginantur, axillares ſæpius, terminales rarius, ſemper uniflori, ſolitarii.

Calyx quatuor, raro ſex (qualia ſpecimina ſervo, etiam ſæpius alia vidi) factus foliolis maximis, pulchre cæruleis, lanceolatis, externe villoſis, interne glabris, apice convoluto vel contorto, baſi profundius colorata, incraſſata, nervoſa.

Corolla duodecim, etiam pluribus inſtructa petalis ſpatulatis, venoſis, ſæpiſſime exalbidis, aliquando leni colore perfuſis, quæ quoniam calycis foliolis abſconderentur, nec ſtaminibus maiora eſſent, a multis negata ſunt, ita ut noſtræ plantæ corollam deeſſe hi, alii calycem deficere contenderint. Decidit Calyx, & corolla, & remanet ſolum ſemen cum cauda plumoſa in arcum flexa, & hæc ex numeroſiſſimis exemplaribus vivis deſcriptio eſt.

Eſtne iam planta noſtra

Atragene alpina LINN? Ego ſane nihil obſtare video, cum & definitioni conveniat & alpina ſit, & ipſo referente LINNAEO fruticet, ut habitus non adeo diſtinctus videatur. Ut alii male ex unius floris emarcidis petalis conjicientes ad Atragenem pertinere hanc ſtirpem, demirentur, quo potuerint pacto HALLERUS, LINNAEUSque cum Atragene *alpina* confundere,

fundere, cum habitu adeo differant, ut e CLUSIANA, HALLERIANA collata deſcriptione evidenter patet. An igitur noſtra planta
Anemone tubis caudatis, tetrapetala, pinnis latiſſimis. HALLER. *Helv.* p. 332? omnino licet deſcriptio aliquantulum recedat, quæ, quoniam ex planta ab HALLERO inventa facta non ſit, ut patet legenti, ex ſpecimine emarcido ſicco facta eſſe videtur. Sed nonne Synonima id clare evincunt?

Cæterum totius plantæ habitus Clematidum evidentior quam Anemonum, ut primo intuitu & examine Clematidem eſſe, calyce incaſſum reclamante contendas; quare etiam, quod ego illi adieci cognomen, natura ſtirpis ſibi vindicare videtur, nec illud aut *alpinæ* aut *auſtriacæ* de plantæ habitu, eſſentia, quidquam indigitat.

Obſervatio I. Ex unius floris emarcidis petalis coniiciens botanophilus ad Atragenem plantam noſtram pertinere, ab atragene alpina ſeparare non debet, cum capi non poſſit, quo pacto hic tanta fiducia diſtincti nihil videns, diſtinctum tamen & peremptorium iudicium ferre præſumat.

Obſervatio II. CLUSIUS huius plantæ deſcriptionem nunquam adornavit, utpote quod non vidiſſet, nec in ſylvis, nec arvis, nec montoſis ſylvaticis, nec in fruticetis ſubalpinis Auſtriacis.

SILICULIS DEHISCENTIBUS.

1. Flore irregulari.

AQUILEGIA.

CHARACTER. Calyx nullus. Petala quinque, quibus quinque interpoſita ſtamina, poſterioribus fulta baſi clavata. Siliquæ diſtinctæ.

1.) *Aquilegia vulgaris.*
Aquilegia nectariis incurvis. LINN.
I. Aquilegia hortenſis ſimplex. C. B.
II. Aquilegia hortenſis multiplex flore magno. C. B.
III. Aquilegia flore roſeo multiplici. C. B.
IV. Aquilegia degener vireſcens. C. B.
V. Aquilegia flore lanuginoſo.

In ſylva *Schönbrun*, in ſylva *Glocknitz*, aliæ in hortis. V. in ſaxis ſubalpinis *Breyn.*

ACONI-

ACONITUM.

CHARACTER. Calyx nullus. Petala quinque inæqualia ſupremo galeato.

1.) *Aconitum*, *Napellus.*
Aconitum foliorum laciniis linearibus ſuperne latioribus linea exaratis.
Napellus *Offic.* STOERCK bona icon.
Napellus. MATTH. CAM. *Epit.* Icon plantæ alpeſtris. RIVINI flore minore T. 132. flore albo T. 134. & flore mixto T. 135. bene.
Napellus verus. LOB. iconum. p. 679.
Napellus vulgaris. CLUS. *Hiſt.* II. p. XCVI. bene.

In paſcuis alpinis, ſubalpinis frequenter ad caſas.

Obſervatio. Inveni etiam flore albo in ſylva *Kleine Feuchten*, quæ eſt in itinere in Etſcherum.

2.) *Aconitum lycoctonum.*
Aconitum foliis palmatis multifidis villoſis. L.
Aconitum II. CAM. *Epit.* p. 827. bene.
Aconitum lycoctonon vulgare flore luteo. CLUS. *Hiſt.* II. p. XCIV.
Napellus flore luteo. RIV. *irreg. pentapet.* T. 131.

In *Kaltenberg* ea parte, quæ *Grinzing* ſpectat.

In definitionibus diſcrimen.

DELPHINIUM.

CHARACTER. Calyx nullus. Petala ſex, quinque radiata, ex,quibus ſupremum in conicum calcar abit, ſextum in centro floris exſtans, bifidum, fructificationem recondens. Silicula una, tres.

1.) *Delphinium*, *Conſolida Reg.* Offic.
Delphinium flore uniſiliquo, foliis tenuiſſime diviſis ex HALL. *Helv.* Spec. I.
Conſolida Regalis. CAM. *epit.* optime. BLAKW. T. 26.
Conſolida Regia. TRAGI.
Delphinium vulgare. CLUSII *Hiſt.* II. p. CCV.
Delphinium nectariis monophyllis caule ſubdiviſo. L. *Spec.* I.
Delphinium flore cæruleo.
Delphinium flore ſubalbo.

Ubique inter ſegetes, in aggeribus arvorum, etiam in ſylvula *Gatterholz*, copioſiſſime in illa valli ſuburbici parte, quæ Collegio Thereſiano ſubiecta eſt.

Digitized by Google

Flos cæruleus; petala viridi ſtria ſubtus picta.

Obſervatio. Aegre diſtinguo a ſequenti; nam quæ ex caule ſimplici aut ſubdiviſo ſumuntur notæ, non adeo plantas diſcriminant, ut in duas ſpecies diſtrahi debeant.

2.) *Delphinium Aiacis.*
Delphinium nectariis monophyllis caule ſimplici.
Conſolida Regalis hortenſis flore maiore, minore. C. B.
Flos Regius. DODONAEI.

In hortis culta.

In hac non unam, ſed tres ſiliculas villoſas dicit ZINNIUS: & ſi demum ſeiungendæ videantur, ſilicula villoſa & ſilicula glabra felicius discriminarentur, quam caule ſimplici, & ſubdiviſo.

NIGELLA.

CHARACTER. Calyx factus foliolis quinque, coloratis, bifidis, corolla petalis calyce minoribus octo in orbem poſitis. Germina III. IV. V. plura. Siliquæ totidem, alias connatæ, alias liberiores.

Obſervatio. In aſſignando huius generis charactere plurima apud botanicos difficultas. Calycem nullum vult LINNAEUS, & calycem TOURNEFORTII pro corolla ſumit, corollam pro nectariis, quod cur faciat ipſe videat; utique nectarii ſignificatio hic plane arbitraria eſt, & in Atragene alpina calycem fecit, quem omnes corollam vocarent. Adhæc ſi hac voce uti par ſit, nectaria ſolum quinque facit, trifida, dum omnes, TOURNEFORTIUS, MALPIGHIUS, HALLERUS, ZINNIUS & alii botanici octo vident, bifida, & ſiliquas modo liberas, modo connatas; ex plurimo igitur capite character LINNAEI fallit.

1.) *Nigella arvenſis.*
Nigella flore foliis nudo.
Nigella I. *Spec.* HALLERI *Helv.* p. 316.
Melanthium ſylveſtre alterum. MATTH. CAMER. *Epit.* p. 553.
Melanthium agreſte alterum. TAB.
Nigella arvenſis cornuta C. B. I. R. H. MOR.

In agrorum marginibus ubique, *Simmering*, *Döbling* &c. etiam in monte St. *Leopoldi.*

Calycis

Digitized by Google

Calycis foliola pedicellata, ex ellipticis acuminata, colorata, venoſa.

Corolla paria teſtudinum pedicellatarum ſuperne convexarum & pulchre pictarum octo ſimulat.

Cæterum in definitione diſcrimen, nec alia pro noſtra flora definitio aptior.

2.) *Nigella damaſcena.*
Nigella flore foliis nidulato.
Melanthium damaſcenum. DOD. *pempt.* 304.
Melanthium ſylveſtre. MATTH. LOB. Icon. 741.
Melanthinm damaſcenum flore pleno. CLUS.
Nigella anguſtifolia flore maiore ſimplici & pleno cæruleo. C. B. *pin.* 145.

Inter ſegetes rarior.

In definitionibus differentiæ ſunt.

2. Flore regulari.

HELLEBORUS.

CHARACTER. Calyx nullus. Petala quinque, plura cornicula bilabiata. Capſulæ erectæ liberæ polyſpermæ.

1.) *Helleborus hyemalis.*
Helleborus flore folio inſidente. L.
Helleborus ranunculoides præcox, tuberoſus, flore luteo. MOR. III. S. 12, T. 2. F. 4.
Aconitum unifolium bulboſum. C. B. *pin.* 183.
Aconitum hyemale. CAM. *Epit.* p. 828. ſine foliis icon.

In monte *Cetio* KRAMER, ego in alpibus inveni.

Definitione facile ab omni alio diſtinguitur.

2.) *Helleborus niger.*
Helleborus foliis pedatis flore roſeo.
Helleborus ſcapo ſubunifloro & ſubbifloro ſubnudo, foliis pedatis. L.
Helleborus niger legitimus. CLUS. *Hiſt.* I. p. 275.

In ſubalpinis etiam alpinis, *Schneberg*, *Breyn*, *Etſcher.*

Digitized by Google

3.) *Helleborus viridis.*

Helleborus foliis digitatis flore viridi.
Helleborus vaginis foliaceis digitatis. HALL. *Helv.* p. 317.
Helleborus caule multifloro folioſo, foliis digitatis. L.
Elleborum nigrum alterum. CAM. *Epit.* 941. bene.

In monte *Cetio*, in ſylva *Hiedeldorff*, KRAMER, etiam in montanis ſylvis aliis.

Definitionibus diſcriminantur omnes tres.

Obſervatio. Piſtilla tria, raro quatuor, rariſſime quinque invenias, quod etiam ſuis notis R. P. FISCHER S. I. confirmavit: an feminæ frequenter abortiunt in decima tertia Claſſe ſexualis ſyſtematis, ut ex polygynis fiant trigynæ, tetragynæ? infelix ob abortus Claſſis, ad minimum nota digna.

TROLLIUS.

CHARACTER. Calyx nullus. Corolla polypetala 12. 14. tubuli plani. Siliquæ in capitulum collectæ cornutæ, monoſpermæ. L.

1.) *Trollius altiſſimus.*

Trollius flore pedunculato clauſo globoſo.
Helleborus uniflorus petalis & ſiliquis plurimis. HALL. *Helv.* 318.
Ranunculus flore globoſo DOD. purg. Icon. *pempt.* Icon. p. 427. bona.
Ranunculus glomerato flore. CLUS. Icon.
Ranunculus montanus aconiti folio flore globoſo. BOERH. p. 297.

In pratis ſubalpinis, humidis, in tota Auſtria frequentiſſimus.

Charactere, definitione cognoſcitur.

Folia radicalia longe petiolata petiolo ſulcato, hæc quinquefariam diviſa, etiam petiolo dirempta, pulchre ſecta, æqualia, ſingularum diviſionum petiolus exalbidus eſt, & ſingularum ſectionum angulus macula dilutiore notatur.

Caulis ſæpiſſime ſimplex, quandoque tamen ramoſus, ut CLUSIUS figura expreſſit.

Flos maturus aureus, immaturus viridis, petalis ſtriis rubris coloratis; petala ſemper duo, ex ordine oppoſita, ſupra ſtamina recurva reflexa, in univerſum octo, decem in meis ſpeciminibus.

Siliquæ

Siliquæ in capitulum collectæ, copioſæ, glomeratæ bivalves, cornu, recurvo, nigræ.

2.) *Trollius humilis* * *
Trollius flore involucrato, ex viridi palleſcente, minus clauſo.
Ranunculus glomerato flore II. CLUS. *Hiſt.* I. p. 237. deſcriptio.
Ranunculus humilior flore minore ex viridi palleſcente. EIUSD. Deſcrip. bona.
Trollius humilis flore patulo. BUXBAUM *Cent.* I. T. 22. Icon, admodum noſtræ plantæ conveniens & exquiſita.

Is nunquam in pratis ſubalpinis, ſed in ſummis montium *Schneberg* iugis ſolum mihi inventus,

Amborum diſcrimen in definitione, etiam in foliis nitidioribus poſterioris, quæ BUXBAUMII figura rite exprimit. Semina non vidi; periit in hortulo, tranſlata ſæpius, florentem habeo in exemplari ſicco, diceres BUXBAUMII prototypon.

ISOPYRUM.

CHARACTER. Calyx nullus. Petala quinque. Squammulæ ſtamina erecta tenentes quinque, auriculatæ, integræ. Siliquæ recurvæ, arietinæ, una, binæ, tres.

1.) *Iſopyrum: Thalictroides.*
Iſopyrum Thalictroides flore albo.
Ranunculus præcox I. Thalictri folio. CLUS. *Hiſt.* p. 233.
Ranunculus nemoroſus Thalictri folio. C. B. *pin.* MOR. RAII.
Thalictrum batrachioides flore albo italicum. BOCC. *Muſ.* T. 79. F. I.

Obſervatio I. Ovatum in ſtipulis divinari debet, nec opus eſt pro noſtra Flora addere, cum tantum hanc ſpeciem habeamus; ſed neque *ſubulatum* adeſt in Sibirica planta, Iſopyro nempe *fumarioide*, cum lata ſatis baſi pedunculos amplexa duos ſolum laterales denticulos habeat, quales etiam ad petiolorum radicalium vaginas vides. Sed neque nectaria trifida LINNAEI cernere potui in Auſtriaca planta, minus adhuc in Sibirica, in qua ſpatulato-recurva, integra, ut antheræ ſtamina, & petala, aurea nunc adhuc video.

Obſervatio II. Modo uno, modo duobus, modo tribus piſtillis inſtrui plantam ſæpe mecum beatus R. P. FISCHER obſervavit, & licet per plures

Digitized by Google

plures annos plus triginta deſtruerem flores, videre nunquam contigit, pentagyniam eſſe. An igitur polyandra pentagyna hæc ſtirps? Interea quid eſt Ranunculus præcox II. Thalictri folio CLUSII apud LINNAEUM? heu nimium infidæ fœminæ, nunquam certo expiſcandæ!

POEONIA.

CHARACTER. Calyx pentaphyllus. Petala quinque. Germina duo villoſa, ſtyli nulli. Capſula polyſperma.

1.) *Poeonia officinalis.*
Poeonia foliis difformiter lobatis. HALL. *Helv.* 311.
Poeonia. BLAKW. T. 65.
II. Poeonia foliis lobatis ex ovato lanceolatis. HALL. *ibid.*
Poeonia mas. BLAKW. 245. LOB. Icon. 684.

In hortis.

CALTHA.

CHARACTER. Calyx nullus. Petala quinque. Nectaria nulla. Siliquæ ſtellatim diſpoſitæ.

1.) *Caltha paluſtris.*
Caltha Omnium.
Populago maior. TAB. Icon 750.

In *Brader*, *Stadtgutt*, & alibi frequens, etiam in ſubalpinis, & alpinis locis, maxime udis, copioſe ad caſas *Breyninas*, etiam in *Gans*.

ORDO

Digitized by Google

ORDO IV.
RHOEADUM.

Fragmenta 30. Natur. LINN.

Obſervatio. Etſi primo etiam intuitu vix multo cohærere cæmento hoc fragmentum abunde intelligatur, ſervo tamen LINNAEANUM eſt.

CHARACTER. Calycis folia decidua. Petala patentia. Vires ſoporiferæ ZINNIUS. Sed Character non ſatis definitus eſt: calyx perſiſtit in Nymphæa, & dubium eſt omnes ſoporiferas vires habere: non potui emendare.

PAPAVER.

CHARACTER. Calyx bifolius, petalis bis binis ſeſe explicantibus detruſus. Capſula operculo radiato unilocularis, ita LINNAEUS.

1.) *Papaver rhoeas* Offic.

Papaver capſulis glabris, caule piloſo, foliis pinnatifidis inciſis.

I. Papaver capſulis glabris globoſis, caule piloſo multifloro, foliis pinnatifidis inciſis. LINN. *ſpec.* 5.

Papaver foliis pinnatifidis hiſpidis, fructu ovato. ROY.

Papaver erraticum maius. C. B. *pin.* 171.

Papaver erraticum minus, C. B. *pin.* ibid.

Papaver rhoeas prius DALECHAMP. rheas RAII.

Papaver rubrum fluidum. TAB. p. 570.

II. Papaver capſulis glabris oblongis caule piloſo ſimpliciſſimo, foliis pinnatifidis inciſis.

Papaver erraticum maius flore albo: varietatem vulgaris rubri, quam pro rariſſima planta habuit C. B. HALLERUS *iter*, in ſylv. Hercyniam p. 87. habet.

Primum inter ſegetes, & vallum ſuburbicum *Belveder.* Alterum ad orientem dirutæ arcis *Mödling.*

Obſervatio. Ne novam facerem a Rhoeade Officinarum, quam diſtinctam non eſſe perſuadeor, ſpeciem, generalis debuit poni definitio; equidem nec noſtræ capſula globoſa, ſed oblonga eſt, nec caulis multiflorus, ſed flos unicus albus leucophæus conſtanter.

2.) *Papaver album & nigrum* Offic.
Papaver calycibus capſuliſque glabris, foliis amplexicaulibus inciſis.
Papaver ſativum Ill. DOD. *pempt.*
Papaver ſpontaneum ſylveſtre & hortenſe, ſemine interdum nigro, alias albo. LOB. Icon. p. 274.
Papaver nigrum. BLAKW. T. 482.

Frequens hinc inde in hortis ſuburbanis rhizotomorum.

3.) *Papaver* BURSERI. T. VI. F. 4.
Papaver pumilum ſcapo unifloro nudo, capſula hiſpida.
Papaver perenne pilis rigidiſſimis, foliis pinnatis, flore luteo hirſuto. HALL. *Helv.* 304. an perenne?
Papaver alpinum coriandri folio. I. R. H.
Papaver alpinum ſaxatile coriandri folio SEGUIERI *Ver.* Icon bona.
Argemone alpina lutea foliis ſcandicis. C. B. *prod.* 93.
Argemone alpina coriandri folio. C. B. *pin.*
Argemone lutea. PONAE. MOR. T. II. Sect. 5. T. 14. F. 13. capſula male, folia non piloſa itidem male.
Argemone minor. PONAE. DALECH. 1714.

In monte *Schneberg* Auſtriæ, qua parte ex pago eiusdem nominis perpendiculariter aſcenditur, inter ſaxa D. BURSERUS reperit teſte C. B. in *prodromo.* eodem loco 1759 adhuc inventa, tum 1758 alia eiusdem montis parte meridiem reſpiciente copioſiſſime, & hoc anno 1762. cruebam vaſtiſſimam plantam, viginti & unum ſcapos promentem in Geſletz-alpen-*Gus*, locis ſaxoſis ſteriliſſimis, torrente aquarum ex his alpibus ſingulis annis defluo, devaſtatis, in terribili illo itinere botanico, in quo alpes omnes prima die Iunii nive obducebantur, & præ frigore rigentes, eſſent fere inacceſſæ.

Radix conica fibroſa inter ſaxa in ſabulo alte defixa alba eſt in alpibus, nigra in hortis; hæc ex ſummitate emittit pediculos plurimos ſeſe vaginantes, canaliculatos teneros, inſtar vitri cum ſonitu fragiles; attactu odoros, coloratos hirſutos.

His *folia* inſident exigua, profunde laciniata, bipinnata, hirſutie hiſpida, ut in icone recte expreſſa; ignorari tamen non debet, iam aliqua ſpeci-

ſpecimina magis, alia minus rigide hiſpida deprehendi, adhæc magis glauca, illa nigre hirſuta eſſe.

Scapus unus 2. 8. 12. 20. plures, 4. 5. 6. 12. pollicum leviter pubeſcentes. Calyx biſolius ovatus, nigris pilis obſitus.

Flos unicus quatuor ſæpius, quandoque quinque petalis inſtructus ſubrotundis, baſi anguſtioribus, candidiſſimis niveis glaberrimis, pluvia, aut cœli inclementia flavis vitiatis, flavos enim puros nunquam vidi flores.

Stamina, de more Rhoeadum noſtrae plantæ coloris lutei, plurima.

Germen ex tota gente minimum oblongum, operculo convexo radiato, radiis 4. 5. plerumque ſex in capſularum dorſum protenſis, radicatis, operculi circumferentia non de more Rhoeadum elevata, aut reflexa, aut diſtante, ſed inclinata. Ipſa inter radios in foramina arcuata 4. 5. 6. capſula hiat, quæ oblonga hiſpida pilis ex albo flavis ſurſum ſpectantibus.

Semen exiguum fuſcum, & hæc ex viginti ſpeciminibus deſcriptio eſt.

Obſervatio I. Hæc fuit adeo exacta deſcriptionis huius plantæ relligio, quod etiam botanicorum principes hanc non viderint, & qui vidiſſent alii, priorum dubia ſolvere, & rem herbariam illuſtrare haud dignarentur, erat tamen de rara hac ſtirpe illis exacte referendum aut prorſus non ſcribendum: præter iconem SEGUIERUS nihil fecit, hoc adhuc minus alii, qui ſimpliciter enumerant. Cæterum non vidit LINNAEUS & ex BURSERIANIS ſchedulis ſolum retulit, flores plantæ BURSERIANAE apud CASPARUM BAUHINUM albos fuiſſe, non luteos aſſerente BURSERO, quam notam contra C. BAUH. HALLERUM & alios poſuiſſe videtur, qui luteos & hirſutos dicunt. Flos niveus purus eſt in noſtris omnibus alpibus, repoſitus vero in herbario ſæpe flavus fit; & bene obſervavit BURSERUS, in eo adhuc poſt cineres dolendus, quod ingratæ botanicæ tot itinera, duros labores olim conſecraverit, hodiedum LINNAEUM absque præmio doceat. Si tamen immortalitatem ullibi meruit botanicus, videbatur in Suecia meruiſſe BURSERUS, utpote quæ eius herbarium poſſidet. Ego Papaver BURSERI dixi, quod alii alpinum vocant, quoniam noſtrum a BURSERO rite deſcriptum, & in Auſtria primo ab illo inventum.

4.) *Papaver dubium* * *Enam.* * *Elenchus.*

Papaver capſulis oblongis, caule multifloro, ſetis appreſſis; foliis pinnatifidis inciſis.

An papaver dubium LINNAEI?

An papaver argemone Eiusdem. utrumque eſt.

In prato *Perſchling* eundo in *Crembs* ad viam regiam in ſabulo; nuper ad *Rodaun* etiam inventa, tum tertio inveni capſulis totis glabris ad margines agrorum *Incersdorff.*

Caules ex ſummis capitibus multi, diffuſi, terræ in arcum incumbentes, dein erecti, ramoſi, ramis fere ſemper interna facie caulium exortis, & ab hoc exortu cauli aut æqualibus aut maioribus: caulibus & ramis ſetis maxime adpreſſis, hiſpidis, præditis.

Folia radicalia multa, petiolis carinatis in arcum ſurſum erectis, ſetis patentibus hiſpidis, tripartito-pinnatifida: pinnis trifidis, bifidis, ſimplicibus, impari fere ſemper trifida; eſt tamen etiam, ubi coſtæ folioſæ non ſint pinnatæ ſed alterne pinnatifidæ.

Caulina petiolum exiguum habent, mox in tres coſtas pinnatifidas, cornua cervi vix non referentes, diviſas, hæcque omnibus ramis ſubiiciuntur.

Calyx gentis bifolius hiſpidus delabens.

Corolla quatuor petalis profundius igneis, unguibus nigreſcentibus prædita.

Stamina multa cæruleo-nigra: antheris leniter cineraſcentibus.

Capſula oblongo conica ſexangularis, ultra medietatem hiſpida, ſetis albentibus longis patenti erectis: alia glabra, ſuperius coronata ſtigmate elevato depreſſo ſtellato quinquefido.

Obſervatio I. Hæc planta manifeſte coniungere videtur papaver *Argemone* et *dubium*, quæ ut ſpecies diſtinctæ duæ a botanicis omnibus tum demum a cl. Viro LINNAEO propoſitæ fuerant, nec ſatis diſſentiunt icones MORISONI II. P. 278. ſ. 3. t. 14. f. 10. & f. 11. ſcilicet *Argemone capitulo tenuiore longiore hirſuto*, & *Argemone capitulo longiore glabro.* Nunc etiam certum eſt *Papaver foliis ternato-pinnatis, fructu angulato: Hort. Cliff.* quod *argemone* LINNAEI eſt, huic exacte convenire, & nuper idem capſulis glabris repertum eſſe ad *Rodaun.*

Obſervatio II. Cum vere dubium ſit, hæc denominatio ſervanda eſt, & eius varietas argemone expungenda.

CHELI-

CHELIDONIUM.

CHARACTER. Calyx bifolius glaber. Corolla quadripetala. Siliqua matura nodoſa, unilocularis.

1.) *Chelidonium maius* Offic.
Chelidonium floribus, ex ſiliquis breviſſimis.
Chelidonium pedunculis umbellatis caule piloſo.
Chelidonium pedunculis umbellatis. L.
Chelidonium maius. FUCH. 865. vulgare. C B. p. 144.
II. Chelidonium maius foliis quernis. C. B. *pin.* 144.
Chelidonium maius folio laciniato. CLUS. II. p. 203.

Prius in *Döbling*, poſterius ad *Hamburgum* inveni.

Planta croceum fundit humorem. Flos exiguus flavus. Siliqua membranacea.

GLAUCIUM.

TOURN.

CHARACTER. Calyx bifolius hiſpidus. Corolla quadripetala. Siliqua cornuta aſpera bilocularis, extremitate fungiformi pileata.

Obſervatio. Incorrigibilis ſane LINNAEUS eſt, qui poſt admonitiones HALLERI, aliorum, ſiliquam unilocularem adſcribit ſuis Chelidonii ſpeciebus, *Glaucio*, & *corniculato*. Sed non omnibus datum eſt, cum pertinacia contra euidentiam tueri errorem. An non leviori nota *Iaſionem* ſeparavit a *globulariis?*

1.) *Glaucium flavum.*
Glaucium caule glabro ſiliquis cornutis deflexis.
Papaver corniculatum. C. B. *pin.* 171.
Papaver corniculatum flavo flore. CLUS. *Hiſt.* II. p. 91.

In pomariis KRAMER', nullibi ego vidi niſi in hortis.

2.) *Glaucium phœniceum.*
Glaucium caule hiſpido ſiliquis cornutis rectis.
Glaucium hirſutum flore phœniceo. TOURN. *Inſt.* 254.
Papaver cornutum phœniceo flore. CLUS. *Hiſt.* II. p. 91.

In vallo *Belvedeer* ab omni tempore.

Digitized by Google

Obſervatio. Non ſolum in definitione generica, ſed etiam in ſpecifica aberrat toto cœlo LINNAEUS; folia in phœniceo invenio magis amplexicaulia, quam in flavo, quæ in phœniceo dixerat ſeſſilia, in flavo amplexicaulia LINNAEUS.

ACTAEA.

CHARACTER. Calyx quadriphyllus. Corolla quadripetala. Bacca globoſa coriacea non pulpoſa, ſtigmate oblique depreſſo, unilocularis.

1.) *Actaea ſpicata.*
Actaea racemo ovato fructibus baccatis. L.
Chriſtophoriana. CLUS. *Hiſt.* II. p. 86. WEINMANN. T. 380.
Aconitum bacciferum. C. B. *pin.* 182.

Supra *Grinzing* in ſylvis.

Calyx lacteus purpura coloratus: in corolla multi decipiuntur.

Petala quatuor calycis foliolis magnitudine æqualia, non colorata, nivea.

NYMPHAEA.

CHARACTER. Calyx vel quadri-vel quinquephyllus. Corolla polypetala. Fructus multilocularis.

1.) *Nymphaea lutea.*
Nymphaea calyce magno pentaphyllo fructu pyriformi. HALL. *Helv.* 302.
Nymphaea lutea omnium. BLAKW. T. 497. 499.

In lacubus & paludibus *Neapolis* Auſtriae. Fluvio *Leyta* KRAMER.

2.) *Nymphaea alba.*
Nymphaea calyce tetraphyllo, fructu rotundo. HALL. *Helv.* 302.
Nymphaea candida. DODON. alba MATTH. BLAKW. T. 498. 499.
Nymphaea calyce tetraphyllo corolla multiplici. L.

Cum præcedenti.

ORDO

Digitized by Google

ORDO V.

COLUMNIFERARUM.

CHARACTER. Tubus ex filamentis ſtaminum coalitis compoſitus columnaris: adde Calycem duplicem.

MALVA.

CHARACTER. Calyx duplex, exterior triphyllus. Capſulæ plurimæ monoſpermæ.

1.) *Malva rotundifolia.*

Malva caule repente foliis cordato-orbiculatis, obſolete quinquelobatis. LIN.
Malva ſylveſtria folio ſubrotundo. C. B.
Malva ſylveſtris pumila. FUCH.

In ruderatis, etiam iuxta vias ad pagos.

2.) *Malva ſylveſtris.*

Malva caule erecto herbaceo, foliis lobatis obtuſis, pedunculis petiolisque piloſis.
Malva ſylveſtria folio ſinuato.
Malva. BLAKW. TAB. 22.

Ad vias & in campeſtribus.

Flos cordatus roſeus venis purpureis percurſus.

AL-

ALTHEA.

CHARACTER. Calyx duplex, exterior novemfidus. Capſulæ prioris.

1.) *Althaea officinalis.*

Althaea foliis ſimplicibus tomentoſis. L.

Althaea DIOSCORIDIS, & PLINII. C. B. *pin.*

Hinc inde in via ad *Draskirchen*, ad ſepes *Neugebäu*, & alibi.

2.) *Althaea cannabina.*

Althea foliis inferioribus palmatis ſuperioribus digitatis, caule fruticoſo. L.

Alcea cannabina. C. B. P.

Leytæponti KRAMER & alibi.

*) *Althaea hirſuta.*

Althaea foliis trifidis, piloſo-hiſpidis. L.

Alcea hirſuta minima flore cæſio hiſpanica. BARR. Icon.

Non perſuadeor, indigenam eſſe.

LAVATERA.

CHARACTER. Calyx duplex, exterior trifidus, interior quinquefidus; capſulæ plurimæ monoſpermæ.

Lavatera Thuringica.

Lavatera fructibus denudatis calycibus inciſis.

Althaea Thuringica, CAM. *Hort.* 12. T. 6.

Althaea Thuringica grandiflora. DILL. *Elth.* 9. T. 8. F. 8.

In *Inzersdorffer* Wald in initio ad ſiniſtram, etiam ad *Neugebäu*, in *Simmeringer* Wald 6. locis & alibi.

Calyx exterior reticulati operis ſimplicior, uterque ſericeus.
Flos malvaceus odorus.
Petala cordata magna alba, venis carneis picta.

INDEX

Digitized by Google

INDEX GENERUM

FASCICULI SECVNDI.

Aconitum - - - - 131
Actæa - - - - 142
Adonis - - - - 110
Althæa - - - - 144
Anemone - - - 121
Aquilegia - - - - 130
Atragene - - - 127
Caltha - - - - 136
Chelidonium - - - - 141
Ciſtus - - - - 100
Clematis - - - - 126
Delphinium - - - - 131
Fragaria - - - - 71
Geum - - - - 69
Glaucium - - - - 141
Helleborus - - - - 133
Hypericum - - - 96
Iſopyrum - - - - 135
Lavatera - - - - 145

Digitized by Google

Malva - - - - 143
Meſpilus - - - - 88
Nigella - - - - 132
Nymphæa - - - - 142
Papaver - - - - 137
Pœonia - - - - 136
Prunus - - - - 93
Ranunculus - - - - 111
Roſa - - - - 84
Rubus - - - - 81
Sorbus - - - - 83
Spiræa - - - - 109
Thalictrum - - - - 105
Tilia - - - - 96
Trollius - - - - 134

STIR-

HENRICI IOA. NEPOM. CRANTZ

S. C. A. MAIESTATIS CONSILIARII, INSTITVTIONVM MED. ET MATERIAE MEDICAE VINDOBONENSIS PROFESSORIS PVB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. ET SOCIETAT. BOTANIC. FLORENTIN. LITTER. ROBORET. SODALIS

STIRPIVM AVSTRIACARVM

FASCICVLI III

EDITIO ALTERA AVCTA

CVM FIGVRIS AENEIS

IMPENSIS IOANNIS PAVLI KRAVS
BIBLIOPOLAE VIENN.
MDCCLXIX

Digitized by Google

Digitized by Google



VIRO
DAVIDI SIG. AVGVSTO
BÜTTNER
BOTAN. PROFESSORI PVBL. ORD.
HORTI REGII GOTTINGENSIS PRAEFECTO
DIGNISSIMO ETC.

A M I C O
FLORVM AVSTRIORVM TERTIVM
SVVM FASCICVLVM

CONSECRAT



H. CRANTZ.

Digitized by Google

Digitized by Google

STIRPIUM AUSTRIACARUM

PART. I

FASCICULVS TERTIUS.

U 2

Digitized by Google

Digitized by Google

CLASSIS UMBELLIFERARUM.

HABITUS ABSOLUTI.

CHARACTER in natura pedunculorum ex eodem punɛto enatorum & fructificationem in umbraculis ſuſtinentium vertitur. Petala quinque ſunt; ſemina duo ad mediam axim ſibi applicata.

ORDINES.

I. *Alatæ.*

II. *Coſtatæ* aut *Striatæ.*

ORD. SECTIONES.

Primi.

I. Ala marginali.

II. Ala marginali & dorſali.

Secundi.

I. Coſtis aut Striis nudis.

α. Fructu tum lato, tum longo.
β. Fructu longo magis, quam lato.
γ. Lato plerumque magis, quam longo.

II. Coſtis aut Striis tectis.

α. Membrana.
β. Villo.
γ. Armis hiſpidis.

Digitized by Google

I. ALATAE.

ALA MARGINALI.

I. TORDYLIVM flore radiato; ſemine ſuborbiculato: ala crenata.

1. Maximum.

II. HERACLEVM flore plerumque rad. Semine plano-cordiformi: ala membranacea.

1. Auſtriacum.
2. Protheiforme.
   - α. Branca urſina Offic.
   - β. Panaces Botan.
   - γ. Elegans.
   - δ. Palmatum.
   - ε. Anguſtifolium.

III. SELINUM flore regulari, ſemine rotundato aut oblongo; ala membranacea.

1. Alſaticum.
2. Paſtinaca.
3. Carvifolium *Chabræi.*
4. Peucedanum.
5. Cervaria.
6. Oreoſelinum.
7. Tyſſelinum *Riv.*
8. Paluſtre.
9. Imperatoria.
10. Argenteum.
11. Sylveſtre.

ALA MARGINALI ET DORSALI.

IV. ANGELICA flore regul. ſemine alis dorſo nucleari abſciſſis.

1. Archangelica.

V. LASERPITIUM flore regulari; ſemine molendinaceo.

1. Aſperum.
2. Glabrum.

II. COSTATAE aut STRIATAE,

SEMINE NUDO.

VI. SILER flore regulari; ſemine lato longo 4. 5. coſtato.

1. Montanum.
2. Trilobum.
3. Gallicum.

VII. CHAEROPHYLLUM fructu roſtrato, aut in acum terminato.

1. Pecten Veneris.
2. Bulboſum.
3. Temulum.
4. Cerefolium.
5. Sylveſtre.
6. Hirſutum.

VIII. LI-

VIII. LIGUSTICUM fructu oblongo, & poſt Chærophyllum longiore.

1. Leviſticum.
2. Auſtriacum.
3. Mutellina.
4. Meum.
5. Podagraria.
6. Phellandrium.

IX. OENANTHE fructu ex cylindrico-anguloſo armis coronato.

1. Pimpinelloides.
2. Fiſtuloſa.

X. BUPLEURUM fructu profunde ſulcato; foliis integris; petalis flavis.

1. Rotundifolium.
2. Falcatum.
3. Tenuiſſimum.

XI. SESELI fructu plus minusve ovato; foliis diviſis; corollis nunquam flavis.

1. Bienne.
2. Articulatum.
3. Oſſeum.
4. Elatum.
5. Saxifragum.
6. Falcaria.
8. Pratenſe.

XII. CORIANDRUM fructu ſphærico, aut globoſo.

1. Sativum.
2. Teſticulatum.
3. Cynapium.
4. Cicuta Offic.
5. Latifolium.

XIII. APIUM fructu ſolide cordiformi, aut ex lata baſi acuminato minutulo.

1. Pumilum.
2. Tragoſelinum.
3. Graveolens.
4. Petroſelinum.
5. Sium *Riv.*
6. Ammi.
7. Carvi.

SEMINE

SEMINE TECTO.

XIV. ASTRANTIA fructu membrana plicata tecto.

1. Maior.

XV. LIBANOTIS fructu villo vel lanugine obducto.

1. Daucus Creticus Offic.
2. Montana.

XVI. CAUCALIS fructu aut pilis, aut ſetis, aut aculeis armato.

1. Grandiflora.
2. Leptophylla.
3. Antriſcus.
4. Daucus Offic.
5. Sanicula Offic.

HABITUS DELIQUESCENTIS.

CHARACTER in eo eſt, quod nonnullæ ſtirpes, quæ cum umbelliferis maximam ſimilitudinem, affinitatemque habent, aliqua vel umbraculi vel ſeminum binorum mediæ axi affixorum ratione deflectant.

XVII. ERYNGIUM. Umbella ſimplice multiflora, in receptaculo communi conica capitata.

1. Campeſtre.
2. Planum.

ORDO

Digitized by Google

ORDO I.
ALATARUM.

ALA MARGINALI.

1. TORDYLIUM. Semen Tab. I. Nro. 1.

CHARACTER. Flos plerumque radiatus. Semen ſuborbiculatum plus minusve planum, ala crenata craſſiore.

1.) *Tordylium maximum.*
Tordylium umbellis confertis radiatis, foliolis lanceolatis inciſo ſerratis. L.
Tordylium. RIV. T. I.
Caucalis maxima ſphondylii aculeato ſemine. C. BAUH. *pin.* 152.
Caucalis maior. CLUS. II. p. 101.
Seſeli creticum. maius. C. BAUH. *pin.* 161.

In ſepibus montoſis.

2. HERACLEUM. Semen Tab. I. Nro. 2.

CHARACTER. Flos plerumque radiatus. Semen plano-cordiforme; ala membranacea.

1.) *Heracleum auſtriacum.* Tab. I. Fig. I.
Heracleum foliis radicalibus pinnatis utrimque piloſis ſcabris: floribus radiatis.
Heracleum foliis pinnatis utrimque ſcabris, floribus radiatis. LINNAEI.
Sphondylium alpinum parvum. C. B. *pin.* 157. *prodr.* 83. *deſcriptio* I. B. III. ex C. B. *ita & MORIS.* RAIUS, *& omnes ſine icone, & nulla adhuc exſtat.*

In Auſtriæ alpibus BURSERUS invenit, non vidit CLUSIUS; ad pedem *Geſletz alpen Breyn* copioſe provenit, etiam in ipſa alpe *Breynina* & in *Schneberg*, & in *Etſchero.*

Radice nititur nuda, nodoſa, circulis cincta, Carotæ ſimili, ſed tenuiore, fibris non multis aucta.

Caulis unius aut duorum pedum, plerumque unicus, ſtriatus, leviter anguloſus, & raro articulis omnibus pube obſitus, nec inde tamen oberranti digito hiſpidus, ſed glaber, mollis, & in ſummitate ſolum villo albido hirſutus; cæterum aut ſimplex, aut uno alterove ramo fœtus.

Digitized by Google

Folia radicalia longis inſident petiolis hirſutis, pinnata ſunt, pinnis ſeſſilibus inciſis 3-5 lanceolatis, ut in Paſtinaca *ſativa*, aut demum etiam rotundatis, extimo petiolato, ſemper foliolo, & trilobo, lobis pinnis prioribus reſpondentibus figura.

Vaginæ caulinæ longæ latæque, non villoſæ, margine colorato piloſæ, folia promunt nunquàm rotundata, ſed ſemper lanceolata ſerrata, ſæpe laciniata, aurita inferne aut ſimpliciter pinnata, aut pinnis etiam pinnatis cum caule anguloſo; cæterum omnia folia albos in utraque facie pilos habent, & utrimque ſcabra ſiunt.

Involucrum univerſale uno alterove factum foliolo, quandoque nullo: vidi etiam ex foliolo vaginante amplo factum; *particulare* mox patens, dein reflexum, conſtat paucioribus pluribusve lanuginoſis omnibus, & quaſi hiſpidis, & alternis minoribus.

Umbella univerſalis facta 8, 12, pluribus hirſutis; *particularis* confertioribus magis hirſutis.

Flos ante efflorescentiam rubens, hiſpidus, dein albeſcit ex roſeo-niveus, antheris viridibus; petala exteriora tria, aliis plerumque multo maiora profunde & inæqualiter diviſa, laciniis oblongis auriculatis difformia, poſterius piloſa.

Antheræ didymæ ad angulum acutum ſibi commiſſæ ex viridi flaveſcentes, lateribus profunde purpuraſcebant in aliis obſervationibus.

Semen ſphondylii lineatum & ſtriatum, nec eſt diſtinctio.

Obſervatio I. In ſupplemento plantarum Veronenſium ex peritura foliorum hirſutie argumentum deſumens SEGUIERUS, Heracleum, ſeu Sphondylium *auſtriacum* & *alpinum* idem facit, minimeque ſeparari has plantas poſſe contendit, licet ſeparaverint C. BAUHINUS, BURSERUS, LINNAEUS, HALLERUS & alii Alpium botanici, meretur res expendi. Hæc Sphondylia ideo nequaquam ſeparanda SEGUIERUS affirmat „quia „in montanis hirſutie quadam folia obducuntur, ſi in horto transferan- „tur, ea carent, præſertim ſuperne,„ verum enim vero *alpinum* iam hirſutiem nullam in alpibus habet, ut C. BAUHINUS, HALLERUS perhibent; ut minus convincens SEGUIERI ratiocinatio haberi poſſit; nec dicam Daucum *creticum* hirſutis eſſe & glaberrimis foliis præditam in iisdem alpibus plantam, quod magis ſtringeret, ſed certum eſt, quotiescunque mea ſpecimina cum icone C. BAUHINI in prodromo exſtante confero, & cum

cum HALLERI deſcriptione comparo, me vix adduci poſſe, ut credam, Heracleum *auſtriacum* & *alpinum* unum idemque eſſe, maxime cum folia gerat ſimplicia *alpinum*, compoſita ſint *Auſtriaco.*

1.) *Heracleum protheiforme.*
Heracleum foliolis pinnatifidis, petalis auriculatis.
α. *Branca urſina* offic.
Sphondylium. DOD. *pempt.* 304.
Sphondylium vulgare hirſutum. C. BAUH. *pin.*
β. *Panaces* Botanicorum. * Elenchus.
Panaces Heracleum aut potius ſphondylium alterum. DOD. *pempt* p. 305.
Panax ſphondylii folio, ſeu Heracleum. C. BAUH. *pin.* 157.
γ. *Elegans* aut *Problematicum.*
Heracleum foliis ternatis, folio extimo quinquefido: laciniis oblongis acuminatis. *Enumerat. Stirp. Agri Vindobon.* p. 217. *cum foliorum nimis minuta adumbratione. Sed vide noſtram.* T. II. F. I. *plantam, quæ omnibus antecedentibus varietatibus conveniat, ut merito quæri poſſit, non quæ diſtincta ſit ſpecies, ſed ſolum, quæ ſit varietas.*
δ. *Palmatum.* ** Enumeratio, Elenchus.
Heracleum foliis ſimplicibus multifidis, laciniis oblongis acuminatis. *Mei horti.*
ε. *Anguſtifolium.* * Enumeratio.
Sphondylium foliis anguſtioribus. RIV. T. 5.

α. In pratis & pomariis humidis; in *Aungarten*, *Aun* ſylveſtribus locis prope *Maria-Brun*, *Maurbach*, & alibi paſſim.

β. In ſubalpinis ſylvis *Schneberg*, etiam in *Sau-grund* cum ſequente.

γ. In *Sau-grund Schneberg*, etiam e regione *albel Schneberg* ubi a fonte aliquantulum ſiniſtrorſum, dein directa iugum conſcenditur declivi & pingui loco creſcit feliciter.

δ. In prima botaniſatione 1758. horto intuli ex *Schneberg* collectum in *Ku-plancken* & in hodiernam diem durat.

ε. Infra *Weidling* ad rivum non procul a via regia KRAMER invenit; ego ad *Clauſtroneoburgum*, diſtinctiſſimum ſane a ſphondylio.

Obſervatio I. Heraclea plus una vice ſpeculatus, hirſutiem & diſſectionem foliorum admodum variare ſemper, & leves omnino, ex quibus ſpecies ſuas nonnulli multiplicarent, notas eſſe, deprehendi; ſed inde in difficili cæterum ſcientia difficultates accumulari evidens eſt; quæ quamvis in plantis pene multis eruendis atque diſtinguendis hinc inde non exiguæ occurrant, tamen in his maximæ fuere, dum ſtatim

X 2 a primo

Digitized by Google

a primo botanices parente enatæ etiam ad noſtra tempora deductæ ſint, ut iam conquæratur RAIUS; ut vero ea dilucidius iudicari cauſa poſſit, ſcire iuvat, me non eas iniecturum difficultates, quæ vix non irreſolubiles ſint; ſcilicet, an quod aliis dictum eſt botanicis Panax Heracleum, Panax Heracleum fuerit DIOSCORIDIS? an MATTHIOLUS, LOBELIUS, BAUHINI fratres, aliive veram viderint DIOSCORIDIS herbam? nec de deſcriptionum, aut iconum plagiis quidpiam monebo, ſed id ſolum nunc examinandum ſuſcipiam, ſitne Heracleum *Panaces* modernorum botanicorum, diſtinctum ab Heracleo *Sphondylio?* Dubitandi anſam non infimi iniiciunt botanici: I. BAUHINUS Heracleum *Panaces* a fratre accepit, quod *Sphondylium* eſſe iudicaſſet, ni Heraclei *Panacis* nomen a fratre plantæ fuiſſet adſcriptum: DODONAEUS Heracleum *Panaces*, adeo ſimile *Sphondylio* eſſe affirmat, ut maius vel alterum genus eſſe appareat: in Flora Sibirica GMELINUS I. parte. p. 213. Heracleum *Sphondylium* in hoc nomen deſcribit; Heracleum *foliolis pinnatifidis* L. & LINNAEUS idem Heracleum *Sphondylium* a GMELINO ita deſcriptum, ſuum facit Heracleum *Panaces* hac definitione: Heracleum *foliis pinnatis*, *foliolis quinis intermediis ſeſſilibus*, *floribus radiatis*. An nunc aut videri aut cogitari maior unius eiusdemque plantæ confuſio poteſt? atque id primum eſt, quod dici poteſt, ſecundum vero & illud urgeri, quod, quæ alii pinnatifida videant, LINNAEUS pinnata dicat, quæ aliis pinnata apparent, LINNAEO pinnatifida folia ſint, ut in lubrica adeo vocularum incertitudine plantæ, quæ his ſolum nitatur, diagnoſis fundari non poſſit; nam quod Panaci adiecerit flores radiatos, hi & Sphondylio etiam adiici poſſunt, & alias differentias nec LINNAEUS nec alius invenit, aut ſcripſit.

Quod alia Heraclea ſpectat, quæ in noſtris alpibus creſcunt, etiam in horto Patavino vidi, & quorum ex littorali auſtriaco exempla pariter poſſideo, ab aliis diſtincta eſſe perſuaderi non poſſum; & *Elegans* quidem, quamvis folia ternata quandoque habet, tamen & eadem ſaepe confluunt, ut propius ad *palmatum* accedere videatur, ſed & *Sphondylium* vulgare ſæpe ternata habet, & *Panax* quod & eximium quinquefidum laciniis, etiam acuminatis inſtructum poſſidet, & in noſtro *palmato* ſemper obſerves, licet & id ipſum ſæpe ſeptemfidum, imo etiam novemfidum deprehendatur; & vidi ſane etiam ipſam in vulgari *ſphondylio* naturam variare, nec ſegmenta habere adeo rotundata, ſed magis lanceolata: certiores igitur notæ quærendæ ab illo, qui diſtinguere cupit.

Sed

Digitized by Google

Sed etiamnum certum eſt, ſphondylium *foliis anguſtioribus*. RIV. T. 5. adeo profunde laciniatum ſectumque, ab ipſo vulgari magis diſtinctum deprehendi, quam illud, quod aut *Panaces* vocatur, aut *Elegans*; cum tamen ſolum, ut varietas, *Sphondylio* Heracleo inſcriptum ſit, non video, qui *Panacis*, *elegantis*, *palmati*, minus manifeſtis notis differentes plantæ ſpecificari poſſint varietatibusque eximi. Alterum etiam illud omnino grave eſt argumentum, Pimpinellas adeo manifeſta foliorum natura diverſiſſimas, pinnis ſcilicet latis ſemilobatis circumſerratis in hac ſpecie, pinnis evidentius ſubrotundis circumſerratis in illa, in tertia demum foliolis exacte carviformia laciniatis ſeſe decuſſantibus non ſerratis amplius, in unam tamen Pimpinellæ ſaxifragæ ſpeciem, a LINNAEO coactas fuiſſe; poſt hæc ſane non videri amplius, ludentia adhuc minus in foliis Heraclea diſtingui debere aut poſſe.

Cum tamen iconem *Problematici* dederim Heraclei, neceſſe eſt etiam ipſam expedire plantam.

Radix longiſſima, unica extus flavicans, intus candida, ſaccharini ſaporis, cum levi nec ingrato mihi, minime vero mordicante aromate: caput nuda circulis cœpta.

Folioſus *caulis*, pedem unum, duos altus (quatuor, quinque pedum non vidi in alpibus) ad radicem ſæpe coloratus ruber, quatuor, plus, minusve geniculis cinctus, quorum duo radici propiora, minus a ſe invicem diſtantia, ablata vagina quaſi caulem intus ſuſcipere videntur. Cæterum genicula & loca inter hæc media, ſive infimus caulis admodum hirſutus eſt, ſpinulis inermibus confertioribus albidis incaneſcens quaſi & ſplendens, rotundus magis minus ſtriatus, parum ſcaber nec viridis. Superior caulis ſordide vireſcit non amplius albus, rarioribus etiam ſpinulis obducitur, magis vero ſulcatus. Notari vero meretur, hæc de iuniori planta florente potiſſimum dici, quoniam & in adultiore & præcedentis anni emarcido caule ſulcos & angulos infra primum deprehendas geniculum.

Vaginæ radicales exiguæ, craſſæ, longos promunt petiolos carnoſos hirtos, iisdem ſpinulis obſitos, canaliculatos, canaliculo glabro. Vaginæ *caulinæ* in univerſum pro altitudine plantæ amplæ, ventricoſæ, membrana in ſe convolutæ auctæ, loco circulari exortus plerumque ex purpura nigræ, ſtriatæ dorſo, quo petiolum radicant, ſuſtinentque emergentem,

gentem, & ibi albis, quæ ſeſe per omnes ſubalternos petiolos, aut potius nervos diffundant, inermibus etiam ſpinulis hirſutæ.

Ex vaginis iſtis *folia* modo longioribus, modo brevioribus, imo etiam foliolis & alatis emergunt petiolis, iam ternata, iam omnibus confluentibus ſimplicia, licet diverſimode palmata, facie canaliculata inæqualia rugoſa non adeo ſpinuloſa, licet in margine dorſali ciliata ſint & argute ſerris plerumque marceſcentibus exalbidis ſerrulata. Cæterum in diverſas portiones ſecantur, ut extimum foliolum modo cernatur quinqueſidum, ut videre eſt in radicali a. modo trifidum, ut in ſupremo caulino b. modo ſeptemfidum, ut in c. ſunt adhuc in aliis aliæ laciniarum differentiæ, quas icon commonſtrat.

Involucrum univerſale unum aliudve hinc inde foliolum, vidi etiam nullum; *particulare* patentibus hiſpidulis.

Umbellæ *univerſalis* radii plurimi hirſuti; *particularis* ſimiles.

Flos in globulum primo clauſus, hirſutulus, radiatus ſenſim exſerit auriculas purpureo externe colore perſuſas, non adeo ut in *auſtriaco* amplas, ſed magis laterales, cæterum albent.

Antheræ in initio flavæ, dein ex rubro brunnæ inter foliola reclinatæ ſenſim eriguntur.

Semen gentis, & nulla eſt diſtinctio.

Obſervatio II. Curavi incidi plantam minimam alpinam, magnitudine, ut erat naturali omnibusque, ut inveni; in aliis vero vidi petiolos non adeo folioſos eſſe, ſed nudos magis fieri hirſutiemque foliorum minui; albidum magis dorſum foliorum profundiusque viridi colore coloratam faciem obſervo, cum ſcabritie in utraque pagina in exemplaribus littoralibus, & caulem noſtro anguſtiorem in ſummitate ramoſiorem, cum floribus purpureo colore levi perſuſis, ex viridi-luteis.

3. SELI-

Digitized by Google

3. SELINUM. Semen Tab. I. Nro. 3.

CHARACTER. Flos regularis, ſemen planum, alis marginalibus.

1.) *Selinum Alſaticum.*
Selinum caule folioſo, ramis ramoſis virgatis, *ita ex habitu facile, & ſemper diſtinguo, nec mihi viſa alia nota aptior.*
Peucedanum foliis pinnatifidis laciniis oppoſitis L. quid? *nomen multis contenens, nec valent ſynonima.*
Peucedanum pinnis duplicato-pinnatis, foliis latiuſculis longe trifidis. HALL. *Helv.* p. 442. *Spec. I. quo ad nomen, non ſynonima.*
Angelica pratenſis apii folio. TOURN. *intelligibili nomine & LINNAEANO meliore.*
Silaum quibusdam flore luteo. I. B. *etiam commode.*

In *Simmeringer* Walde abunde, etiam aliis locis ſiccis.

Radix furcata aut ramoſa, nigra capillaceo capite.

Caulis 3. 4. pedum, glaber anguloſus, angulis ſæpe ſanguineis, brachiatus, diſtortus, medulla farctus.

Petioli e vagina orti membranacea, ſanguineo colore marginem perfuſa, nervoſa, excavati ſeu canaliculati, ipſi etiam ſæpe ſanguineo colore tincti, ut & folia.

Folia ad radicem ſæpe minora ſeſe decuſſant, dum ſuperiora ſeſe nunquam decuſſant, & maiora ſunt; ſuperne profunde viridia, inferne magis pallent, nervis eminentibus, venis conſpicuis admodum venoſa, etiam margine microſcopio leniter ciliata. Foliorum circumſcriptio non ampliſſima; pinnæ duplicato pinnatæ foliis latiuſculis confluentibus, ſummitate trifidis, ita tamen, ut primæ ſint bifidæ, trifidæ, aliæ ſimplices, folio ultimo longe trifido.

Involucrum univerſale patens, 4, 5, 6 & pluribus factum foliolis; *particulare* quinque, pluribus, patentibus.

Umbella *univerſalis* inæqualis, viginti ad 30 facta radiis, ex placenta ſæpe incraſſata egredientibus.

Petala non aperti floris introrſum flexa cincinnata luteola, germine pariter luteo; aperti, ex albo lutea ſunt, quandoque etiam herbacea, minima, medio margine inflexo cordata, utrimque ſinuoſa.

Stamina

Stamina quinque inter petala poſita, introrſum pariter in flore non aperto reflexa, circulos quaſi conſtituunt coercentes, antheris ſub petalis abſconditis; hæc dein eriguntur, non omnia tamen ſimul, ut credas ex uno, duobus, tribus, ſolum patentibus, florem non tot inſtrui ſtaminibus.

Piſtilla duo, minima, flava.

Fructus ex rubro pulchre violaceus, dein niger, compreſſo-planus, ſtriatus, margine alatus.

Obſervatio I. Ex deſcriptione arbitraria foliorum, confuſa ſæpe in Umbelliferis definitio, efficit, ut diu lateat planta, quæ cæterum brevi noſceretur, ut igitur, dum non certo diſtinguens in foliis nota, ea in differentiam adduci non debeant.

Obſervatio II. Flos quandoque variat; petala vero alba frequentius ex herbaceo-luteola ſunt. Cacumina ſeminum flava videas; & ſemen ex rubro violaceum, in nulla alia umbellifera, quam in hac, adeo conſtanter deprehendo; eſt etiam Selinorum noſtrarum regionum ſemen minimum.

Obſervatio III. Modo videas hanc plantam diſtortam, late diffuſam, non adeo altam, modo pulchre erectam maximam, & quidem cum *Dauco alſatico* I. B. convenientem, inde dubitare ſubiit an *Daucus alſaticus* LINNAEO non recenſitus ſub varietate huius plantæ non lateret? certe non adeo recedit a deſcriptione *Cl.* HALLERI *itin. helv.* p. 318. §. XCIV. Dum eundem adhuc ſiccis locis & montoſis non vero paludoſis provenire dicat in *Fl. Jenenſi.* p. 276.

Et nunc difficillimam plantam, conſtituto iam hoc faſciculo, occaſione alterius denuo examinans, omnia muto, & loco Peucedani *Silai,* quod cum ſynonimis prius ſtatueram, cognomen alſatici appono, definitionesque Peucedani *Silai*, quod noſtram indigitent plantam, relinquo, quo, ut intelligatur evidentius, quam parum Peucedanum *Silaus* ab Alſatico diſtinctum fuerit.

Ignorari vero non debet, hanc noſtram plantam a plurimis Auſtriæ botanicis pro Silao haberi, ita exſtat in Elencho, in Enumeratione, & horto botanico. Alſaticum in ſpecierum editione priori neglexerat LINNAEUS, forte etiam perſuaſus, a Silao diſtinctum non eſſe; nunc habet,

habet, ſed cum definitione, qua plantam meam a Silao non diſtinguo; ſcilicet *laciniis trifidis obtuſiuſculis*; quae quidem nota non diſtinctius plantæ meæ ineſt, quam illa, *laciniis trifidis oppoſitis*, quæ Silao tribuitur. Dicam ergo quae me, ut Alſaticum vocarem, magis determinaverint.

1. Synonima, quæ ſuo Silao, aut appoſuit LINNAEUS, aut HALLERUS meæ plantæ minime conveniunt; ergo quamvis generales horum Virorum definitiones, illi quoad nomen quadrent, non quadrant icones, nec aliorum deſcriptiones.

2. In paludoſis & ſubhumidis locis creſcere dicitur Silaus, dum noſtrum aſperis & ſiccis magis delectatur.

3. Sui Silai ſemina craſſa magna ita profunde tribus lineis ſulcata facit HALLERUS *helv.* ut fere alata videantur, quæ nota a noſtris aliena ſit.

4. Demum miſera & mutila Dauci *alſatici* a I. B. data icon, cui noſtra planta adulta ſimillima ſit botanicum exactius determinat, quam ænigmatica, & amphibiologica definitio; quare nunc conſtituo, Alſaticum eſſe his evidentiſſimis notis præditum. 1. Quod ſit admodum ramoſum, ramis tenuibus virgatis. 2. Quod habeat petiolos triangulos profunde ſulcato canaliculo notabiles. 3. Quod umbellæ pro proportione plantæ ſint admodum exiguæ, licet non raræ, quin contra numeroſiſſimæ. 4. Quod ſemina ex rubro-violacea fuſca fiant, & huius familiæ vix non minima ſint.

2.) *Selinum Paſtinaca* offic.
Selinum foliis pinnatis, lanceolatis, baſi ſemitrilobis.
Paſtinaca. RIV, T. 6.
Paſtinacae genus erraticum, umbellis luteis. CAMER. *epit.*
Paſtinaca ſylveſtris latifolia. C. B. TOURN.
Paſtinaca latifolia ſylveſtris. DOD. MORIS. III. Sect. 9. T. 16. F. 2. *Sed noſtræ melius convenit* icon F. 1. *ut bene plurimi ſylveſtrem & ſativam diverſitates velint.*

Ubique in pratis, illis *Schönbrun*, *Lantz*, *Simmering*, *Grinzing*, aliis.

Radix nuda fibroſa.

Caulis ab uno pede ad humanam altitudinem, coſtis admodum eminentibus anguloſus, ſcaber, hirſutus, coloratus, brachiatus & ramoſus.

Digitized by Google

Vaginæ ſemiamplexicaules, amplæ, coloratæ, modo lanuginoſæ, modo minus; brachia caulis aliquando ramoſa.

Folia ad angulos rectos exorta, lanceolata, inæqualiter ſecta, & ſemitriloba. Involucrum utrobique nullum.

Umbella *univerſalis* radiis plerumque decem, aliquando tamen paucioribus, etiam pluribus: *particularis* confertior.

Petala vix unquam bene explicata herbaceo-flava.

Fructus compreſſoplanus coloratus.

Semen elliptico rotundum, utrimque leviter emarginatum, alatum, interne ſplendens ſæpe.

3.) *Selinum carvifolium* CHABRAEI * Enumer.

Selinum foliis multiplicibus rad. circa coſtam decuſſatis. Tab. III. Fig. 2.

Selinum vaginis & foliorum ſegmentis longiſſimis.

Carvifolia. I. B. *videtur cum deſcriptione commoda*, VAILL. *certo icon.* T. V. F. 2. *optima & prima folia carvi, caulis anguloſus, involucrorum abſentia, ſemina lata, bene; ſed admodum maleſecit, quod deſcriptionem non dederit.*

Seſeli *Carviſolium.* L. *male, non eſt ſemen ſeſeli.*

Seſeli *montanum.* L. *nulla ſimilitudine nec loci, nec deſcriptionis convenientia, nec characteris nota.*

Selinum *paluſtre.* KRAM. *ex ſynonimis, ſed involucra nulla habet hoc ſelinum.*

Carvifolia. CHABRAEI *certo ſtirp. icon.* p. 389. *Icon bona, licet rudior.*

In pratis *Draskirchenſibus* & *Morobacenſibus* KRAMER; ego circa *Rodaun.*

Radix albicans, fibroſa multum, & ramoſa, ſummo capite emarcidis vaginis cincta, non capillata, multos promit caules.

Hi geniculati, ſtriati, glaberrimi, glauci, eriguntur ad duorum pedum altitudinem.

Longa vagina ſtriata, cuius latera membranacea ſunt, in petiolos ſulcatos, longos, ſolvitur, inde folia radicalia ſupra coſtam exſurgunt, eandem & ſeſe decuſſantia, ut *carviſoliæ* ſolent, omnia bifida, aut trifida; ex vagina ſuperiori firmula, adhuc ſimilia, ſed latiora, maiora, anterioribus ſeu vaginæ proximis, ſæpe ſimplicibus Vaginæ caulium laxiores, ſtriatæ, membranaceæ, longiſſimæ, magis planæ, reflectuntur, & a caule dependent, in his petioli folia habent pinnata, ultimo trifido dente medio longiſſimo. Cæterum omnia folia ſuperne profunde, inferne pallide magis viridia, nervum depreſſum habent, & venoſa ſunt.

Digitized by Google

ſunt. Ex ſingulo geniculo rami florales omnes, duplici vagina ſtriata, membranacea, roſeo aliquando colore perſuſa, cincti, quæ florem ante efflorescentiam complectatur, & quæ dein in ſui ſummitate in foliola pinnata ſolvatur.

Umbella *univerſalis* radiis facta a ſex, octo, ad tredecim, pluribus, inæqualibus; *particularis* conferta magis.

Involucrum *univerſale* nullum, particulare nullum aut rarius, uno, alterove factum foliolo.

Petala ante efflorescentiam ex herbaceo purpurea, in ordines duos circulares ordinata, centro calvo quaſi, nec cooperto, ut videas diſtincte, quomodo exigui radii a centro ad peripheriam umbellulæ cuiusvis progrediantur: ipſa petala exigua ſunt, floreſcentia facie ex herbaceo albida aut ſubflaveſcentia, dorſo purpurea, inflexa, obcordata, clevato per medium petalum aggere.

Semen compreſſo planum, alatum, Paſtinacæ, aut Selini ſylveſtris.

Obſervatio I. Huic SELINO *Carviſolii* addidi cognomen, quod non alia expeditiore nota, prima diſtingui fronte poſſit ſtirps, quæ cæterum & difficulter cognoſcatur, & mira laborans confuſione, non facile extricetur; iam DILLENIUS in *Catalogo Plantar. circa Giſſam creſcentium* de Angelica *tenuifolia* RIV. agens, id ipſum clare perſpexit & expunxit ſynonima a RIVINO Rivinianæ plantæ addita, & illud *Carviſoliæ* BAHINORUM his ſubſtituit, longa deſcriptione plantam illuſtrans. Verum qui iam prædeceſſoribus confuſam illuſtrare voluit plantam DILLENIUS, obſcuritatem maiorem iniecit. I. BAUHINI planta, folia habet Cari proxima, licet latiora maiora & ſegmenta ex intervallis cruces ramoſas caniculatæ rachi annexas æmulentur, ut ipſe dicit I. BAUHINUS, delineavit VAILLANTIUS etiam mea exprimit icon, non cicutæ, cuius nec odorem contrita exſerat; habet etiam *Carviſolia* I. BAUHINI ſemina *Paſtinacæ Germanicæ*, ut ipſe teſtatur I. BAUHINUS, delineavit VAILLIANTIUS, etiam exprimi curavi, minime Angelicæ *ſylveſtris*, ut contendit DILLENIUS; & putem DILLENIUM de alia omnino planta, potius loqui, quam de *Carviſolia* BAUHINORUM. Inconceptibili errore LINNAEUS omnibus in editionibus etiam in ſyſtematis Naturæ decima reformata, *Seſeli* hanc ſemper incluſit, dum tamen exſtaret exacta I. BAUHINI ſeminis deſcriptio, ſeminis ſcilicet *Paſtinacæ* germanicæ ſimilis, exquiſita ſeminis icon

VAILLIANTII, etiam iam pluribus locis monuiſſet HALLERUS, vel ad *Peucedana* vel ad *Selina* ſpectare; quaſi horum virorum fatui eſſent labores! ſed ſolus eſt, qui eos ſpernere poſſit LINNAEUS! huius ſectæ alii modeſtius fecere, alii audacius; Enumeratio nodum tranſiliit, & ſicco, ut dicunt, pede inſalutato hoſpite de cive auſtriaco ne voculam iniecit, Elenchus contra Magiſtri regulas, *Seſeli* exemit, & *Selinorum* collegio cooptavit; at certum eſt hanc ſtirpem, ex illarum ſpecie eſſe, quæ ex univerſo LINNAEI ſyſtemate determinari non poſſit, involucrum utrimque nullum habet, ut recte VAILLIANTIUS obſervavit, & ego nunc coram video, & per plures annos vidi, ut caducitas LINNAEO adſtructa in excuſationem adferri non poſſit, ut igitur nec *Selinum*, quod duplex poſtulat involucrum, eſſe poſſit, nec *Seſeli*, quod ſimplex ſolum, & minus requirit: quodſi & hinc inde ligulam unam, alteramve minorem, ex ſucci nutritii abundantia proferat, non ideo *Seſeli* eſſe poteſt, quantum ego enim novi, ſemen lato compreſſum, margine alatum, *Paſtinacæ* aut *Selini*, ſemen non eſt *Seſeli*. Sed etiam ultimo inſeparabiles in quatuor plantis difficultates HALLERUS invenit, & *Carvifoliam* I. BAUHINI ſuum *Peucedanum* ſecundum facit, dum fatetur tamen & folia *Selini* tertii ſui huic eſſe & iconem VAILLIANTII, quam citat, *Selino* ſuo primo ſimiliorem eſſe: KRAMERUS vero noſter Floræ lapponicæ auctoritate inductus, *Carvifoliam* I. BAUHINI noſtram, ſeu VAILLIANTII plantam, *Selinum* tertium HALLERI, non primum facit, hinc Selinum *paluſtre* botanicorum eſſe contendit, cum ſynonimis, quæ meæ plantæ non conveniant. Ego vero minime perſpicio, qui *Carvifolia* VAILLIANTII unquam cum *Selinis* aut *Tyſſelinis* conferri, aut confundi poſſit, non enim novi ex his plantis unam, quæ vel *Carvifoliæ* folia, caules, flores haberet.

Obſervatio II. In exemplari huius plantæ hoc anno 1763. ab amiciſſimo Viro KRAPFFIO S. C. R., & Apoſtolicæ Maieſtatis apud Tergeſtinos Phyſico, nunc Sereniſſ. Archiduc. LEOPOLDI Archiatro flores albidos ante maturitatem rubentes, & involucrum partiale video.

Obſervatio III. Hæc quidem ita definiveram omnia, meis & aliorum laboribus inductus, dum Viennæ omnium primo appareret ſpecierum Plantarum LINNAEI editio altera, in qua *Carvifoliam* Seſeli expunctam ad Selina relatam conſpicio, nec meam plantam, nec illam VAILLIANTII, aut CHABRAEI amplius agnoſco, nec priora ſynonima invenio,

ſed

ſed alia a noſtra planta perquam aliena. Sed iam antea monſtravi DILLENII deſcriptionem plantæ noſtræ minime convenire, & nunc dicam, Angelicam ſylveſtrem RIVINI T. 18. pictam, ne habitum quidem noſtræ plantæ habere, nec ſemen, nec flores, nec exſtantia ſtamina noſtræ plantæ eſſe; minus adhuc feliciter noſtram plantam Selino *foliolis pinnatim laciniatis, lacinulis trifidis obtuſis in ſpinulam terminatis* GMELINI *Flor. Sibir.* p. 204. T. 48. conferri, dum nec lacinulæ adſunt, nec trifidæ, ſed longæ ſatisque latæ laciniæ, nec piſtilla fructus reflexa, quæ in ſuam diagnoſim LINNAEUS adducit, conſpiciuntur, ut denuo concludam, Selinum meum *Carvifolium* eſſe illud CHABRAEI ex icone, VAILLIANTII ex icone, I. BAUHINI ex deſcriptione, nullo modo vero aut Seſeli Carvifolium L. *Spec. edit. I.* Syſtematis Naturæ editione X. aut Seſeli montanum *Spec. edit. II.* aut Selinum *Carvifolium* Eiusdem *Specierum editione II.* Nam nec pedunculus ſub umbella ullo modo criſpatur, nec involucrum univerſale, quod nunquam in erumpentibus ex prælonga vaginula umbellis nec in magnis adultis deciduum vidi, dici poteſt, nec petala alba ſunt, ſed ſubtus certo rubent & ſemper. Denique *Carvifoliam* CHABRAEI dixi, quod & primus plantam delineaverit & aliqua tamen ſint (licet aliorum icones & deſcriptiones ſemper mutuaretur) huius viri in rem botanicam & aliorum pene multorum, quorum hodie floræ a LINNAEO & aliis dicantur nomina, etiam maiora merita.

Sed etiam nunc hoc deſerere penſum nequeo; & quid demum eſt pſeudo-Carvifolia LINNAEI? eſtne

I. Selinum foliolis pinnatim laciniatis. GMEL. p. 204. T. 48. quod in Synonimon ſuæ plantæ citat Cl. LINNAEUS? conſultus habet GMELINUS plantam ſuam, quam certe omni alio melius comparare potuit, forte eſſe Selinum radice fuſiformi multiplici involucro univerſali nullo. HALL. *helv.* p. 445. & Hallerianæ deſcriptioni, & Lobelianæ iconi ſatis bene reſpondere, nihil de habitu Carvi innuens, nec de flore, nec ſemine. Quodſi aliquis mihi ſit coniecturæ locus ex GMELINI icone, ut fuit LINNAEO, crediderim iconem GMELINI maximam habere convenientiam cum icone Seſeli *paluſtris lacteſcentis* C. B. *prodr.* p. 85. & ſemen, quod iconi ſuæ adiecit C. BAUHINUS piſtilla fructus reflexa habet & involucrum *univerſale* caducum, ut vel inde GMELINI plantam ad eam HALLERI accedere propius, quam ad illam LINNAEI pateret; ſed ſola coniectura eſt,

& ex GMELINO ſemper evincitur, plantam ſuam non eſſe plantam LINNAEI.

II. *An eſt?* Angelica tenuiſolia. RIV. T. 18. collatis omnibus hanc RIVINI plantam nec Selinum GMELINI eſſe, nec Carviſoliam LINNAEI, credo ſtatui poſſe. RIVINI enim glabra ſtirps caule leniter ſulcato gaudens, canaliculatis foliis non convenit aut GMELINI iconi, aut LINNAEI definitioni, nec RIVINI ipſius ſynonimis, quæ nobis conſervavit DILLENIUS. Dicerem potius noſtrum Seſeli Selinoides eſſe, ni obſtaret ſemen.

III. An Carviſolia LINNAEI, eſt Carviſolia DILLENII? Retulit DILLENIUS, ſuam plantam folia non habere prorſus Cari, ſed Cicutæ, aut potius Seſeli pratenſis ſimilia, obſcuriora tamen, dilutius autem virentia, quam cicutæ; addens totam plantam externa facie Cicutæ adeo ſimilem eſſe, ut illi pro Cicutæ ſpecie caule ſtriato primum fuerit habita, præſertim quod ſemina nondum matura, Cynapii RIVINI ſeminibus ſatis ſimilia eſſent.

Ergo planta Cicutæ habitu viſa DILLENIO, Selino ſylveſtri convenire credita GMELINO, & Hyppomarathro II. Tabernæmontani RIVINO, & Laſerpitio prutenico LINNAEO, eſſet Carviſolia LINNAEI? arduum ſane eſt in mira hac confuſione æquum iudicium. Verum enim vero an non potius Seſeli pratenſe RIVINI Carviſolia eſſet LINNAEI? certe caulis ſulcatus anguloſus, Cari aliqua, ratione foliorum ſeſe decuſſantium, natura id ſuadere videntur, ni demum ſemen obſtaret; aut an non potius eadem ſub aliis plantis non rite definitis latet? Selina, tum ſylveſtre, tum paluſtre non ſatis conſtituta ſunt, aut diſcriminata; nec evidentius perſpecta *Seſeli pratenſe Monſpelienſium* PARKINSONII aut *Seſeli pratenſe noſtras* Eiusdem, quas plantas LINNAEUS nunquam citavit: aut *Daucus pratenſis Apiifolio*, & *Seſeli, pratenſe tenuifolium* C. BAUHINI, de quibus etiam non meminit LINNAEUS: aut *ſiler montanum* DOD. LOB. & *ſiler alterum pratenſe* EORUNDEM; in his igitur difficultates latere, quas nullus, ni ſemen viderit, tollere poſſit, certum eſt; unde a Cl. LINNAEO ſuæ Carviſoliæ figura cum ſemine, ut iudicari poſſit, petenda eſt maxime, cum Laſerpitii prutenici habitum, qui noſtræ plantæ nullus ſit, habere aſſerat.

4) *Seli-*

Digitized by Google

4.) *Selinum Peucedanum* offic.

Selinum (Peucedanum) foliis quintuplicato-tripartitis lineari ſubulatis integerrimis. L.

In pratis ad ſylvarum margines creſcere, dicit KRAMERUS, nondum vidi, nec Enumeratio habet.

5.) *Selinum Cervaria* * Elench. T. III. Fig. 1.

Selinum foliis cartilagineis, inferne appendiculatis, circum ſerratis ſerris denticulatis.

Selinum pinnis pinnatis, pinnulis appendiculatis, circum ſerratis triangularibus HALL. *helv.* p. 444.

Seſeli II. montanum pannonicum. CLUS. *hiſt.* CXCIII. icon.

Cervaria. RIV. T. 12. *commoda, ſed ſemen non adeo diſtinctum, ut* LINNAEUM *adducere potuerit non ad* Athamantas, *ſed ad* Selina *ſpectare.*

III. *Daucum* II. MATTH. *Comment. in* DIOSC. *curante* C. B. icon *elegans.*

Daucum alterum. CAMM. *epit.* 537. icon *bona.*

Libanotis Theophraſti nigra. TABERN.

Libanotis altera quorundam, aliis Cervaria nigra. I. B. III. *duplici icone* p. 165. *una altera ex* CLUSIO *ſub nomine alterius plantæ* p. 167. *nec aſtutior fuit* C. B. *aut* MORIS. *qui etiam bis repetiit, aut plagearibus* CHABRAEUS, *qui etiam ter pinxit.*

Daucus montanus apii folio maior. C. B. *pin.* 150. *malo omnino nomine, & aliam plantam exactius, quam hanc definiente, ſed adiecta bona varietatum nota.* Et.

Daucus montanus apii folio albicans. Eiusdem, *nomine itidem malo.*

In *Gatterholz*, *Simmeringer* Walde, montoſis *Badenſibus*, *Petersdorff*.

Radix glabra, ſecta ſuccum albidum, reſinoſum fundens, capillacea cincta corona fuſca, unum raro plures fundit caules.

Caulis teres, ſtriatus, modo coloratus ruber, modo halitu glauco afflatus, modo minus, brachiatus, ab uno ad quinque pedes altus eſt.

Vaginæ caulinæ longiſſimæ ab uno geniculo ad aliud fere elongatæ, craſſæ, latæ, marginem membranaceum habent, & in adultis purpuraſcentem.

Folia dura, cartilaginea, ſplendentia pinnata, pinnis ſeſſilibus ellipticis, aurito-lobatis aut ſaltem ſemi-lobatis, appendiculata vocant, circum-ſerrata, & hinc inde adhuc ſemel inciſa ſunt, auritis lobis ſerratis, & inciſis ſemper.

Involucrum *univerſale* dum adeſt plurimum, longum reflexum, particulare conſimile.

Umbella

Digitized by Google

Umbella univerſalis ampla, radiis facta longis, plurimis, 15, 20, 30. *particularis* plurimis.

Petala ante floreſcentiam purpuraſcentia, floreſcentia, nivea, ampla hæc, & cordiformia, centro marginali inflexo, lateribus ſinuoſis. Placenta delapſis petalis læte purpuraſcit.

Obſervatio I. In notis anni 1759. invenio, involucro utroque deſtui plantam; in illis 1760. involucrum *univerſale* modo integrum, factum foliolis ſeptem circiter, modo dimidiatum, modo vagina una florali abortiente conſtitutum, quæ & hodie iterum in diverſis confirmo, & nunc radium unum alterumve unico calycino foliolo barbatum, præ manibus habeo.

Obſervatio II. Infelix admodum ſtirps, aliis pluribus botanicis duplici nomine & icone notata, LINNAEO in ſpeciebus omiſſa, in appendice tandem inter *Selina* locum, quem hodie perdit, habuerat, nunc ex hac ſede excuſſa, in nova enim Syſtematis Naturæ eaque decima reformata editione, inter *Athamantas* coacta fuit; ſed ſemine compreſſo plano, margine alato, ſociis diſpar, ad undecimam reformationem iure appellat, *Oreoſelinum* a LINNAEO *Athamantis* inſcriptum, inter LINNAEANOS ipſos ancipitem & dubium patronum invenit, qui pronunciaret videri hanc plantam ad *Selina* verius pertinere, *Cervaria* nullum, cui videretur in tanta rariorum obſervationum diligentia, & exactitudine, dum tamen omnia haberet eadem. Neque in duas has ſolum ſtirpes LINNAEUS *Athamantarum* character impegit, ſed in alias; *Meum* officinarum quid cum *Dauco cretenſi* ſimile habet? aut cum *Libanotide* & hæc cum *Cervaria?* in foliis, caule, umbellis, ſemine nihil, ut recte ſub diverſis generibus iam olim propoſuerit HALLERUS, & hunc ſequi coacti fuerint, & ZINNIUS, & SCOPOLI; dum interea errorem ſuum nec fateri, nec corrigere vellet LINAENUS, & nihil examinarent Magiſtri fama gravidi oſcitantes diſcipuli, tamen res naturales proprio privilegio munitæ perſiſtunt, ut quemadmodum errores in his commiſſi, a nullo defendi, ita nec veritatis obſervationibus innixæ a toto ſexualium orbe conculcari poſſunt. LINN. *Præfat.*

6) *Seli-*

6.) *Selinum Oreoſelinum.*

Selinum foliolis coſta refracta, divaricatis, caule æquali ſubnudo.

Selinum pinnis ad angulos obtuſos pinnatis, pinnulis inciſis, non ſerratis HALL. *helv. ſpec.* 5.

Oreoſelinum. CLUSII *Hiſt.* p. CXCV. *icon commoda petiolis tanquam proiectis & contortis funiculis, bene.* MORIS. I. *Umb.* T. 10. F. 1. *mala.*

Oreoſelinum. RIV. T. 8 *bona foliis divaricatis refractis.*

Oreoſelinum. ſ. Veelgutta. DOD.

Apium montanum nigrum. I. B. III. *icon non placet, & eſt certe alterius plantæ, nec arrident ſynonima omnia.*

In colle aprico ſabuloſo *Türckenſchanz*, qua parte ſpectat vineas *Weinhaus* abundantiſſime.

Radix admodum longa, nullis fibris aucta, extremum bifida plerumque, extus ochroleuca, intus albida, modo ſummo apice caulem, modo apice truncato latere exſerens, unum, duos, calamum ſcriptorium nunquam excedentes.

Caulis rotundus, glaber, ſine angulis ſubtiliter ſtriatus, virgatus, 2, 3, pedes altus, brachiatus, ſæpe totus purpureus eſt.

Ex vagina dura, multo perfuſa ſanguine, longi rotundique petioli, intorti, huc illuc proiecti, folia radicalia petiolata, ad coſtam fractam, angulis rectis, aut rectis maioribus inſerta oriuntur; hæc circumſcriptione perampla, Petroſellini quaſi forma, facie nigra, dorſo læte magis virentia conſpiciuntur, pinnata, pinnulis ſemiquinquefidis, ſemitrifidis irregulariter, extrema tridentata.

Vaginæ caulinæ membranaceæ magis, marginem, ut & circulum, quo cauli inſident, ſanguineo colore perfuſum habent.

Involucrum univerſale foliolis decem, paucioribus, pluribus, reflexis, gracilibus, *particulare* ſimile.

Umbella univerſalis expanſa ampla, planiuſcula, umbellulis ſupra 20, *particularis* confertior magis, convexa.

Flos non florens ex herbaceo roſeus, involucra expanſa patentia habet, ut recte RIVINUS expreſſit; florens albus cordiformis, regularis, tubis minimis, involucris reflexis.

Semina cacuminibus ex herbaceo flaveſcentibus, ruberrima.

Fructus compreſſo planus immaturus marginem album, diſcum rubro colore perfuſum ſplendentem habet, maturus complanato-planus margine alatus & magis fuſcus eſt.

Digitized by Google

Obſervatio I. Planta fructum iam conficiente, auriculas folioſas ad fractas coſtas ſæpe video.

Obſervatio II. Ad *Athamantas* LINNAEI referri non poteſt, ut ipſe retulerat LINNAEUS.

7.) *Selinum Tyſſelinum* RIV. * Enumeratio.
Selinum umbellæ retuſæ radiis aſperis.
Selinum ſulcis caulis hiſpidis umbella retuſa.
Tyſſelinum PLINII. LOB. *icon.* p. 711. ſi ſit: *Figura non commoda & caules rotundi non ſtriati, umbellæ ſine involucris male pinguntur; radix tamen omnino bona eſt, adeoque &* MORISONII I. *Umbellif.* T. 10. *cum folii vera icone, non vero Tyſſelinum* Eiusdem III. Sect. 9. T. 17. F. 2. *Licet innuat* LINNAEUS, *nulla cum noſtra ſimilitudine, ni quod in hac figura radix noſtræ conveniat, ſed certum eſt, illud noſtrum non eſſe.*
Tyſſelinum. RIV. T. 19. & Tyſſelinum anguſtifolium. EIUSDEM Tab. 20. *& folia & caulis bene umbella compreſſa,* ut Tab. 19. 20. *admodum bene, ſed radii glabri ſunt, cæterum ipſiſſima planta.*

In *Au-Neuſtadt* locis aquas reſedes habentibus abunde, cum flore, & ſemine menſe Septembri.

Radix iunior fit ex multis in diverſa ſecedentibus conicis radiculis, adultior ex napo, aut bulbo, ſupra quem ſimiles pariter radiculæ ſimplices vel furcatæ decurrant; diſciſſus bulbus, aut radicula maior intus candida eſt, & ſuccum ſudat acrem, ingrate aromaticum, lacteum, quem & petiolos & caulem, antequam umbellam educat, fundere memini.

Ex ſummo napo caulis exſurgit plerumque unicus, quandoque duo, a 3 ad 8 pedum altitudinem rotundus ſtriatus anguloſus æqualiter, fiſtuloſus, cavus in ſummitate brachiatus, brachiis etiam ramoſis: hic ad ſui exortum conſtanter profunde purpureus, & ad petiolorum vaginantium exortum plerumque purpuraſcit, ſed etiam ipſæ vaginæ radicales totæ purpureæ cum membranis ſunt, & in partem petioli ſuam diffundunt purpuram.

Petioli radicales longiſſimi, rotundi, ſtriati, profunde canaliculati, fiſtuloſi; caulini ſuam proportionem ſervant, fere eadem habent, & folia gerunt ſuperne profunde, inferne dilutius viridia, ut etiam ſubglauca ſint, amplæ circumſcriptionis triangularis pulchre diſſecta, ſuperba, recte ut MORISONII Figura expreſſum eſt, *Umbellif.* Tab. 10. Verum debent adhuc aliæ notæ addi, prætervisæ omnibus, ut ſemel de hac planta

planta rectius definiatur. 1. Petioli omnes ad coſtam angulo recto maiore eriguntur, & ſunt hi in loco exortus ſemper incraſſati, ſubſtantia albida, dura, quod & in lateribus ſubdiviſis petiolis verum, unde etiam quaſi geniculati, & inæquales, in parte inſertioni averſa fiunt petioli, cæterum fiſtuloſi. 2. Sunt laciniæ foliorum trunci ultimæ, omnes trifidæ, media aliis duabus multo longiore, & omnium laciniarum apice albeſcente ex purpura dente notati.

Involucrum univerſale 8, 10 factum foliolis, magnis, reflexis, membrana alba margine auctis, caudatis, *particulare* conſimile.

Umbella univerſalis inæqualis, diſtorta, convexa, radiis hiſpidis 3, 17, 20, pluribus, longis callo incraſſato infixis, particularis fit bacillulis pariter longis, hiſpidis, aliquando paucioribus, aliquando pluribus, centro calvo ſemper.

Petala nivea, ampla hæc, & cordiformia, patentia. Stamina longa ſunt, nivea, his antheræ virides inſident; tubæ longæ reflexæ diſtantes.

Semina abortiunt plurima, quæ evadunt herbacea primo, dein rubeſcunt, matura rufa ſunt, ſubrotunda, utrimque emarginata, tribus ſtriis dorſo percurſa, ſingula margine rigidiuſculo non adeo membranaceo alata.

Obſervatio I. An *Selinum ſublacteſcens radice* unica HALLERI, quod eſt *paluſtre* LINNAEI, cum noſtro idem? noſtrum locis paludoſis, opacis invenitur, radice intus candidiſſima, fracta ſuccum ſublacteum fundit, ſed *radix unica* ſemper difficultatem habet, ut adeo illud eſſe non poſſet, ni etiam moneret in *Horto Göttingenſi* HALLERUS, radicem ſui *Selini* ramoſam eſſe.

Obſervatio II. Iconem *Tyſſelini anguſtifolii* T. 20. adeo elegantem dedit RIVINUS, ut qui umbellam recte conſiderat, plantam illico, ſi forte fortuna offeratur, cognoſcat; contuli cum 50 ſpeciminibus, conſtantemque conformitatem deprehendi, folia tamen non placent, breviora hæc, & in horto, ni fallor, producta etiam utriusque Tabulæ eadem, licet 19. latiora, alia anguſtiora aliquantulum. Porro etiam ea ſtatuenda differentia eſt, quæ inter hoc *Tyſſelinum* & *Carvifoliam* I. B. intercedat, cum multi has duas plantas confundant, ut iam monuit, qui differentias promiſerat, non vero dedit ipſe SEGUIERUS. Sed certum eſt toto habitu diverſiſſimos eſſe, caulis in *Tyſſelino* altior longe ſtriatus,

 ſulcatus

Digitized by Google

ſulcatus fiſtuloſus, qui in *Carvifolia* ſtriato-anguloſus, ſed nec ſulcatus nec fiſtuloſus ſit etiam minor & longe tenerior. Folia in *Tyſſelino* ampliſſimæ circumſcriptionis triangularis, dum ex petiolo cardinali tres alæ ſemper emergunt in *Carvifolia* non amplæ, ex unico, longa flaccidaque vagina in coſtam ſoluta, exorto petiolo, latiora folia, & non adeo arguto opere diſſecta, & ſeſe ſupra coſtam decuſſantia maxime; licet enim etiam aliqualis in *Tyſſelino* decuſſatio, hæc in hoc, ut in *Carvifolia*, non adeo evidens; adde in *Tyſſelino* petiolos cavos eſſe compreſſos crepantes. In *Tyſſelino* involucrum univerſale caudatum in alio nullum, umbella conferta retuſa petalis albis in hoc, in alio minus conferta, laxior petalis ſubluteis: in figura ſeminis tantam differentiam non video, Radicum diſcrepantia in deſcriptione videri poteſt. Cæterum *Tyſſelinum* cum *Oreoſelino* conferri non poteſt, ut mirer adnotaſſe TOURNEFORTIUM *Tyſſelinum* ab *Oreoſelino* ſolummodo differre lacteo ſucco, hancque notam SEGUIERO ſufficientem viſam, ut *Tyſſelinum* genus unum faceret, & Oreoſelinum aliud, quæ hoc ſolo diſtingueret ſigno.

Obſervatio III. Definitiones ex aſſe conveniunt plantis in loco natali creſcentibus, non vero in hortum deductis, in quibus obſervo, nec radios adeo aſperos eſſe, nec ſulcos caulis hiſpidos, licet calvitiem centralem umbellulæ ſervent.

1.) *Selinum paluſtre.* Tab. IV. Fig. 1.

Selinum leviter lacteſcens radice unica. HALLERI, LINNAEI *quid? Synonima non addo, cum videantur magis ad* Selinum *Tyſſelinum ſpectare. Definitionem non adiungo, cum non viſo ſemine incertus ſim.*

In lutoſas & reſedes aquas habente terra in ſylvis ſubalpinis creſcentem inveni, & prima fronte eſſe volui vel *Seſeli alterum pratenſe* DODONAEI, vel *Tyſſelinum* Plinii, LOBELII *icon.* p. 711. dubitavi etiam an non multum *Carvifoliæ* DILLENII conveniret, & nunc demum intellexi ex plantis ex horto patavino miſſis illis, *Selinum paluſtre* audire, ſed quia ſemina non vidi in meis, definire nihil poſſum: en plantæ deſcriptionem & iconem.

Radix nigra multis in diverſa abeuntibus radiculis facta, vaginas exſerit plures ſtriatas, breves, in longos petiolos ſolutas.

Caulis pedalis aut minor aut maior, raro cubitalis, in meis quatuor ſpeciminibus in univerſum viridis & tenuis eſt; is vel ſimplex non ramo-

ſus,

ſus, vel ab infimis genieulis iam ramoſus, raro in ſummitate brachiatus; cæterum tota longitudine folioſus eſt, ſtriatus & anguloſus.

Vaginæ caulinæ quandoque coloratæ, albida membrana auctæ, non amplæ ſed exiguæ, in petiolum leniter canaliculatum abeunt.

Folia 5, 6, coniugationum non amplarum ſuperne profunde admodum viridia, inferne dilucidius, tenerrima, herbacea, aliquid dauci habent, ſed laciniis magis ovate ſectis & totis nudis; hæc cæterum pinnatifida ſunt pinnis ovatis trifidis, & adeo profunde plerumque ſectis, ut inferne acutis laciniarum ellipticarum angulis quaſi coalita videantur, dum obtuſus & amplior laciniarum exſtans margo leni dente inſtruitur, quem nervus dorſum percurrens format. Laciniæ canaliculatæ non ſunt.

Involucrum univerſale nullum, particulare aliquot factum foliolis tenerioribus non reflexis.

Radii univerſales ſtriati, pube obſiti non facile conſpiciunda. Petala primo ex herbaceo-albida, dein candicantia nivea, extremo mucrone reflexo quaſi alato-cordiformia.

Germina profunde ſulcata, viridia.

Semina non vidi, ſed ſtamine longiſſima exſtabant, tubæ etiam longæ, reflexæ, albæ longitudine germinum videbantur.

Nunc vero, cum matura non viderim ſemina, determinare nihil poſſum, nec volo, ut quidem plurimi faciunt, qui inique generibus plantas inſcribunt, hariolari; donec definiverint ex involucris alii, dicam ſimilitudines, differentiasque, quæ illi cum aliis plantis intercedant.

I. Multum convenit cum *Carvifolia* DILLENII, nulla vero illi ſimilitudo eſt cum *Carvifolia* noſtra, nulla cum *Peucedano*, nulla cum *Laſerpitio prutenico*.

II. A Tyſſelino noſtro, ſeu ſelino Tyſſelino RIVINI hæ differentiæ ſunt: 1. Caulis in Tyſſelino altiſſimus ſulcis profundis exaratus, evidentius ſuccoſus, ſtriis albidis variegatus, in hac minor ſolum anguloſus durior exſuccus viridis totus. 2. Folia diverſiſſima ſunt in noſtra, folia radicalia a caulinis diverſa atro-virentia lacinias manifeſtius ovatas non amplæ circumſcriptionis, dum in Tyſſelino radicalia & caulina æqualia omnia laciniis omnibus extimis, ſeu mediis longiſſimis lineari-lanceolatis non obtuſo aut ovato fine præditis ampliſſimæ circumſcriptionis.

 3. De-

3. Demum nulla nec in habitu, nec in umbella eſt huic cum Tyſſelino convenientia.

9.) *Selinum Imperatoria.*
Selinum foliis tripartito-diviſis, & ſubdiviſis.
Imperatoria. MATTH. CAMMER. C. B. ALIORUM. RIV. T. 7. *bona.*
Aſtrantia. DODON. *pempt.* CLUS. *hiſt.*

In ſylvis ſubalpinis *Gans.*

Involucrum *univerſale* nullum, *particulare* paucis factum foliolis, 3, 4ve ſetaceis, exſtans nondum evolutis foliolis, caducum aut eliſum expanſis inveni.

Umbella univerſalis expanſa, inæqualis, pluribus facta radiis, *particularis* confertiſſima, etiam inæqualis.

Petala cordata, alba aut margine modice roſea, ſubæqualia, deorſum flexa.

Semen ſubrotundum, compreſſum, margine alatum, in medio tribus ſtriis percurſum.

Obſervatio. Angelicam *ſylveſtrem* Imperatoriæ nomine, & Podagrariam Angelicæ proponit in *Plant. Veronenſ.* T. II. SEGUIERUS, Imperatoriam *offic.* non habet & elidit; in ſupplemento vero Angelicam *offic.* ſeu Archangelicam *Botan.* etiam Imperatoriam facit.

10.) *Selinum argenteum* * Elench. Tab. IV. F. 2.
Selinum petiolis argenteis & viridibus ſtriis lineatum: ſemine alis latis albidis.
Seſeli montan. III. CLUS. *Deſcript. Hiſt.* CXCIV? I. B. *ex* CLUSIO *ita & C. B.* & MORISONUS & RAIUS *ex eodem citant, & deſcribunt; at certum eſt, horum neminem plantam vidiſſe, nec recentiorum ullam habere.*

In montoſis *Badenſibus* certo, cum prioribus, fama eſt creſcere in *Gatterholz*, forte ſi plantaretur creſceret, ni adeo amaret aſpera, ſaxoſa, aprica.

Radix lutea, admodum ramoſa & brachiata emarcidis vaginis nigris cincta, inde erigitur caulis ſtriatus 2, 3 pedes altus ſplendens, ſtriatus ſtriis argenteis, leniter ſulcatus, ſulcis viridibus cæterum ramoſus, brachiatus.

Vaginæ

Digitized by Google

Vaginæ radicales, craſſæ, duræ, ventricoſæ ſtriis argenteis & ſulcis viridibus variegatæ, margine membranas latas, raro coloratas accipiunt.

Petioli longi, duri, teretes, parum ſurſum canaliculati, argenteis lineis & viridibus mixtim colorati, folia gerunt amplæ circumſcriptionis, coſtis ad inſertionem foliorum petiolatorum fractis, & in arcum deorſum deductis, ut in *Oreoſelino*, foliis pariter ad angulos fere rectos petiolatis, ut in eodem. Sunt vero noſtræ plantæ folia Peucedani *Silai* foliis ſimilia, licet non adeo lata.

Involucrum *univerſale* novem plus minusve factum foliolis membrana albida auctis, reflexis, lanceolatis; *particulare* conſimile, quandoque pluribus.

Umbella univerſalis hemiſphærica, ampla, facta radiis 20 ad 30; *particularis* ſimilis.

Petala alba ſunt, ſatis ampla regularia, unco reflexo cordiformia.

Fructus immaturus herbaceo-albidus, convexus utrimque, maturus planus, membranaceus *Heraclei*, ſed hoc maior.

Semen utrumque alas latas pallidas habet, ipſum fuſcum eſt & tribus coſtis membranaceis cinctum, fere angelicæ ſylveſtris, ut quæri poſſit, an non *Angelica tenuifolia* botanicorum?

Obſervatio I. Plantam hanc forte iam oblivioni traditam, forte etiam cum alia confuſam, ægrius vindico; dicam primo aliorum, dein meam opinionem. Amiciſſimus Vir SCOPOLI, dum hic Viennæ eſſet, in botaniſatione badenſi hanc ſtirpem *Selinum ſublacteſcens radice unica* HALLERI; *Selinum paluſtre* L. eſſe, ſtatuit, item *Selinum auſtriacum Enumerationis* eſſe, aſſeruit, licet novo & a LINNAEO diverſo, & quaſi novæ plantæ nomine, ibi exſtet, vacuum labore & ſynonimis. Ego vero plantam hanc *Apii montani* DALECHAMPII nomine, herbario iam inſcripſeram, hac adiecta nota, LINNAEUM non habere, & iconi & deſcriptioni I. BAUHINI ſatis convenire, unde factum, ut plantam exactius luſtrarem; et primo certum eſt, in aſperis, ſaxoſis, & lapidoſis apricis provenire, non in paluſtribus in noſtris quidem regionibus, & folia Apii potius habere, quam *Selini paluſtris*, cuius foliola & lacinulæ oblongo lineares ſunt GUETTARDO, ut ferulacea I. BAUHINO vocentur, cum nominet, *Seſeli paluſtre lacteſcens acre foliis ferulaceis, flore albo, ſemine lato*, dum huic tamen ferulaceorum foliorum nihil inſit. De *Apio* vero *montano* DALE-

DALECHAMPII non minor occurrebat difficultas, quod a C. BAUHINO quidem, cum *Oreoſelino*, quod eſſet *Apium montanum nigrum* confunderetur, hinc Apium DALECHAMPII & *Oreoſelinum* pro una eademque planta C. BAUHINO haberetur, ſed & hic æque certum eſt, C. BAUHINUM titubante omnino ſententia has duas plantas coniunxiſſe, I. BAUHINUM huic non ſubſcripſiſſe, & utriusque plantæ deſcriptionem omnino diverſam eſſe: ſed in tanta obſcuritate quis definire aliquid valeret? cum ipſe I. BAUHINUS *Apium montanum nigrum* cum *Libanotide montana* confundat. MORISONUS iconem *Apii montani* DALECHAMPII, quam I. B. habet, magno errore inſcribat Sect. 9. T. 17. F. 6, nomine *Daucus montanus Apii folio maior* C. B. ſ. *ſaxifraga Venetorum* LOB. quæ inſcriptio, quoniam ſit *Cervariæ nigræ* botanicorum, cuius iconem aliam novo errore det Sect. 9. T. 6. F. 3. patet & MORISONUM, quid voluerit, ignoraſſe. Cæterum dicam ſolum noſtræ plantæ & *Oreoſelini* non paucas differentias, tum etiam eas, quæ ſint inter hoc *Selinum* noſtrum argenteum, & *Selinum* noſtrum *Tyſſelinum*. Et primo quidem *argenteum* ab *Oreoſelino* differt petiolis erectis magis, & ſtrictis, & albis ſtriis percurſis, qui *Oreoſelino* proiecti, ſæpe contorti, ut exacte CLUSIUS pinxit, nunquam albis ſtriis percurſi ſint. Coſtæ in *Oreoſelino* fractæ magis, minus in *Argenteo*. Folia quidem utrimque *Apii* etiam albo dente utrimque notata, licet hæc nota in argenteo evidentior, ſed in *Oreoſelino* ad ſingulam inſertionem refracta, divaricata, quod non in *Argenteo* eſt. Eſt adhuc alia in foliis plurima differentia, ex habitu potius, quam deſcriptione cognoſcenda. Caulis argenteis ſtriis viridibus ſulcis in *Argenteo* percurſus, in Oreoſelino glaber & ſine angulis ſubtiliter tantum lineatus, viridis, aut purpureus. Ultima & evidentiſſima in ſemine differentia eſt, *Oreoſelini* ſemen rotundum, orbiculatum, utrimque emarginatum, margine alas exiguas habet, aliud ſemen oblongum, amplum iſtud, albidis, latis, foliaceis Angelicæ ſylveſtris maioribus, alis. Nec minus manifeſta eſt aut evidens ea, quæ inter hoc noſtrum *Argenteum* Selinum & *Tyſſelinum* intercedit differentia; & ut de radice taceam. Caulis in *Tyſſelino* ſtriatus quidem, ſed in ſulcis hiſpidus eſt, cavus hic, ſeu fiſtuloſus, radiis alba hirſutie ornatis. Umbella retuſa eſt. Semen margine quidem alatum, ſed alis, ut in *Oreoſelino*, rigidis, ſubrotundum, quorum nihil argenteo inſit, & folia diſtinctiſſima ſunt, & alia, quæ ex ſingulari deſcriptione peti poſſunt, ut demum de his certo defini-

definitum ſit. Sed eſtne *Apium montanum* DALECHAMPII Oreoſelinum neotericorum omnium?

Obſervatio II. Diſciſſa Radix non ſublacteſcebat, petioli interne fibras albas habebant, nec ſublacteſcebant diſciſſi, preſſus ne lactis minimum ſuppeditabat duriori medulla farctus non fiſtuloſus caulis. Radix admodum aromatica eſt cum amarore; ſaporis fere Angelicæ, niſi quod minus amara ſit.

Obſervatio III. Radii florales ſuperna parte ſtriati ſcabri, inferna minus & ob id glabri. Vidi hoc anno 1764. flores plenos, ſcilicet antherarum loco, foliolum unum cuneiforme trifidum, idque potiſſimum in umbella caulina, minus in brachialibus obſervavi.

11.) *Selinum ſylveſtre.*
Selinum foliis ovato-lanceolatis, ſemine oblongo plano.
Angelica ſylveſtris maior. C. B. MORIS. III. Sect. 9. T. 3. F. 2. *planta, non ſemen.*
Angelica ſylveſtris II. TABERN. *Icon commoda.*

Ad aquas *Maurbacenſes*, in *Au-Neuſtadt*, & alibi non infrequens, etiam in *Au-Garten.*

Caulis rotundus, cavus, humanæ ſtaturæ altitudinem ſæpe ſuperans, brachiatus.

Vaginæ amplæ, ventricoſæ, membranaceæ.

Involucrum univerſale nullum; *particulare* tenuiſſimis factum filamentis ſemper.

Umbella *univerſalis* conferta plerumque, globoſa; *particularis* conſimilis.

Petala leviter roſea primo, dein alba.

Stamina in hac longiſſima, capillatas quaſi umbellulas efficiunt.

Semina ſtatim herbacea alis membranaceis albidis, dein colorantur, ſingulum elongatum, marginalibus alis membranaceis, latis, ſæpe criſpis, undulatis, dorſo coſtis tribus percurſum eſt foliaceis, non gibbum adeo, nec anguloſum, ut ad Imperatoriam videatur propius ſpectare, magis adhuc ad *Selinum* noſtrum *argenteum*, minime ad *Angelicas.*

Obſervatio. RAIUS in *Hiſtoria Plantarum* huic involucrum univerſale recte denegavit, quod tamen LINNAEO ubique obvium fuit in *Flora*

Digitized by Google

Lapponica, & a GMELINO videri non potuit in *Sibirica*, aut a me in *Auſtriaca*, quæ ergo ſit involucrorum conſtantia aut certitudo viderint LINNAEANI.

ALA MARGINALI ET DORSALI.

4. ANGELICA. Semen Tab. I. Nro. 5.

CHARACTER. Semen alis marginalibus duris, dorſalibus in gibboſitate nuclei quaſi abſciſſis, & ſolum coſtatis.

1.) *Angelica Archangelica* * Enumer.
Angelica foliorum impari lobato. L. *exacte conveniens definitio.*
Angelica ſativa. C. B. *pin.* 155.

In hortis Rhizotamorum KRAMERUS, ego in ſylvis ſubalpinis ad Schwarza flumen.

Cognoſcitur Charactere & definitione.

Obſervatio. Ab omni tempore botanici de genuina planta dubium movere, quæſtiones duas iam olim propoſuit de colore floris I. BAUHINUS, duas itidem, & unam de colore, alteram de magnitudine eiusdem RAIUS, omnes reſolvit LINNAEUS. Tota vero reſolutionis vis in eo vertitur, ut *Angelicæ Archangelicæ* flos e viridi luteus, *Angelicæ ſylveſtri* niveus ab illo adſcribatur, nequidem differentiæ ſpecificæ utriusque plantæ facta mentione, huius *foliorum impari lobato*, alterius *foliis æqualibus ovato-lanceolatis ſerratis*; dicam ego, quid ſententiam; & primo quidem dubito an color hic conſtans ſit, & an ſignum decretorium dare poſſit, noſtra, quæ eſt *foliorum impari lobato*, albida eſt. II. Semina, quæ in officinis habentur, ſunt ſemina ſimillima noſtræ, flore albido præditæ, nam & ea ſemina ſubquadrangula, latas margine alas habent, medium eminentem gibboſum nucleum, in capſulam bivalvem, in qua ſemen proprie dictum admodum aromaticum gravis odoris contineatur, diviſibilem, qua vero gibbus eſt locis depreſſioribus, alatum, dum in ipſa gibboſitate coſtatus deprehenditur, recte ut ſemina Angelicæ lucidæ pinguntur a RIVINO T. 16.

III. Semina

Digitized by Google

III. Semina illius plantæ, quam pro *Angelica ſylveſtri*, ſcilicet foliis æqualibus ovato-lanceolatis habeo, inveni ſemper a præcedentis plantæ ſeminibus diverſiſſima, ſunt compreſſo plana, nec eminentem nucleum, ut priora habentia, nec ſemialata, dorſo alis abſciſſis, ſed ſolum, ut in *Imperatoria* & *Selinis*, aliis ſtriata, quæ etiam ratio fuit, quare Angelicis eximerem & Selinis inſcriberem, maiorem cum his, quam aliis affinitatem habentem & aromatis omnino carent vehementia, quare miram illam, quam apud botanicos plurimos circa hanc plantam eſſe, moneret in *Flora Lapponica* confuſionem, adeo non ſuſtulit, quin auxerit LINNAEUS, maxime, dum etiam harum plantarum differentias haud recte proponeret, & in ſylveſtri L. Angelica, foliorum impar lobatum multos viderem decipere. Ego ex ſemine ſemper diſtinguo.

5. LASERPITIUM. Semen Tab. I. Nro. 6.

CHARACTER. Semen interna facie concavum, externa rotæ molendinaris undique alatum.

1) *Laſerpitium aſperum.* * * Enum. Elench.
Laſerpitium foliis obcordatis inciſo-ſerratis, foliorum dorſo petiolisque hirſutis. Tab. 1. F. 2. *folium.*
Laſerpitium Chironium. L. *certo, non vero ſynonima, nec notæ. Alia ſynonima ob ſummam incertitudinem addere non poſſum; noſtram plantam nemo deſcripſit.*

Non infrequens in cædua montis *Hamburgenſis* ſylva, inveni etiam in aſperis lapidoſis montis *badenſis* locis.

Radix capillato capite craſſa, nigra, longa.

Caulis ſtrictus, glaber, argute lineatus, glauco rore abſtergendo obductus, 4, 5, pedes altus ex medio brachiatus.

Vaginæ radicales amplæ caulem late amplexantes, ſtriatæ glabræ, dant priores petiolos angulosos, anguli acie lateribus compreſſis ſurſum ſpectante, ſtriatos, hirſutos ſcabros; his ſecundarii folioſi anteriori facie implantantur ſimiliter facti & hirſuti.

Folia, quæ ſimplicia ſunt, oblique cordata viſuntur, nulla Paſtinacæ convenientia, ſed latifolii LINNAEO dicti Laſerpitii ſimillima, niſi quod facie ſaturate viridia ſint & glabra, dorſo glauca nervis venisque hirſutie donatis aſpera; quæ minus ſimplicia ſunt, biloba etiam triloba

viſuntur, laurinis omnibus & inciſo-ſerratis, ſerris ſpinula exaſperatis.

Vaginæ caulinæ radicalibus fere ampliores & vacuæ, conflexæ, poſtica emarginatione petiolos dant tres non adeo hirſutos, amplius etiam aliis foliolis veſtitos, ultimo plerumque trifido, aliis raro, licet tamen aliquando uno alterove dente ſectis; adhæc ſunt hæc foliola omnia conflexa quaſi carinata & a priorum forma recedentia, ut icone expreſſum eſt.

Involucrum univerſale amplis factum foliolis margine undulatis, coloratis, acuminatis, & reflexis & ita quidem ſe habent in loco natali; *particulare* filiformibus non adeo reflexis, ſæpe abortientibus, ut etiam nullum deprehenderim.

Umbella univerſalis ampla hemiſphærica conferta facta radiis plurimis, qui ex incraſſata placenta egrediantur: hi magni ſunt ſuperna parte manifeſtius ſtriati, ut ob id etiam aſperi deprehendantur, inferna glabri toti; *particularis* etiam convexa & conferta ſed centro ſæpe abortiente calva.

Flos albus, patens, non magnus, a RIVINO bene pictus ſtaminibus exſertis; piſtilla declinata perſtant & rubent, ut & ſæpe fructus, qui alis latis eminentibus plus minusve criſpis ex purpura coloratis percurſus, calyce exiguo quinque dentato coronatur.

Obſervatio I. Mira & inſolita ratione huius plantæ apud omnes oſcitatio non ſolum in iconibus, ſed etiam in deſcriptionibus, quas a ſe invicem mutuantur ſpectabilis, me eo impulit, ut plantam alio inſignirem cognomine, cum revera perſuaderi non poſſim, hanc noſtram Panaces peregrinum, quod hodie Laſerpitium Chironium appellavit LINNAEUS, eſſe. Non inquiram an Panaces peregrinum DODONEI ſit Chironium DIOSCORIDIS, an a LINNAEO huic plantæ hoc cognomen recte inditum? ſed id ſolum contendam, meam plantam nec Chironium DIOSCORIDIS eſſe, nec illud LINNAEI ex ſynonimis, licet definitionem Chironii poſterioris huius botanici ſcilicet foliolis oblique cordatis petiolis hirſutis ad amuſſim ſuſtineat. De Chironio DIOSCORIDIS res plana eſt, ut probatione non egeat. De illo LINNAEI has contrarias habeo rationes; & primo quidem nullum Laſerpitii Chironii ſynonimum meæ componi plantæ poteſt. *Panax Heracleum* MORIS. III. p. 315. S. 9. T. 17. F. 1. nec in icone meæ plantæ ſimile, nec in deſcriptione: in icone quidem quam a DODO-

NEO

Digitized by Google

NEO mutuatus, quod caulem & pedunculos hirſutos faciat, qui meæ plantæ glaberrimi ſint, & folia longa nimis & ex cordatis lanceolata, quæ in noſtra maxime obtuſa, ſemina compreſſa planiora omnino mala noſtris non ſimilia; recedit pariter deſcriptio, quod pedunculos canaliculatos dicat, qui in loco canaliculi, ſint in noſtra in aciem verſi, caulem policaris & pene brachialis craſſitudinis cum umbellis aureis ſeminibus ſubrotundis & compreſſis, quæ omnia in noſtra planta deſiderantur. Aliud C. B. ſynonimum *Panax paſtinacæ folio* noſtram plantam minime indigitat; nec tertium DODONEI nomine *Panacis peregrini* eandem deſignat icone ac MORIS. eadem, deſcriptione etiam magis, quam MORISONII manca, cum floribus aureis. Supereſt unica in ſpeciebus a LINNAEO adiecta nota in hæc verba „folia integra lobo ſuperiore breviore crenata „obtuſa. Petioli valde hirſuti. Involucrum parvum tam univerſale, „quam particulare; hinc diverſa a *Paſtinaca coſtina.*„ In noſtra vero folia non ſemper integra, quin nonnulla horum frequentius biloba triloba ve viſuntur, obtuſa quidem, & lobo ſuperiore, ſi recte quid velit, capio, breviore, non crenata tamen, ſed manifeſtius ſerrata; nec involucrum aut univerſale aut particulare adeo parvum video.

Obſervatio II. Non alia planta maiorem habet cum Laſerpitio mox ſequente, aut *latifolio* LINNAEI ſimilitudinem, ut etiam pro varietatibus haberi poſſint.

Obſervatio III, Vidi umbellas axillares ſæpe abortientes, & caulinæ umbellulas centrales.

2) *Laſerpitium glabrum.*

Laſerpitium foliolis cordatis, inciſo-ferratis, glabris.

Seſeli æthiopicum. MATTHIOLI, CAM. *Epit. malæ icones.* DOD. CLUS. *itidem malæ. Radice non capillata, quam tamen priores habent.*

Laſerpitium I. ſpecies. HALL. *Helv. cum omnibus fere ſynominis.*

Laſerpitium. RIVIN. T. 21. *certo. Cæterum omnes varietates ſequentes authores melius expreſſere.*

Laſerpitium lobis latioribus ſemine criſpo, & verucoſo. MORIS. III. S. 9. T. 19. F. 1. &

Laſerpitium lobis latioribus ſemine plano. Seu Seſeli æthiopicum. DOD. ibidem T. 6, *Folia & habitus omnino bene, quæ præcedentium nullus habet.*

Libanotis alpina latifolia ſemine criſpo. BOCC. *muſ. di Piant.* p. 24. T. 3. *licet rudis, tamen vera icon.*

In ſubalpinis *Gans*, etiam *Sau-Grund Schneberg.*

Radix capillata longa teres.

Vaginæ radicales ſolidæ ſtriatæ compreſſæ, in loco canaliculi in aciem verſæ, ex purpura coloratæ.

Petioli minores folioſi anteriori facie implantantur, etiam compreſſi in aciem verſi, in loco coniunctionis confluentes, ut quaſi ſequens geniculus depreſſior ſit & ex poſtica prioris parte ortus videatur.

Folia circumſcriptione ſatis ampla; paria pinnarum primarum fere quatuor ſunt, ultimo impari foliolo; ſecundarum duo aut unum cum impari, reliqua cardinali petiolo hærent. Cæterum folia oblique cordata ſunt, ut MORISONUS recte expreſſit, laurina ſuperna facie profunde viridia, inferna quodammodo cineraceo colore glauca, glabra utraque ſerris ſpinuloſis ex purpura leviter tinctis circumſerrata, ſæpius quidem integra, aliquando tamen ſemi-biloba, quod etiam in foliis caulinis invenias.

Caulis rotundus glaber variæ altitudinis.

Involucrum univerſale multis confectum foliolis inæqualibus, lanceolatis, membrana alba auctis; *particulare* exiguum filamentis albidis quaſi criſpatis filiforme.

Umbella univerſalis ampla, numeroſis facta radiis longis, ſtriatis, *particularis* fere ſimilis.

Flos ante muturitatem ex viridi albus, dein purpura tingitur, apertus ex albo roſeus eſt, petalis inæqualiter cordiformibus, unco oblique recurvo colorato, perianthio proprio ſuffultis.

Stamina petalis maiora exſerta alba, antheris ex albo flaveſcentibus.

3) *Laſerpitium ſelinoides.* * Enumeratio.
Laſerpitium foliolis pinnatifidis connatis: laciniis ſuboppoſitis, nervis petiolisque hiſpidis.
Laſerpitium primis caulis geniculis pedunculisque hiſpidis; Seminum alis dorſalibus ſæpe pygmæis.
Laſerpitium herbaceo-aſperum, ſeminum alis dorſalibus nonnunquam ſemilatis. *Ita ex ſolo habitu duriori, aſpero, arido ab omni Laſerpitio, quod ego cognoſco, facile diſtinguo.*
Laſerpitium prutenicum. HALL. *hort. Göttingenſ. certo.*
Laſerpitium daucoides prutenicum viſcoſo ſemine. BREYN. *cent.* 167. T. 84. *plurima bene.*
Laſerpitium minus. RIV. T. 23. *utcunque.*
An? Laſerpitium prutenicum. LINNAEI *divinare non potui.*

In

In montibus *Medlingenſibus* KRAMERUS, ego in exitu pineti *Breyn* arido ſole tamen aliquantulum luſtrato loco inveni plantam aſperam & pauci ſucci, quæ a BREYNII & RIVINI iconibus multum diverſa ſit.

Radix in iunioribus unica fuſiformis, Carotæ iuvenis ſimilitudine, tenuis, albida: in adultioribus exigua, ramulis hinc inde horizonti vix non parallelis facta, nigrior, vix capillata.

Vaginæ radicales duæ tresve ſtriatæ, ſolvuntur in petiolos leniter canaliculatos, tenues, longos, hiſpidos, ſparſos; *caulinæ* ſimiles.

Caulis diverſæ altitudinis duorum, trium pedum & ultra, tenuis, virgatus, rigidulus, angulofus; inferne coloratus, villo ſatis rigidulo exſtante hiſpidus: ſuperne aliquantulum minus hiſpidus, non villoſus, plerumque viridis, ibi ramoſus, licet quandoque tota longitudine talis deprehentatur, ramis virgatis ſatis longis rigidulis.

Folia exacte, ut inciſa ſunt, ſæpe purpura tincta tota aut ſaltem maculata; ſuperne nullo villo, inferne iuxta nervum & oras hiſpido cilio cincta; foliorum particulares alæ ſæpe ſoliolum retrorſum decuſſant. Caterum pinnatifida ſunt, pinnis non ſemper exacte ex oppoſito ortis, ovatis, dente rigidulo exſtante notatis, alia in figura videri poſſunt.

Involucrum utrumque polyphyllum, membrana alba ampla ſæpe criſpa auctum, reflexum, interne exalbidum.

Radii umbellarum rigiduli, longi, canaliculati, externi maiores, interni minores; omnes rigiduli, quandoque colorati, ſemper hiſpidi, radii umbellularum prioribus proportionales, & æquales.

Flores candidos, quos ſolum emarcidos vidi, non deſcribam.

Semina capitulo coronata purpureo in meis ſpeciminibus, & perianthio, & tubis reſlexis purpureis. Seminum caro ex atro-purpurea alas marginales habet amplas albidas, quaſi cereas, non pubeſcentes, dorſo gibbero coſtas exſtantes aliquantulum magis, quam in Selino noſtro ſylveſtri, ſed quæ alatæ dici non poſſint, ut molendinaceum exacte ſemen non ſit, quod tamen fore, ut tale evaderet, ſperaſſes.

Obſervatio I. Diu hæſitavi an laſerpitii prutenici nomine mea planta ſalutanda foret, cum LINNAEI definitionem huic accommodare neutiquam poſſem, quomodo enim de illa dici poteſt, *Laſerpitium foliolis lanceolatis integerrimis extimis coatilis?* erant igitur alia luſtranda ſynonima, illud ROYENI parum explicabat, BREYNII cum viſcoſo ſemine non aderat,

rat, ut debuerim ad icones confugere. Icon breyniana habitum noſtræ habet & plurimam aliam ſimilitudinem; tamen eſt in foliis differentia, & marginalia foliorum cilia nec BREYNIUS, nec RIVINUS notarunt, omiſere etiam potiſſimum dentem illum rigidulum, nec radios fecerunt ſubangulofos nec hiſpidos; neque tamen inde hos viros culpare velim, cum id ſæpe ſolius Calcographi feſtinantis peccato fiat, hæc tamen, ni fallor, deſcriptionem ingredi debent, ne ſemper male deſcriptæ relinquantur plantæ.

Semina BREYNIUS perfecte molendinacea pingit, quæ nec RIVINUS, nec ego vidi; villoſa poſt HALLERUM LINNAEUS dixit, quæ nec RIVINUS, nec BREYNIUS, nec ego obſervavi. Cæterum vehementer lætabar, me etiamnum de nomine plantæ meæ dubium hærentem paucis ab HALLERO ſcriptis verbis in eiusdem cognitionem certius fuiſſe deductum, quam ænigmatica LINNAEI definitione, cum in Horto Göttingenſi ſcripſiſſet HALLERUS „ſemine tribus alis (coſtis) brevibus percurſa, præter „quas duæ magnæ plicatæ albæ ſiccæ alæ (marginales ſcilicet) adſunt; „ſed etiam parvæ alæ (coſtæ) nonnunquam grandiores fiunt; & numerus adeo alarum a 2 ad 8 (forte etiam 10) in uno fructu varius eſt.„ In RUPPIO hanc fecit animadverſionem „folia caulina anguſta Silai.„

Obſervatio II. Cum Selinorum habitum planta habeat, ſeminaque ſæpe dorſo alata non ſint, & ob hanc circumſtantiam Selinis propius accedant, cognomen illi ſelinoides dedi, quod maiori poſſideat, quam illud prutenicum. Et nunc merito quæri poteſt, an non pro Selino imo Carvifolio L. proponi poſſet? de habitu, utriusque plantæ convenientia iam conſenſit LINNAEUS; de variabili alarum in ſemine natura teſtis HALLERUS eſt, RIVINUS & ego plus quam in 50 ſeminibus vidi, cum piſtillis fructus reflexis. Adhæc obſervo in uno exemplari caulem nitidum, folia etiam non hirſuta, ut Laſerpitium prutenicum hiſce datis Selinum facile ſtatuatur idque Carvifolium LINNAEI. An non ſic natum, quod vocat Selinum Monnieri LINNAEUS? ex deſcriptione LINNAEI perſuaderi poſſem, ni ex MONNIERO evidens eſſet, ſemina parva eſſe, non Selini planta, ſed ſulcata gibba Aethuſæ, plantamque ad Aethuſam reduceret, quam LINNAEUS dein contra characterem genericum Selinis inferret, quaſi facile eſſet, ſemen ſulcatum angulofum gibberum Aethuſæ, cum ſemine plus minusve plano margine ſolum foliaceo cincta Selinorum combinare? utique convenientius diſcentibusque facilius foret, ex ſeminibus characterem generum non deſumere, quam hunc & lectores conſtanter ludere.

ORDO

Digitized by Google

ORDO II.

COSTATAE aut STRIATAE.

I. SEMINE NUDO.

Fructu tum lato tum longo.

6. SILER. Semen Tab. I. Nro. 7.

CHARACTER Flos regularis. Semen latolongum 4, 5, coſtatum.

1) *Siler montanum* offic.
Siler foliis integris glabris longe ellipticis ſine aculeatis.
Siler montanum. CLUS. *Hiſt.* II. 19?. *Icon radicis abſque capillitio mala, mala pariter* LOBELII, & ALIORUM, *ſola* MORISONI III. S. 9. T. 3. F. 2. *bona.*
I. Liguſticum X. Matthioli. *Comment. in Dioſcorid. curante* C. B. *Icon mala, nimis ramoſa, & radice non capillata.*
Ligaſticum quod ſeſeli officinarum. C. B. TOURN.
Seſeli BLACK. T. 426.

Non rara in montoſis, in *Badenſibus* frequens, etiam in ſubalpinis *Gans*, & *Saugrund-Schneberg.*

Radix craſſa longa, ſetacea corona cincta, fuſca.

Caulis virgatus totus medulloſus, teres, glaber, lineis albis & viridibus tota longitudine variegatus, ſæpe etiam ex rubro-coloratus, 5, 6, pedum altitudinis, brachiatus.

Petioli radicales ex longa non lata, ſed admodum cartilaginea oriuntur, lateribus compreſſi, trifurcati, geniculis conſtanter albentibus oſſeis.

Folia ſubglauca, laurinæ craſſitiei, glabra, venis transparentibus admodum venoſa; ipſa ramis pinnatis pinnis tripartitis petiolatis longe elliptica ordiuntur, ſine ſpinula colorata inermi prædita.

Involucrum univerſale multifolium, patens, ſæpe etiam reflexum; *particulare* tenuioribus factum foliolis non reflexis.

Umbella univerſalis ampliſſima, conferta radiis longis facta; *particularis* ſimilis ſæpe abortiens.

Flos primo ex herbaceo-purpuraſcens dein albeſcit, & petalis erecto-conflexis ſtamina exſerta gerit.

Fructus ovato-oblongus collo inſtructus, coſtas quinque longiores, quatuor minores habet in ſingulo ſemine, & hæ quidem evidentiores ſunt, quam in ſilere *trilobo*, quod etiam hoc latius eſt. Floris perianthium non niſi adhibito microſcopio diſtincte videtur.

Obſervatio. Sapor non ingratus Thuris odorem revocat; & in ſpeciminibus in Gans lectis nodos in caulibus tumere video, nec tota circumferentia vagina cœptos, ſed deliquium patientes. Tubæ declinatæ erant, & longæ.

2) *Siler Trilobum.*
Siler foliis amplis laurinis trilobis inciſis.
Angelica foliolis tripartitis lobis ſuperne inciſis obtuſis. ROY. *prodr.* 104.
Liguſticum Rauwolffii foliis aquilegiæ. I. BAUHINI? *ex icone nunquam divines.*
Siler aquilegiæ foliis. MORIS. III. S. 9. T. 3. F. 3. *nec hæc.*

In monte *Cetio* CLUSIUS, KRAMER ibi frequentem, rariorem in montoſis *Badenſibus* inveni, creſcit etiam in *Dornbach*, qua parte rudera rupium ſunt.

Habitus glaucus caulis, ramorum, dorſi foliorum.

Radix craſſa admodum longa, fuſca, corona ſetacea tecta eſt.

Caulis 5, 6, pedum ſtrictus, cartilagineus quaſi, folioſus, brachiatus, etiam ex atra purpura coloratur adultus.

Petioli ex vagina cartilaginea rigidi caulini ſolitarii tria ſuſtinent folia, duo ex adverſo ſeſſilia, medio remotiori longe petiolato, omnia plerumque triloba ſunt; lobis etiam ſectis, dentibus ſphacelatis inſtructa; ſuperna parte læte viridia, inferna multum glauca, & venis transparentibus admodum venoſa.

Involucrum univerſale aut nullum, aut unum alterumve foliolum; *partiale* itidem modo nullum, modo polyphyllum 5, 6, 7, marceſcendis foliolis conflatum. Eſt tamen in iis involucris opus hac animadverſione, quod, ubi deficiunt, receptaculum, ex quo egrediantur radii tam univerſalis quam particularis umbellæ, dura oſſeaque ſubſtantia incraſſatum conſpiciatur.

Umbella

Digitized by Google

Umbella univerſalis multis facta radiis longis, ſtrictis, plerumque 13, 14, pluribus etiam; *particularis* totidem fere, ſed in quibus multa abortiant ſemina. Flos petalis exiguis albus.

Fructus capitatus, ſæpe priori magis compreſſus, coſtas quinque habet magis conſpicuas & longiores, quibus aliæ quatuor interpoſitæ cernantur, fabrica priori ſimillima, non vero Laſerpitiorum comparandæ.

Obſervatio I. Etiam in hac planta non parva LINNAEI confuſio deprehenditur; dum Laſerpitia, & Silera, quæ multo botanico judicio diſtinxerant ſapienter MORISONVS, BOERHAAVE, & alii, ita male confundit, ut ſtirpes foliis convenientes, diſcrepantes ſemine diſtingui non poſſint amplius; quaſi demum in umbellatarum ſtirpium cognoſcendis generibus, eo eſſet deventum, ut ex figura foliorum non ſeminis genera eruenda venirent.

Planta noſtra folia habet triloba, inciſa, ſemen non Laſerpitii alatum molendinaceum, ſed exactiſſime ſileris montani vide Umbelliferarum Tab. I. N. 7. Illa vero, quæ nomine *Laſerpitii trilobi* inſcripta eſt in Herbario Krapfſiano, & foliis eſt trilobis inciſis, & ſemine margine alato leviter criſpo, ut ſemen *Selini ſylveſtris*, quod Tab. I. N. 3. in medium trium poſitum eſt, ſatis referat: quanquam vero ſolum dorſo coſtatum deprehendatur, moleudinaceum futurum eſſe, ut in Selinoide fieri paulo ante monui, prævidetur.

Nunc autem certum eſt meam plantam cum Tergeſtina illa, licet folia ſatis conveniant, componi non poſſe, & poſteriorem a LINNAEO non ſcriptam, non exiguum mihi laborem faceſſere.

Trutinavi igitur omnium primo ſynonima Laſerpitii *trilobi* L. C. BAUHINUS ex horto CAMERARII plantam obtinuiſſe videtur, ſemenque in hunc modum deſcriptum reliquit „ſemen longum, latum, ſtriatum, „geminum, puniceum.„ Hæc, ut & alia omnia pro ſuo more I. BAUHINUS exſcripſit, nemo vero omnium aut alatum, aut molendinaceum ſemen eſſe monuit, ut primo conſtet, Laſerpitium *trilobum* LINNAEI ſemine alato molendinaceo non inſtrui, & idem hocce Laſerpitium verum Siler eſſe, & quidem noſtrum Siler *trilobum*, non vero Laſerpitium tergeſtinum trilobum. Laſerpitiorum alias non paucas ſpecies MORISONUS habet, quarum nomina iconibus haud reſpondeant, ut inde has ſpecies

 multi

Digitized by Google

multi confundant; ſed ex hoc Viro nihil eruere potui, quod Tergeſtinam plantam illuſtraret. Poſt MORISONUM BOERHAAVE plurimas Laſerpitii ſpecies, aut varietates receuſuit, quas itidem LINNAEUS neglexit; & apud hunc quidem Virum unicum ſolum nomen invenio utcunque plantam, de qua ſermo eſt, indigitans in hæc verba, Laſerpitium lato glauco ſplendente trifido folio, flore albo, umbella ſphærica, & eſt eius Laſerpitium octavum; non probo vero ſynonima omnia. Sed en Tergeſtini cum noſtra ſimilitudo differentiaque.

Noſtra planta altior longe eſt, 4, 5, pedum; Tergeſtina ſolum cubitalis tenuiori etiam caule prædita. In utraque folia ex triplici propullulant petiolo in noſtra longe trifida, ſeu tres lobos diviſa, ſine magis retuſo, & medio foliolo inſidente exactius longiusve cuneiformi; in Tergeſtina extima etiam longe trifida ſunt, ſine tamen minus retuſo & evidentius ovato, medio etiam foliolo inſidente non adeo longe cuneiformi: lateralia vero foliola raro triloba & ob id ſæpe ad coſtam auriculata, quod non adeo in noſtra video. Cæterum eadem in utraque planta foliorum natura, Laſerpitiorum ſcilicet cum glabritie dura nitidaque, multum venoſa & transparentia; eodem modo etiam ſuperna facie ſaturatius virentia, interna glauco-exalbida, in obtuſis ſerris eminentem dentem habent. Involucrum utrumque in tergeſtina rarum. Semen in noſtra ſemini Sileris ſimillimum, in Tergeſtina Selino-Laſerpitii, alis marginalibus latis albidis ſubcriſpis, coſtis dorſo, quæ in alas erumpere velle videantur; capitulis in Tergeſtina criſtatis, criſpis, in noſtra magis capitatis.

3) *Siler Gallicum.*

Siler foliis cuneiformibus furcatis. L.
Laſerpitium foliolis ramuloſis ſeſſilibus. ROY. *prodr.* 101.
Laſerpitium gallicum. C. B. *pin.* 156.
Laſerpitium anguſtifolium, foliis conjugatim poſitis, quinquefidis. MORIS. Ill. p. 321.

Fama eſt, in montibus ſylveſtribus circa *Petersdorff* rariſſime inveniri; ſed vereor, ut ſola fama ſit, & ſolum naſci ex ſemine miſſo in poculo viſa ſit.

Fructu

Digitized by Google

Fructu longo magis quam lato, hinc elongato oblongo, ovato ex his compoſito cylindrico &c.

7. CHAEROPHYLLUM. Semen Tab. I. Nro. II.

CHARACTER. Fructus plus, minusve roſtratus, aut in aciem terminatus. Ariſta, bipartibili fructu dehiſcente, aut delapſo, in radio perſtans. Non eſt, cur ad florum colorem, aut regularitatem attendas, nec ad involucrorum naturam, licet ea excepto Chærophyllo pecten veneris in umbellulis partialibus reflexa ſit.

1) *Chærophyllum Pecten veneris.*
Chærophyllum minimum fructu evidentius roſtrato.
Chærophyllum umbellæ ſimblicis roſtro longiſſimo.
Scandix foliis omnibus tenuiſſime diviſis. HALL. *Helv. Spec.* 1.
Scandix pecten veneris. DOD. *pempt bona icon. purg. eadem.*
Scandix ſemine roſtrato vulgaris. C. B. MORIS. TOURN.

Hinc inde in agris rarior, in *Badenſibus* ego legi.

2) *Chærophyllum Bulboſum.*
Chærophyllum caule maculato: inferne hiſpido ſuperne glabro, radice bulboſa.
Cicutaria pannonica. CLUS. *Hiſt.* II. p. 200.
Myrrhis folila glabris radice rotunda carnoſa. HALL. *Helv. ſpec.* 3.
Chærophyllum radice turbinata carnoſa. LIN.
Myrrhis fœtens. RIVIN. T. 50. *Laudat* HALLERUS, *mihi vero minime placet, nec noſtris ſatis conveniens eſt plantis, tum ob folia, quæ nimis extenuata, tum ob ſemina, quæ nimis craſſa, & caulem minime maculatum.*

Creſcit abunde in *Incersdorffer* Walde.

Radix napum eſt exiguum vix caule craſſius, fibris albis multis inſtructum.

Ex brevi napo exſurgit caulis unicus, ſuperne ramoſus 4, 5 pedum altitudine, ampla fiſtula pertuſus, ad duos, ſi infimum non numeres, articulos hiſpidus pilis terram ſpectantibus, albidis rigidiuſculis, ſpinuloſis, modo ſimplicibus, modo compoſitis ex colorato bulbulo egredientibus. Aliis articulis nitidus caulis eſt, plerumque obſoleta pur-

pura longe maculatus, lituratus, glaber, niſi quod hinc inde ex ſimili colorato ſcabioſo bulbulo una alterave emergens ſpinula aſperitatem iniiciat. Infimi articuli non adeo tument, ut ſuperiores.

Vaginae caulinae in hac gente vix non longiſſimae glabrae membrana introrſum flexa petiolos largiuntur primores non canaliculatos, hinc inde tamen ſpinuloſos, dum ſecundarii, qui foliacei ſint & carinati & maxime piloſi deprehendantur, etiam per foliorum nervos, in quos diffunduntur, barbam manifeſtam habeant.

Folia pulchre & argute ſecta, Cicutae Officinarum foliis tenuiora, omnia ſeſe ſemper & ad coſtam, & ad petiolum foliaceum, decuſſantia, laete viridia, inferne tamen non ſplendentia.

Involucrum *univerſale* aut nullum, aut uno alterove folio lanceolato reflexo conſtans *particulare* 5, 6, reflexis membrana auctis & quaſi ſolum externis.

Umbella univerſalis inaequalibus facta radiis, ita & *particularis*, quae convexiuſcula.

Petala nivea cordiformia minora, exteriora quaſi internis maiora.

Stamina exſerta, ſed brevi decidua.

Semen primo tubis diſtantibus ſurſum latum, dein extenuandum Chaerophylli.

Obſervatio I. Semina ovata RIVINUS habet, non bene: in ſuis immaturis longa & ſtricta eſſe dicit HALLERUS, & ita ego in ſiccis invenio, quae ſurſum anguſta ſtriata nunc coram video, & ſic ſemper me vidiſſe memini; eſt tamen id attentione dignum, immatura in principio ſurſum latiora videri.

Obſervatio II. Non florentem adhuc plantam in Cicutae extractum cogi Viennenſibus Pharmacopaeis, certo novi, ut plurima Cicutae adſcribantur, quae ad alias pertineant plantas & extracto cicuta Viennenſi plurimae nationes decipiantur.

3) *Chaerophyllum temulum.*

Chaerophyllum caule maculato ſcabro, geniculis tumidis, umbellis floridis declinatis.

Myrrhis annua vulgaris caule fuſco. MORIS. III. *annua non eſt.*

Myrrhis. RIVIN. T. 49.

Digitized by Google

Myrrhis pinnulis ſemi pinnatis, ordinatim decreſcentibus. HALL. *Helv. ſpec.* 1.
Chærophyllum caule maculato: geniculis tumidis L. *malum nomen.*

In *Au-Garten* in hortulo laterali *Belvedér*, in ſepibus *Grinzing* &c.

Caulis raro rotundus plerumque compreſſus, adultus etiam ſulcatus anguloſus, maculis ex profunda purpura variegatis, minima hirſutie aſper.

Ex vaginis arcte geniculis tumidis iunctis petioli defluunt canaliculati, hiſpidi, anguloſi.

Folia lata ſunt nulla cognatione gentis, lanugine veſtita, ſcabra fere, ſuperne profundius, inferne dilutius viridia, irregulariter ſecta, ora fere hirſuta.

Involucrum *univerſale* nullum aut unum alterumve foliolum florale, *particulare* 6, 8, factum foliolis inæqualibus hirſutis, in morem gentis reflexis, denſo ordine poſitis, ut unicum appareant in totidem ſegmenta ſectum.

Umbella *univerſalis* facta radiis 8, 9, irregularibus, particularis denſa pluribus. Hoc vero umbellæ habent, quod floridæ declives ſint & quaſi in latus declinent.

Petala exigua alba, irregulariter cordiformia.

Fructus oblongus acuminatus, immaturus levis, maturus ſtriatus, ſtriis nitidis ſplendentibus.

Obſervatio I. Hoc Chærophyllum *temulum* caule maculato geniculis tumidis definit LINNAEUS & ex illo Floriſtæ ſexuales, nec attendunt definitionem æque *bulboſo* convenire, quod & caulem maculatum habet & genicula tumida.

Obſervatio II. Umbellas virgines dormientes, cernuas, umbellas vero in medio abortientes notat LINNAEUS. Umbellulas florentes in latus inclinatas, centrales aliquando totas abortientes, etiam in his medios ſolum floſculos ego obſervo.

4) *Chærophyllum Cerefolium* offic.
Chærophyllum caule levi glabro, feminibus levibus nigris.
Scandix feminibus nitidis ovato-ſubulatis, umbellis ſeſſilibus lateralibus L. *ſemina ovato-ſubulata non invenio.*
Chærophyllum feminibus levibus, umbellis ad nodos ſeſſilibus. BOEHM. *Lipſ.*
Chærophyllum ſativum. C. B.

Hinc inde ad ſepes. Annua

Annuæ plantæ radix exigua, multum fibroſa.

Caulis glaber imperceptibili pene pube obductus.

Vaginæ membranaceæ, ſtriatæ, margine admodum piloſæ, pilis niveis.

Flores conferti, fere ſemper inter folia floralia latitantes in initio.

Involucrum univerſale aut nullum aut folium, quod frequentiſſime adeſt, florale; *particulare* lanceolatum reflexum, ora piloſum.

Petala in initio ex herbaceo-luteola, dein nivea, exigua, diſtantia, patula, quaſi cruciformiter cordiformia, baſi aliquantulum ſecta, lateribus poſtrorſum, eminente media linea plicatis.

Fructus gentis, non ſcandicis.

Semen oblongum leve, non ſtriatum, coloratum nigrum, tubis junctis, ut ſolum una videatur ſubulatum.

Obſervatio. Cur *Cerefolium* officinarum ſcandici illatum ſit a ſexualibus, perſpici vix poteſt, Floriſtæ exſcribunt, non examinant. Petala non ſunt integra in *Cerefolio*, ut perhibent, & ſemen eſt *Chærophylli* non *ſcandicis;* de floſculis diſci ſæpe maſculis vix poſſunt aut debent eſſe ſolliciti, cum Chœrophyllum temulum etiam alia, æque ſæpe ac hoc abortiant, ita ſaltem ego obſervo.

3) *Chærophyllum ſylveſtre.*

Chærophyllum caule ſulcato, feminibus levibus, non ſtriatis nigris.

Chærophyllum ſeminibus levibus nitidis, nervo foliorum ſubhirſuto. HALL. *Helv. ſpec.* 2. *bene.*

Cerefolium ſylveſtre. RIV. T. 44. *bona, cum caule ſulcato & ſeminibus cornicuiatis.*

Cerefolium ſylveitre perenne, ſeminibus levibus nigris. MORIS. *optimo nomine.*

Chærophyllum ſylveſtre perenne Cicutæ folio. TOURN. *commode.*

Chærophyllum perenne, Cicutæ folio, ſeminibus aſperis. MESS. AMM. *Ruth.* 120. *ſed aſperitatem oculo armato quæſivit, quam tactu explorare non poſſet.*

Frequenter in pomariis, in ſylva & *Maria-Brun*, etiam in ſubalpinis & in *Saugrund-Schneberg.*

Perennis plantæ caulis craſſus, magna fiſtula pertuſus, noſtratibus Chærophyllis omnibus magis anguloſus & ſulcatus, adultus alba pube obductus & plurimum brachiatus.

Vaginæ

Digitized by Google

Vaginæ ſtriatæ lanuginoſæ, infimæ etiam rubro colore perfuſæ petiolos dant profunde carinatos, inferne intermixta pube ſubrubros, leni pube obductos, quæ etiam in foliorum nervos continuetur.

Involucrum univerſale nullum vidi; *particulare* ovato-lanceolatum ſex & ultra foliolis oram piloſam habentibus conflatum.

Petala ita ſe habuere, ut exteriora maiora patula, non adeo cordata viderem, interiora vero minora eſſent, omnia quaſi integra, non, utut Chærophylli eſſe ſolent, ſecta: hæc in initio luteola ætate albeſcunt, ut nivea ſint.

Fructus Chærophylli ſurſum acuminatus tubis approximatis; immaturus ex herbaceo ruffeſcens, maturus totus niger eſt, in utroque ſtatu ſplendens, nitidus, non ſulcatus nec ſtriatus, ſed leviſſimus, licet lente viſus conſpiciatur tuberculoſus.

Obſervatio I. Multa admodum & varia in deſcribendo hoc Chærophyllo utitur definitione LINNAEUS, quo eventu plantam proprio marte determinantes iudicent.

I. Chærophyllum caule ſtriato: geniculis tumidiuſculis. *Flor. ſuec.*

II. Chærophyllum floſculis omnibus fertilibus: caule æquali. *Spec. plant.*

Iam vero licet caulis geniculis tumidiuſculis & caulis æqualis ideas confundant, etiam hæ definitiones ſeſe mutuo deſtruant, nulla tamen ex his *ſylveſtre* ab *hirſuto* Chærophyllo ſeparat, nam & in *hirſuto* caulis leviter ſtriatus eſt, genicula etiam ſubtumida ſunt. Quod ſecundam ſpectat definitionem obſervari poteſt, non magis fertiles in *ſylveſtri* deprehendi floſculos, quam quidem in *hirſuto* & caulem in utroque æque æqualem eſſe. An verior tertia eſt.

Chærophyllum feminibus levibus nitidis petiolis rameis æqualibus. *Hort Cliffort. ſuntne petioli ramei inæquales in hirſuto?*

Certum eſt, ſexualibus omnibus melius definiiſſe C. BAUHINUM hoc nomine, Myrrhis ſylveſtris ſeminibus levibus, & magis appoſitæ MORISONUM, Cerefolium ſylveſtre perenne ſeminibus levibus nigris; inter omnia enim Chærophylla noſtratia Cerefolium officinarum & hoc ſylveſtre ſemina ſolum habent nitida levia, nigra, non ſtriata. Et nunc addam hoc Chærophyllum *ſylveſtre* C. B. MORIS. TOURN. HALL. differre a *Cerefolio* caule profunde ſulcato, anguloſo, qui alteri glaber ſit, nec alia

Digitized by Google

inter Chærophylla eſt planta; quæ melius Libanotidi anguloſi caulis componi aliquando poſſit, quam hæcce; differt etiam umbellis magis regularibus ſemper ſummis, quæ ad nodos poſitæ multum irregulares ſint in *Cerefolio:* tum tertio involucro particulari manifeſtiore integro, quod ætate vel nullum ſit, vel ſolum dimidiatum in *Cerefolio;* ſunt adhuc aliæ, tum in flore, tum in ſemine differentiæ. Cæterum ab *hirſuto ſylveſtre* in eo recedit, quod caulis *hirſuti* leviter ſolum lineatus nulla fere fiſtula pertuſus, hinc inde parva pube obſitus deprehendatur, dum *ſylveſtris* non ſolum ſtriatus, ſed vere anguloſus & præ lanugine ſæpe albidus, etiam magna fiſtula pertuſus viſitur. Folia utriusque omnino diverſiſſima ſunt, nec unquam confundi poſſunt; eſt etiam non exigua in ſemine differentia, quod aureum nigreſcit in *ſylveſtri* nunquam, in *hirſuto* & tubæ, quæ perſtant in *hirſuto*, magis diſtant, quam in *ſylveſtri*, poſſent adhuc alia addi.

Obſervatio II. Caulis non ſemper, nec cito pubeſcit. Imberbis erat planta Gans, nec adeo ſulcata. Petala irregularia, vix ſecta, ut magis ſint ſcandicis, quam illa Cerefolii. Involucra partialia colorata erant in ſpecimine *Saugrund* etiam manifeſtius ciliata & quaſi piloſa.

6) *Chærophyllum hirſutum.*

I. Chærophyllum caule æquali ſeminum ſtriatorum corniculis maxime diſtantibus.

Chærophyllum caule æquali, petalis ciliatis.

Myrrhis paluſtris. RIV. T. 51. bona. *Semen ſulcatum omnino bene.*

Cicutaria latifolia hirſuta. I. B. III.

Cicutaria paluſtris latifolia alba & rubra. C. B. *pin.*

Chærophyllum caule æquali foliolis inciſis acutis, ſeminibus ſubulatis. L. *mala definitio.*

Myrrhis ſeminibus ſtrictis longiſſimis. HALL. *Helv. ſpec.* 4.

II. Chærophyllum caule inferne hiſpido, ſuperne glabro; ſeminum ſtriatorum corniculis maxime diſtantibus.

I. In ſubalpinis, in alpe *Breynina*, in *Saugrund-Schneberg* minime rara.
II. Ibidem, ſed rarior.

Radix non unica, ſed multæ craſſæ nigræ admodum longæ fibræ, quæ plurimum ramoſæ ſint.

Ex ſummo eoque lato capite in curva origine efferuntur caules plurimi, raro unicus; hi in iunioribus plantis glabri fere æquales, in ſuperioribus articulis ſtriati, in inferioribus lineati, in ſummitate ſolum ramoſi;

Digitized by Google

moſi; in adultioribus vero vel in infimis articulis hirſuti, vel, ſi demum glabri fuerint, ex obſcura purpura lineati, & ad vaginularum exortum ſolum hirſutuli & aſperi. Plantæ in Saugrund-Schneberg lectæ caulem habebant ſubhirſutum.

Vaginæ caulinæ carnoſæ ſunt, ampla membrana margine parum piloſa auctæ.

Petioli ſulcati lineati ſæpe etiam leniter colorati glabri, ramei coſtæ quaſi fractæ inſiſtunt carinati iam aſperi & hirſuti; aſpera hæc & ſpinuloſa quaſi hirſuties per omnes medios foliorum nervos diffunditur.

Folia a RIVINO recte picta ſunt: ampla hæc & inciſa etiam ad coſtam ſæpe ſeſe decuſſantia; alia non opus habeo addere, niſi quod ſuperne obſcure, inferne dilute viridia ſint, nitida etiam & ſplendentia inferne, ſuperne minus; tum iuniora non ſolum in dorſo iuxta omnes nervos piloſiſſima eſſe, ſed etiam oras ciliatas habere & ipſum etiam in facie nervum piloſum, vidi tamen etiam glabra tota.

Flores inter folia in initio latitantes dein eductis pedunculis eminent: non potui invenire pentandros, ſed nec ſtamina quinque in aliis umbelliferis obſervatu facilia ſunt, ut potius divinare debeas, ea adeſſe debere, quam adeſſe commonſtres & ex habitu ad umbellatas referas, non ex ſtaminum certo obſervato numero.

Umbella denſa irregularis.

Involucrum univerſale nullum; radiorum ſulcatorum *particulare* lanceolatum margine membrana exalbida cinctum, 8, 9, 10 foliolis ætate reflexis factum.

Petala exteriora magis patent, dum interiora plicata ſunt, hæc exigua cordiformia ex herbaceo-albida nivea fiunt & lente viſa, oram ciliatam habent. Modo integræ umbellæ, modo duæ, tres centrales umbellulæ abortiunt.

Semen ſurſum acuminatum immaturum, glabrum, non ſtriatum, ut fere omnia eſſe ſolent, divergentia duo cornicula habet, maturum coloratum ſtriatum eadem ſervat & longiſſima ſunt inter noſtratia omnia Chærophylla.

Obſervatio I. Vidi hoc Chærophyllum glabrum, vidi hirſutum, vidi floribus albis, vidi etiam purpureis præditum, ad hæc foliis latioribus etiam tenuius diſſectis aliis in ipſis alpibus.

Digitized by Google

Obſervatio II. Caulem æqualem folia inciſa acuta, ſemina ſubulata in diagnoſim huius plantæ adducit LINNAEUS; primum ſignum planta habet, ſecundum & tertium vix multæ eſſe utilitatis poteſt in diſcriminandis Chærophyllis, quibus plerumque inſunt, & ſi ad literam definitio ſumi debeat, eandem Chærophyllo *ſylveſtri* magis convenire, quam *hirſuto* contendo; nam & *ſylveſtre* caulem æqualem habet ex obſervatione LINNAEI, foliola certo inciſa acuta, & ſemina ad minimum adeo ſubulata, ut *hirſutum*, ex mea ſæpe confirmata obſervatione. Miror ſane noſtrorum Floriſtarum negligentiam, qui Linnæanam determinationem ſecuti, ne neceſſaria quidem in hac planta obſervarunt.

Obſervatio III. Multo labore & inſigni eruditione, ut alias ſolet, monſtravit HALLERUS in Opuſculis botanicis, nec Fratres BAUHINOS, nec RAIUM, nec MORISONUM plantam noſtram noviſſe, id ſolum addens „ſemina longa bicorni tuba ſua inſignia ſtriis conſpicuis non notari„ in noſtris vero conſpicuis ſtriis matura notantur, quæ in immaturis non videntur, quod etiam ante me, qui huius plantæ quærendæ cauſa in montem Bructerum conſcendit RIVINUS, exacte in hæc verba notavit „ſunt autem „huius ſemina longiora & anguſtiora inſtar Cerefolii, niſi ſtriata forent.„

8. LIGUSTICUM. Semen Tab. I. Nro. 12.

CHARACTER. Semen ovato-elongatum, quinque coſtis, vel membranaceis elatis magis, vel carneis depreſſioribus, ut in Phellandrio inſtructum. Involucra varia ſunt, etiam pro parte, vel pro toto deficiunt, ut in Podagraria, ſunt & flores varii, albi, lutei, rubri,

1) *Liguſticum Leviſticum* offic.
Liguſticum foliis multiplicibus, foliolis ſuperne inciſis, floribus luteolis.
Liguſticum vulgare. C. B. *pin.* 157.
Liguſticum vulgare foliis apii. I. B. III.
Leviſticum vulgare. MORIS. III. p. 275. S. 9. T. 3. F. 1. RIVIN. T. 61. *bona*.
Angelica montana perennis palud-apii folio. TOURN.

Non vidi alibi, quam in hortis Rhizotomorum.
Caulis humanam ſtaturam ſæpe excedens, fiſtuloſus.

Involu-

Involucrum univerſale foliolis ſæpe confluentibus exſurgens, ſeptem reflexis; *particulare* monophyllum aut totidem ſegmentis, aut pluribus, etiam reflexis omnibus, & membrana alba fimbriata auctis.

Petala minima, herbacea in initio, dein exalbeſcentia, placenta ſeu ſeminum cacumine flavo.

Fructus gibbus oblongus, ſemi-alis foliaceis decem, omnium in hoc genere maximis & evidentiſſimis.

Obſervatio. In Adverſariis lego, Liguſticum *Leviſticum*, maius ius habere inſcriptionis familiæ Laſerpitiorum L. quam Laſerpitium *trilobum* Eiusdem; & tantam corollarum æqualitatem, diſtinctiſſimam ab omnibus aliis, non inveniri, ut eadem certam genericam notam ſuppeditare valeat.

2) *Liguſticum Auſtriacum.*

Liguſticum foliis bipinnatis confluentibus nervo fiſtuloſo.

Seſeli I. montanum, pannonicum I. CLUS. *hiſt.* II. 193. *icon egregia.* MORIS. S. 9. T. 6. F. 1. *cum ſemine.*

Seſeli montanum cicutæ folio glabrum. C. B. *pin.*

Seſeli alpinum ſ. montanum primum Cluſio, folio ſplendente, floſculis albis. I. B. III. p. 168. *cum icone, nomine, & deſcriptione* CLUSII.

In celſis *Schneberg*, & aliarum Auſtriæ alpium iugis, ubi lætiora ſunt paſcua CLUSIUS. In *Sau-grube-Schneberg* ego inveni.

Radix craſſa ramoſa lutea, emarcidis vaginis cincta, non capillata.

Caulis altus, craſſus, fiſtuloſus, ſtriatus, admodum folioſus & brachiatus.

Vaginæ radicales carnoſæ in petiolos abeunt craſſos, carnoſos, cavos, a vaginis tota longitudine profunde ſulcatos, petiolis folioſis fere triangularibus, anteriori facie nervo eminente percurſis; caulinæ ſeſſiles membranaceæ expanſæ, crenatæ, fimbriis coloratis in tres petiolos ſolvuntur, qui folia bipinnata foliolis confluentibus gerant.

Involucrum univerſale polyphyllum foliolis latis albidis, latera membranaceis, modo ſimplicibus, modo pinnatis, reflexis omnibus; *particulare* itidem polyphyllum foliolis latis erectis exterioribus.

Umbellæ univerſalis radii ſurrecti, ſtricti, plures: centralis viginti, 24, 25; brachiorum 10, 12. plurium; Umbellæ *particularis* 18 plurium, dum aliquot tamen ſemper abortiunt.

Petala ampla patula albida, in his margine centrali aliquantulum reflexo-cordata, in aliis ovato-acuta recta tubis diſtantibus etiam reflexis, quæ ſucceſſu temporis roſeo colore perfundantur, ut &, quod magnum eſt & notabile, perianthium, & fructus.

Fructus ex ovato-acutus. Semen ſemi-alis inſtructum quinque.

Obſervatio. Hanc plantam in phyto-pinace Seſeli II. ſive montanum poloponenſis folio, C. BAUHINUS nominavit, quæſivitque, an eſſet Liguſticum alterum Belgarum LOBELII? eſſe in pinace ipſe C. BAUHINUS aſſeruit, & nuper SEGUIERUS, cui Lobeliana in Hiſtoria plantarum Lugdunenſium denuo cuſa icon, utpote Cluſiana accuratior, magis placet *ſupplemento Veronenſ.* p. 227. Primum determinare non auſim, cum utriusque plantæ exemplaria non poſſideam, ſed ſolum auſtriaci noſtri in alpibus lecti plurima. Quod alterum ſpectat, evidens eſt, a CLUSIO datam iconem aliorum omnes multa exactitudine ſuperare; nam huic plantæ quaſi proprium eſt, folioſam eſſe, quod Cluſiana icon non Lobeliana habet; itidem & hoc perſpicuum, inter omnes Lobelianas icones in Hiſtoria plantarum Lugdunenſium recuſas minime nitidam eam eſſe, de qua quæritur, dum truncatam conſpicis & media umbella omnino minore pictam, confer LOBELII icones, obſervationes, & Hiſtoriam plantarum Lugdunenſium. Et nunc demum certus pronuncio, hoc liguſticum auſtriacum omnino idem eſſe cum liguſtico GMELINI T. XLV. quod LINNAEUS pro Cicutaria latifolia fœtida B. habet, mea enim in locis umbroſis & humidis collecta exemplaria illius iconi exacte reſpondent.

3) *Liguſticum Mutellina.* * Elench.

Liguſticum foliolis acute multifidis, caule ſubnudo.
Mutellina. CAM. *epit.* p. 8. *icon.* *Non placet, nec alius tamen meliorem habet.* I. B. RAI. Alior.
Daucus montanus. CLUS. *Hiſt.* II. p. 198. *deſcriptio.*
Meum alpinum umbella purpuraſcente. C. B. *pin.* HALL. *Opuſc.*
Seſeli caule vix ramoſo, umbella purpurea, pinnulis acute multifidis. HALL. *Helv.* 431.
Seſeli humile alpinum umbella purpuraſcente. MORIS. III. *cum ſimplici deſcriptione.*

In omnium alpium ſublimibus paſcuis CLUSIUS. In *Schneberg, Breyn, Etſcher* invenias.

Radix

Digitized by Google

Radix fuſca, corona ſetacea cincta, multa promit capitula, non ſemper florifera omnia.

Inter folia vaginantia ſurgit *caulis* longe nudus, unus frequenter, quandoque duo, rarius tres, aut plures, ſummitate etiam axillari umbella ſæpe donatus, cui adſtet vagina foliacea membranacea, roſeo in alpibus colore perfuſa, folium promens quaſi florale ex adverſo floris explicatum.

Folia tenuia pinnata ſunt pinnulis acute multifidis, folia Chærophylli dicit LINNAEUS, quæ non obſervo.

Involucrum *univerſale* nullum, aut unum alterumve foliolum, tenue, caducum; *particulare* dimidiatum fere, externe factum, foliolis quatuor quinque conſtans longitudine radiorum.

Petala læte aut pallide purpurea, æqualia, cordiformia, linea media eminente percurſa exigua. Notari meretur, quod inæqualiter cordiformia, etiam extimum inſigniter maius in alpibus helveticis viderit HALLERUS; tale ſpecimen nondum conſpexi, & antheræ flavo colore perfuſæ ſtaminibus exſtantibus purpuraſcentibus in noſtris cernuntur.

Umbella *univerſalis* radiis 8, 10, 12, *particularis* pluribus conflatur.

Fructus ex ovato-extenuatus.

Semen ſingulum quinque ſemi-alis percurſum, hoc recte delineavit Tabula ſeminum umbellarum generali Fig. F. F. MORISONUS.

4) *Liguſticum Meum* offic.
Liguſticum foliolis capillaribus.
Meum. MATTH. DODON. *purg.* 478. *optime.* RIVIN. T. 63. *bona.*
Daucus Meum. CLUS. *Hiſt.* II. p. 197. *cum icone.*
Meum foliis Anethi. C. BAUH. *pin.*
Athamanta foliolis capillaribus, feminibus glabris ſtriatis. L. *admodum male, cum nec glabra ſint, nec ſtriata ſemina.*

Nullibi frequentius, quam in *Durrenſtain.* CLUS. etiam in aliis alpium iugis idem & vere.

Radix fuſca corona capillacea cincta, cæterum parum fibroſa, intus candida, ſapore primo dulci, dein admodum aromatico.

Vaginæ radicales exiguæ ſolvuntur in petiolos anguloſos, anteriori facie compreſſos, in aciem verſos, inferne ex purpura coloratos, folioſi anteriori facie implantantur eodem modo facti.

Foliola tenuiſſima ſunt & in penicillos fere collecta fere rotunda.

Caulis

Caulis pedis unius, etiam unius cum dimidio altitudinis ſtriatus & leniter anguloſus eſt in ſummitate ramoſus.

Involucrum univerſale unum alterumve foliolum habet longum, quando in apice in lacinias ſolutum *particulare* conſtantius factum plurimis itidem longis.

Semina gentis nullo perianthio cincta, tubis in oppoſitum diſtantibus.

Obſervatio. Semina glabra ſtriata huic plantæ tribuit LINNAEUS, an unquam vidit? ſunt coſtis foliaceis ſatis elevatis prædita in noſtris alpibus, & pene alata in Helveticis vidit HALLERUS. Taceo totum Athamantæ genus LINNAEI non conhærere.

5) *Liguſticum Podagraria.*
Liguſticum foliis caulinis ſummis, ternatis, radice repente.
Podagragia. HALL. *Helv.* 427. RIV. T. 47.

In *Au-Garten* abunde, hinc inde etiam in locis udis ad ſepes, & in pomariis.

Radix repens. *Caulis* anguloſus. *Folia* lata, trifoliata. *Involucrum univerſale* nullum, nullum etiam *particulare*. *Petala* aliquantulum irregularia alba. *Fructus* craſſus, longus, coſtatus, omnino huius gentis.

6) *Liguſticum Phellandrium.*
Liguſticum aquaticum foliorum ramificationibus divaricatis.
Phellandrium. DOD. *pempt.* p. 580. *icon bona.*
Cicutaria paluſtris tenuifolia. C. BAUH. *pin.* 161. MORIS.
Cicutaria paluſtris. LOB. *icon.* 735. & *obſer.* 424. *ubi easdem icones plerumque repetit.*

In foſſis inundatis *Ebersdorff* frequens, etiam hinc inde in *Au* & *Laxenburg.*

Radix multis niveis fibris facta, caulem, cuius prima genicula radices effundant luto radicatas, emittit.

Caulis craſſus, fiſtuloſus, glaber, leniter ſtriatus, brachiatus admodum, & ramoſus, & diſtortus eſt.

Ramorum petioli primis geniculis complanati ſuprema parte plani, inferna rotundiores magis, & ſtriati viſuntur; primi floralium breviſſimi, ut fere ſeſſiles videantur.

Vaginæ

Digitized by Google

Vaginæ ſub pedunculis ortæ albæ membrana auctæ, caulem arcte amplectentes diſtorquent, ex his petioli nudi fiſtuloſi, non carinati, exorti ſuſtinent folia multiplici diviſione tenerrima, circumſcriptione ampla, angulis rectis poſita.

Umbellæ *univerſales* exiguæ involucro deſtitutæ cernuæ ſunt, & radios pedunculo umbellam ſuſtinente maiores fere habent; radii ſunt ſeptem, novem, plures inæqualis longitudinis. Umbellulæ *particulares* confertiores involucra habent lanceolata, linearia.

Petala exigua, unco reflexo cordiformia, patula, alba, non æqualia ſunt, & ſtamina ipſa exſerta viſuntur. Deciduis petalis piſtilli cornicula duo longe excreſcunt, quæ & in ſemine perſtent.

Fructus perianthio quinque dentato coronatus, oblongus, carneis coſtis quinque, non adeo eminentibus factus, glaber.

9. OENANTHE. Semen Tab. I. Nro. 13.

CHARACTER. Fructus ex cylindrico-anguloſus, perianthio coronatus. Flos irregularis.

1) *Oenanthe Pimpinelloides.*
Oenanthe foliis radicalibus ovatis inciſis, caulinis integris, linearibus, longiſſimis, ſimplicioribus. L.
Oenanthe Apii folio. C. B. *pin.*
Oenanthe aquatica pimpinellæ ſaxifragæ diviſura. PLUK. T. 49. F. 4.

In pratis rarius inveniri dicitur in Enumeratione. KRAMERUS non habet, nec veterum Auſtriacorum botanicorum forte ullus, cum ſolum aliquibus abhinc annis hinc inde ſata fuerit, inveni in lacu vineæ ſub Kaltenberg. 1762. ubi ſane paulo ante non erat conſpicua. Alienum civem non deſcribam; ſed ſolum moneo, ſemen in hac planta cylindrico-anguloſum, perianthio coronatum, & tubis perſtantibus longiſſimis, & aſperis dare definitionem genericam huius generis certiſſimam.

Certiorem inter auſtriacas ſtirpes locum habet alia eius ſpecies

2) *Oenanthe fiſtuloſa.*
Oenanthe ſtolonifera, foliis caulinis pinnatis teretibus fiſtuloſis.
Oenanthe aquatica ſerpens. CAM. *Epit.* 265.
Oenanthe. RIV. *pent.* 66.

In Stagno *Himber*.

In foſſis agrorum reſedes aquas alentibus ante *Himber* copioſe, abundantiſſime iterum in prato ſtagni eiusdem loci.

Radix cava fere exiguis fibris, licet copioſis, luto radicata.

Caulis erectus ramis divaricatis diffuſisque, inferioribus ſæpe longe repentibus & per intervalla folioſis. Is pedem unum & ultra altus ad radicem purpureus admodum nodoſus eſt & ramoſus, cavus & cum ramis & foliorum petiolis fiſtuloſus, tener leniter ſtriatus & totus glaber, aliquando etiam ſubglaucus eſt.

Folia ex longis caulem amplexantibus petiolis cavis fiſtuloſis aliqua longitudine apertis ſectis, dein clauſis ſubrotundis oriuntur, ita, ut in loco exortus communis petiolus coanguſtatus ſit a particularibus, quibus foliola linearia exigua pinnata innaſcantur: pinnis aliquando ſimplicibus plerumque trifidis, inſtar cornuum cervi ramoſis.

Umbellæ particulares ſolitariæ ſæpe primo florent, confertæ hæ & denſæ aliquando capitatæ.

Flores ex albis leniter rubent & admodum difformes ſunt: antheris flavis: ſtaminibus albis longe exſertis.

Umbellæ univerſalis radii quinque, octo, plures.

Involucrum univerſale polyphyllum, *particulare* monophyllum in quinque lacinias digitatas ſectum.

Semen gentis.

10. BUPLEURUM. Semen T. I. Nro. 14.

CHARACTER. Folia integra. Flores regulares exigui lutei. Semina profunde ſulcata lateribus compreſſis.

1) *Bupleurum rotundifolium.*
Bupleurum foliis ovatis perfoliatis.
Perfoliatum vulgatius flore luteo, folio umbilicato. LOB. icon. p. 396.
Perfoliata. RIVIN. T. 45. BLAKW. T. 95.
Perfoliata II. TABERN. p. 759.

Inter ſegetes hinc inde rarius.

Caulis tenuis, rotundus, rigidus,ligneſcens, non herbaceus.

Folia circumnata cava, glauca, nitida, glaberrima, venoſa, venis transparentibus.

Invo-

Digitized by Google

Involucrum univerſale nullum; *particulare* quatuor, quinque factum foliolis inæqualibus.

Umbella univerſalis 6, 7, pluribus compoſita radiis; *particularis* vix non ſeſſilibus floſculis.

Seminum cacumina lata ſunt, petalis introrſum circinnatis, in meis ſpeciminibus aurantiis.

Stamina 5 videre non potui, nec ſemen ſubrotundum, quod in definitione generica poſtulat LINNAEUS.

Semina ſunt ex violaceo-nigra.

2) *Bupleurum falcatum.*
Bupleurum foliis petiolatis falcato-ellipticis acutis. HALL. *Spec.* II.
Bupleurum. RIVIN. T. 45.

In aſcenſu *Kaltenberg* ad ſepes, in *Simmeringer* Walde, in *Incersdorffer* Walde, & alibi.

Caulis modo rectus, modo aliquantulum flexuoſus, præcipue maior, & in hortis cultus: omnis plus, minusve ramoſus, brachiatus, rigidulus, exſuccus.

Folia admodum variant, radicalia longe petiolata ex ellipſi vel in finem rotundiorem terminantur, vel etiam acutiori fine deſinunt falcata magis; caulina diverſis in plantis, & diverſis locis natis, diverſa conſpiciuntur, ſumma ſeſſilia ſunt, anguſta magis, & lanceolata: omnia nervoſa, rigidula.

Involucrum univerſale conſtantius 2-phyllum foliolis inæqualibus; *particulare* 5-phyllum ariſta terminatum.

Umbellulæ plurimæ exiguæ radiorum 5, 6, 7, aliquando etiam terminales bifidæ, aut trifidæ ſunt.

Petala exigua flava.

Semen gentis.

Obſervatio. LINNAEANI hoc Bupleurum modo *rigidum*, modo *falcatum* vocant, docet Enumeratio, & Elenchus ſtirpium Auſtriacarum, ego ex HALLERI & RIVINI figura determino, dum certum eſt, Linnæanas definitiones malas eſſe.

Digitized by Google

3) *Bupleurum tenuiſſimum.*

Bupleurum gramineo folio, umbellis & calyculis omnium minimis.
Bupleurum foliis linearibus acutis ſeſſilibus. L.
Bupleurum anguſtiſſimo folio. C. B.
Bupleurum III. minimum. COLUM. *ecphr.* I. p. 85. T. 247. *bona.*

Inter vallem *döblingenſem* & danubium KRAMERUS, ibi & ego collegi.

II. SESELI. Semen T. I. Nro. 15.

CHARACTER. Fructus ovatus, ut tamen in acumen abeat, quandoque ſtriatus in hac ſectione minutulus. Umbellulæ globoſæ. Involucella polyphylla. Foliola in tota gente tenuiter ſecta. Excipe Falcariam, cuius ſemen etiam in acum deſinat.

1) *Seſeli bienne* * Elench.

Seſeli caule recto admodum folioſo.
Seſeli petiolis rameis, membranaceis, ventricoſis emarginatis. L. *malum nomen, quod etiam aliis applicari poſſe plurimis, Cl.* HALLERUS *monſtravit.*
Fœniculum ſylveſtre annuum, tragoſelini odore, umbella alba. VAILL. *Paris.* T. 9. F. 4. *omni numeroſo fere abſoluta, & denſa umbella bene, ut & particulare involucrum & caulis ſtriatus & rami ramoſi & vaginæ & folia.*
Seſeli annuum. L? quia VAILLIANTIUM citat. *At mirum eſt, omnes iconem* Rivini *prætervidiſſe botanicos.*
Pimpinella tenuifolia RIV. T. 83. *certo & bene.*

In Pratis *Simmering*, *Grinzing*, *Schönbrun*, *Lantz*, aliis; in collibus apricis *Petersdorff*, ſylvoſis locis *Gatterholz*, *Simmeringer* Walde &c.

Radix capillata, fuſca napiformis, fibroſa, non alte in terram immerſa, ut caule tracta facile excutiatur.

Caulis ex hac radice conſtanter unicus, multum ramoſus, diverſæ altitudinis a Spithama ad tres pedes, ſubtiliter ſtriatus, ſæpe ex purpura coloratus, & leni pube obſitus.

Vaginæ radicales & caulinæ copioſæ, ſtriatæ, margine membranaceo colorato; petioli ſtriati canaliculati maculati.

Folia radicalia fere omnia ſaturate viridia, lente hiſpida & ciliata apparent, an bipinnata aut tripinnata dicenda ſint, alii viderint, hic bipinnata dicit, quæ alter tripinnata vocaret.

Rami

Rami ipſi ſæpe etiam ramoſi & proliferi, ut recte delineavit VAILLIANTIUS & ego in omnibus maioris ſtaturæ plantis conſtanter obſervo.

Involucrum univerſale plerumque nullum, aut foliolum hinc inde raro unicum; *particulare* confertum foliolis ad 15, 16 lanceolatis, membrana aut alba, aut purpuraſcente fimbriata auctis.

Umbella univerſalis conferta, denſa, convexa, 20 etiam 30 radiorum; *particularis* ſimilis.

Flos ante floreſcentiam rubens, florens ex albo ruber, etiam totus niveus locis ſylvoſis. Cacumina delapſis petalis modo profunde purpurea ſunt, modo albida. Semen

Obſervatio I. Annuum ſeſeli dixit LINNAEUS, an non forte bienne eſt. Et ramos ramoſos recte pinxit VAILLIANTIUS, quidquid enumerator contendat.

Obſervatio II. Pauci ſuſpicantur ſaxifragam pannonicam CLUSII eſſe hoc ſeſeli, coniectura admodum erronea; nec enim deſcriptio convenit, nec figura. Cæterum affinitatem multam habentes plantæ facile ſequentibus diſtinguuntur notis: *bienne* radice nigra napiformi caulem ſolum unum promit *articulatum* ſeu ſaxifraga pannonica CLUSII, radice flavicante plures, prius iterum caulem craſſiorem, rectiorem, & ramoſiorem habet, poſterius anguſtiores, deflexos, minus ramoſos, & magis glabros; *bienne* nec umbellam univerſalem ſeſeli, quæ rarior, diſtans ſit, habet, ut *articulatum* poſſidet; & omnino involucra diverſa ſunt; & differentiam non exiguam habent maiora in *bienni* & laxius ſeſe contingentia petala, exigua in *articulato*, & a radiis involucro pelviformi coactis denſius ſeſe ſtipantia, & arctius ad ſe invicem preſſa, ita demum putem, plantas has rite diſtinctas eſſe, ut confundi amplius non poſſint.

2) *Seſeli articulatum.* Icon. Tab. V. F. 1. 2.
Seſeli involucro pelviformi.
Hippomarathrum. KRAM. *Elench. alia ſynonima cum quadam certitudine vix addi poſſunt.*

In collibus apricis ſabuloſis rupeſtribus *Baden*, *Petersdorff*, etiam ad latus *Simmeringer* Walde & alibi.

Radix flavicans ramoſa multa promit capita, corona ſetacea tecta omnia.

 Caules

Caules plurimi, tenues, duri tamen iuncei, erecti, aut deflexi, in ſummitate plerumque brachiati, brachiis etiam aliquando ramoſis, ut in figura expreſſum; cæterum glauci ſunt vel purpuraſcentes, in utroque vero caſu nitidi.

Vaginæ rigidulæ caulinæ, margine membranaceæ membranis albidis aut purpureis, rarius folioſæ in terra ſterili & lapidoſa, in fertili magis, ut in figura expreſſum eſt.

Folia ſubglauca, non ut in *bienni* adeo profunde viridia & huius poſterioris plantæ foliis fere minora, bipinnata, foliolis pinnatifidis, rigidiuſculis, craſſiuſculis. Pedunculi ſaturate ſæpe purpurei, ut & radii & involucrum pelviforme, & ipſe clauſus flos.

Involucrum univerſale nullum, aut unum hinc inde foliolum; *particulare* pelviforme, margine fimbriato membranaceo radios florales complectens.

Umbella univerſalis inæqualis radiis facta aut novem aut paucioribus pluribus; *particularis* conſertior, denſior.

Petala alba unco inflexo-cordata.

Stamina albida cum antheris eiusdem coloris & tubis minimis.

Fructus depreſſo involucro pelviformi denſe congeſtus, ovatus, decem iugis percurſus.

Obſervatio I. CLUSII Figura exacta eſt & ſolum deeſt involucrum pelviforme. Umbella ſemine matureſcente ſemper contrahitur, & radii florales incraſſantur, ut etiam pelviforme involucrum detrudatur.

Obſervatio II. Umbellæ ſemina conficienti ſæpe involucrum univerſale monophyllum laciniatum, ut nunc in quibusdam plantis obſervo, ſuccreſcit.

Obſervatio III. In foliolis plantæ ſolo arido (quod verum natale eſt) creſcentis manifeſtior differentia eſt; foliola petiolis, ex quibus oriuntur articulatis, etiam articulantur, ut hoc cognomen *articulati* in cognitionem plantæ clarius deducat, quam illud Hyppomarathri.

Obſervatio IV. Duplex curavi delineari exemplar huius plantæ & lætiori ſolo & aridiori creſcentis minutiſſimorum foliorum & caulis vaginis non folioſis A eſt plantæ aridioris & montanæ, aliud vero B lætioris & pinguioris ſoli.

s) *Seſeli*

3) *Seſeli oſſeum.* * Elench.
Seſeli caule alto ramoſo patente, geniculis oſſeis, ramis & ſemine ſtriis argenteis.
An Seſeli glaucum. LINNAEI?

In monte Thermis *Badenſibus* imminent copioſe, & alibi in montanis aſperis non infrequens.

Obſervatio. Plantam hanc ſeſeli oſſeum dico primo, quod genicula ſubtumida oſſeæ duritiei gerat, ſecundo, quod nomina diverſa ei ab Auſtriacis ſcriptoribus & aliis botanicis concedantur, equidem in enumeratione dicitur ſeſeli *glaucum petiolis ramiſeris, membranaceis, oblongis, integris, foliolis ſingularibus binatisque*, canaliculatis levibus petiolo *longioribus*. Licet flores ante explicationem nunquam viderim purpuraſcentes, nec purpuraſcentes in explicatis antheras. Alii vero hanc eandem plantam Seſeli tortuoſum, caule alto rigido, foliolis linearibus faſciculatis vocant, quia & caulem altum rigidum & foliola linearia quaſi faſciculata habet. Sed ipſi viderint; ego meam plantam deſcribam.

Biennis plantæ radix ſummo capite comata eſt, ipſa albida aut ochroleuca admodum, brachiata ramoſa, intus candidiſſima, ſaporis aromatici amari non grati. Exſurgit caulis unicus multum brachiatus & ramoſus rigidus, ut quaſi ligneus ſit, alba medulla farctus. Cutis glauco colore obducta, quo deterſo pulchre picta viſitur, in infimo caule lineis ſanguineis virides intercurſantibus in medio, ut & ramis ſæpe iisdem, frequentius tamen argenteis viridibus intermixtis; cæterum Caulis levis eſt, humanæ plerumque altitudinis, geniculis, quæ vaginæ longæ arcte ampleCtuntur, tumidis, albidis, præ duritie oſſeis. In diverſa plantæ ætate vaginæ petioli ramiferi folia ipſa variare ſolent; nam in primi anni planta vagina radicalis alba membrana aucta ſtatim in petiolum rotundum ſolvitur ad omnes aut petiolorum aut foliorum inſertiones coſta fracta, quaſi calloſa, pellucida materie turget & folia obliqua magis elliptica & ſparſa, in ſecundi anni planta florente vero vaginæ radicales latæ non adeo longæ in petiolos ramiferos ſolvuntur, non amplius rotundos, ſed anguloſos aut lato canaliculo ad primum articulum cavos, non membranaceos, ſed duros ligneos, nec adeo membranis tectos, ut definitio glauci commode verificari poſſit, ſed bene albis lineis argenteis ſplen-

Digitized by Google

ſplendentes. Tum foliola minora ſunt, magis canaliculata rigidiora & lente viſâ hirſutula, ſingularia binata, ternata. Vaginæ rameæ ſæpe non folioſæ, ut recte in ſeſeli *maſſilienſi* nonnullorum pinxit CAMMERARIUS in *Epitome* & C. B. in *Commentariis*. Involucrum *univerſale* nullum; *particulare* conſertum radiatum radiis floralibus minus. Umbella *univerſalis* rarior inæqualibus radiis 7, 9, plurium, placenta radiorum diſtantium oſſea; *particularis* denſior hemiſphærica petalis albis patentibus unco intus recurvo compreſſo cordatis, manifeſte æqualibus ſtaminibus, & antheris exſtantibus albis; ſemen gentis ovatum, coſtis membranaceis 5 fere argenteis cinctum, ſulcis inter coſtas fuſcis.

4) *Seſeli elatum.*
Seſeli caule elongato geniculis calloſis foliis duplicato-pinnatis: pinnis lanceolatis linearibus diſtantibus. L.
Daucus montanus folio fœniculi longiore. MAGN. *Monſp.*
Apium montanum folio tenuiore. C. B.

In Auſtria creſcere dicit LINNAEUS, nondum vidimus.

5) *Seſeli Saxifragum.*
Seſeli caule filiformi divaricato foliis duplicato-ternatis, linearibus umbellis ſubſexfidis. LINN.
Pimpinella ſaxifraga tenuifolia. C. B. *prodr.*
Pimpinella tenuifolia. RIVIN. *pent.*

Circa *Fiſchamentam* rarius invenit KRAMER. Enumeratio non habet, nec ego vidi, vix credo diſtinctum eſſe ab *articulato* ex LINNAEI definitione: & ex Synonimis a *bienni*; Pimpinella enim tenuifolia RIVIN. certo eſt noſtra biennis.

6) *Seſeli Falcaria?*
Seſeli foliis ſerratis decurrentibus connatis.
Eryngium arvenſe foliis ſerratis. C. BAVH. *pin.* 386.
Ammi perenne repens. MORIS. III. S. 9. T. 8. F. 1.
Falcaria. RIVIN. T. 48.

In Aſcenſu *Kaltenberg*, in vallo ſuburbico, & alibi.
Caulis glaber, diffuſus, brachiatus.
Folia elliptico-lanceolata, argute ſerrata, nervo folioſo.
Involucrum univerſale factum foliolis pluribus tenuibus; *particulare* ſimile.

Umbella

Umbella *univerſalis* radiis longis; *particularis* tenuis non conferta.
Petala alba.
Fructus oblongus, ſtriatus.

7) *Seſeli pratenſe.* * Elench. Icon. T. VI. F. 1.
Seſeli pinnis pinnatifidis planis ovato-lanceolatis.
Seſeli foliorum ramulis arcuatis, petiolo ad angulos rectos inſertis: foliolis planis, integris, trifidisque.
Seſeli pratenſe. RIV. T. 59.

Prope *Lantz*, *Eberſdorff*, in prato ſupra *Grünzing*.

Radix unica profunde defixa, ſæpe bicapitata, capillata.

Ex ſummo capite exſurgit Caulis unus vel plures cubitum & ultra altus, qui ex omnibus geniculis fere ramoſus fit, ramis quandoque etiam ramoſis; cæterum notabiliter ſtriatus obſolete anguloſus eſt, viridis totus, dum prima articulatione frequentiſſime purpureus viſitur.

Vaginæ radicales ſtriis alias purpureis, alias viridibus, etiam quandoque albis coloratæ, aut notabili membrana auctæ, in petiolos cardinales longos, rotundo-compreſſos, canaliculatos purpura tinctos ſæpe, ſolvuntur, quibus foliorum alæ exactius ramuli ſecundariis ſuis inſiſtant petiolis ad angulum fere rectum in priorum facie inſertis, & in loco inſertionis coſta quaſi confracta calloſis, ſeu gelatinoſa materie exalbidis.

Rami ex trunco orti in loco exortus compreſſi, quaſi complanati ſunt, etiam colorati & ſtriis percurſi ſanguineis.

Vaginæ caulinæ caulem arcte amplectuntur, & membrana colorata, quæ ſæpe petiolorum initia inveſtiat augentur: raro reflexæ & a ramis depreſſæ dependent; cæterum petiolos largiuntur acutiſſime ſtriatos, attactu magis, quam caulis ſit, aſpere multangulos.

Folia in icone videri poſſunt, quæ exactius depinguntur, quam deſcribantur; ſunt vero hæc nitida pulchre venoſa, vel integra, vel bifida, vel trifida, ſpina exigua exalbida inermi terminata; naturalis magnitudinis hic dedi depicta.

Involucrum umbellæ caulinæ *univerſale* aut nullum, aut unum alterumve foliolum: in axillaribus enim quandoque plura, quandoque nullum inveni; *particulare* multifolium 8, 9, 10 factum foliolis longitudine radiorum, raro furcatis.

Digitized by Google

Umbella univerſalis inæqualis, radiis externis internis multo longioribus, nec his æqualibus; *particularis* iisdem, ſed denſioribus & convexiuſcula, petalis ante floreſcentiam herbaceis, floreſcentibus exalbidis, patentibus, non cordatis, ſed longo reflexo cornu & eminente aggere, ut quaſi biutricularia videantur excavatis.

Seminum cacumina ex viridi flavicant; divergentes tubæ albent; ipſa ſemina ſeſeli ſunt, dorſo gibbera, coniunctionis loco non plana, ſed concava, quinque coſtis dorſo percurſa, marginalibus quidem aliquantulum magis conſpicuis, non tamen alatis ſelini.

Obſervatio. Non dubitavi, huc revocare ſeſeli pratenſe RIVINI T. 59. quod nonnulli Peucedano ſilao convenire autumant, ut etiam hoc illi in ſynonimum adſcribant; cum vero illud ipſum pratenſe RIVINI ſeſeli, minime habeat ſemen plus minusve planum margine membranaceo cinctum, ſed manifeſte gibbum, ut in umbellatarum ſtirpium generali ſchemate teſtatur auctor, potius huc revocandum eſſe putavi. Equidem ſeſeli ſui pratenſis ſemen minime ad compreſſa plana Peucedani reduxit RIVINUS, ſed ad longa profundius ſulcata ſeſeli; nec *ſiler alterum pratenſe* DODONAEI, cuius figura ab HALLERO laudatur, quodque ſub Peucedano *ſilao* a LINNAEO notatur, ſemen Peucedani habere, in DODONAEO invenio, nec in ipſo MORISONO, qui quamvis ſeminis iconem ſubminiſtret, marginem foliaceum non habet, nec in icone, nec explicatione.

12. CORIANDRUM. Semen Tab. I. Nro. 16. 17.

CHARACTER. Fructus vel perfecte globoſus, vel loco commiſſuræ compreſſus. Flores albi. Folia tenuiter ſecta, excepta ultima ſpecie.

FLORIBUS RADIATIS.

1) *Coriandrum ſativum.*
Coriandrum fructibus globoſis, calyce inſtructis.
Coriandrum maius. C. BAUH. *pin.* 158. MORIS. III. Sect. 9. T. 11. F. 1.
Coriandrum. CAM. *epit. icon.* 523. *bona.*

Dicitur creſcere in cultis, & agris.

2) *Cori-*

2) *Coriandrum teſticulatum.*
Coriandrum fructibus didymis. L.
Coriandrum minus teſticulatum. C. BAUH. *pin.* 158. PLUK. *alm.* 120. T. 169. F. 2. MORIS. III. Sect. 9. T. 11. F. 2.

Dicitur creſcere in arvis rarius, & tum demum putem id ipſum evenire, dum a botanico ſeritur; non ſunt enim patriæ hæ plantæ.

3) *Coriandrum Cynapium.*
Coriandrum caule diſtorto, involucellis dimidiatis pendulis.
Cicuta minor. CORDI.
Cicuta minor petroſellino ſimilis. C. BAUH. *pin.* 160.
Cynapium. RIVIN. T. 76. *Umbella cum involucellorum dependente barba, etiam inæqualibus petalis*, bene.

In vallo *Döblingenſi*, in prato *Murobacenſi*, etiam in *Tabor*, in *Hernalſ* ad aquas.

Radix alba parum fibroſa.

Caulis violaceo-nigri coloris maxime infimis geniculis, licet & alia hoc perfundantur; cæterum rotundus, ſtriatus, diſtortus, etiam ramoſus eſt.

Vaginæ alba membrana auctæ, quæ cornicula, aut auriculas ſupra petiolos ternatos, canaliculatosque efficiat, abeunt in folia ſuperna parte triſte, inferna lætius viridia, ambitu tenuiter ſecta.

Pedunculi non longi ſunt.

Involucrum univerſale nullum; *particulare* dimidiatum externum foliolis longis dependentibus.

Umbella univerſalis irregularis, ſic & *particularis* eſt.

Flores difformes petalis inæqualiter bifidis, tubis reflexis.

Semen ſubgloboſum, coſtato-ſulcatum, lateribus non compreſſis, ſed exſtantibus, ut, qua committuntur facie, planum deprehendatur.

FLORIBUS AEQUALIBUS.

4) *Coriandrum Cicuta* offic.
Coriandrum caule maculato-fœtidum.
Cicuta. STOERCKII *icon elegans.*
Cicutaria maior vulgaris. CLUS. II. p. 200.

Creſcit plurimis Auſtriæ locis, tam ſiccis, quam humidis; in margine vinearum infra *Kaltenberg* abunde, ſupra *Grünzing*, *Ebersdorff*.

Radix alba, ramoſa.

Caulis infernis geniculis ſanguine perfuſus, aliis glaucus, & litturis ſanguineis maculatus, rotundus, lineatus, rarius ſtriatus, rectus, fiſtuloſus, ſuperna parte multum ramoſus, altus.

Vaginæ membrana alba, quæ etiam in ſummis ramis auriculata ſit, auctæ, radicales petiolum dant ſtatim folioſum, floralium vero pedunculorum in ternatos petiolos ſolvuntur canaliculatos, dum inferiores rotundi magis, non canaliculati viſuntur.

Foliola ampla circumſcriptione argute ſecta, petiolis ad genicula fractis dependentia, colore ſanguineo quandoque perfuſa.

Involucrum univerſale polyphyllum lanceolatim reflexum; *partiale* conſimile, ſed potius patens, aut ſuberectum.

Umbella univerſalis irregularis patens; *particularis* ſimilis.

Petala alba irregulariter cordiformia, unco reflexo.

Semina gibba, coſtato-ſulcata, lateribus compreſſa, quandoque granulata.

5) *Coriandrum latifolium.*

Coriandrum caule argute angulato, foliis latis pinnatis ſerratis.

Sium. RIVIN. T. 78. *optima.* *Semen omnino bene.* DODON. *Pempt.* 589. *icon bona.*

Sium latifolium. C. BAUH *pin.*

Sium foliis pinnatis, umbellis terminalibus. LIN. *ſed ſemen non habet ſubovatum.*

β. Sium ſ. Apium paluſtre foliis oblongis. C. BAUH. *pin.* 154. *non vero ſynonima, quæ admodum confuſa ſunt.*

In inundatis *Ebersdorff* frequens. β. vero in paludoſis *Nusdorff.*

Radix in fibras albas plurimas ſoluta caulem plerumque erigit unum fiſtuloſum, inſigniter coſtis angulorum exſtantibus anguloſum, tamen nitidum, erectum.

Vaginæ lata membrana albida cinctæ, auriculatæ, longos fundunt petiolos, argute ſtriatos, fiſtuloſos pariter, tenui aut nulla carina præditos, quibus folia anteriori facie inſideant, pinnata, ſerrata ſerris denticulatis, herbacea elliptica; primitiva tamen foliola ab his diſtinctiſſima ſunt, tenuiter diſſecta, pluribus coniugationibus pinnatifida, fere ut Phellandrii *aquatici.*

Caulis

Caulis etſi generaliter rectus, tamen ad genicula aliquantulum intorquetur, geniculis omnibus floridis, ſæpe etiam ramorum ramis.

Involucrum univerſale laciniis longis conſtat, & reflexis, ut recte RIVINUS habet, quinque vidi cum folio florali ternato, ut illi *fiſari* LINNAEI conveniret definitio *foliis pinnatis floralibus ternatis ; particulare* conſtat pluribus patulis, exterioribus in nondum florentibus maioribus, in florentibus reflexis.

Umbella univerſalis ampla in meis hemiſphærica; *particularis* ſimilis.

Petala nivea, cordi-formia, æqualia, ſtaminibus declinatis brevi deciduis.

Fructus omnino globoſus, ut Coriandri Cicutæ *offic.* lateribus compreſſus, & coſtato-ſulcatus.

Obſervatio I. Cum plurimorum conſenſu minime ſibi ſia LINNAEI cohæreant, hanc plantam viſum eſt priori iungere, nec alio ratione ſeminis ſpectare poteſt.

Obſervatio II. Sium, ſeu Apium paluſtre foliis oblongis, quod LINNAEI auctoritate, non in integrum tamen conſentiente HALLERO varietatem præcedentis feci, a noſtris floriſtis omiſſum eſt, folia habet pinnata, anguſtiora longe præcedenti, nec unquam auriculata. Petala ex albo-rubentia ſunt. Umbellæ ſummos ramos terminant. Fructum non vidi. Sed ſi priori non ſimilis ſit, ad Apium ſpectare evidens eſt.

13. APIUM. Semen variet. No. 18.

CHARACTER. Semina minutula omnia, excepto primo. Fructus plus minusve ovalis, ventricoſus baſi, apice anguſtus, quaſi cordis forma. Diſtinguitur a ſeſeli, quod fructus in ſeſeli ſit magis ex ovato-oblongus, & longior, quam latior, nec ullam cum cordis figura ſimilitudinem habeat.

INVOLUCRO DESTITUTA.

1) ***Apium pumilum.* * *Elench.***
Apium umbellulis paniculatum, foliolis linearibus peucedani.
Selinum montanum pumilum. CLUS. II. p. 200. *icon commoda.*
Saxifraga montana minor foliis peucedani. MORIS. III. *cum icone Cluſiana.*

Daucus montanus multiſido folio, ſelini ſemine. C. B. *pin.* 150. *malum nomen.*
Selinum montanum pumilum Cluſii, foliis fœniculi, aut peucedani, flore albo, ſemine ſelini. *Adhuc peius; & certum eſt, nec flores, nec ſemen hos viros unquam vidiſſe; tamen etiam albos enumeratio facit, ſed male.*
Fœniculum minimum patulum. TOURN. *bonum nomen.* SEGUIERI *deſcriptio itidem bona.*

Dicitur creſcere in pratenſibus in Enumeratione Stirpium Auſtriac. Sed ſunt prata montana, declivia, ſunt ſicca, & humida diverſimode per Auſtriam diffuſa, nec planta adeo obvia eſt, ut in pratenſibus ſtatim inveniatur, inveni in monte *Mödlingenſi*, & *Badenſi*.

Radix napus niger eſt, fibris nigris ſatis longis præditus, radicis capillaceum caput, & vaginis rubentibus præditum: ſi enim non male obſervavi, annua planta eſt.

Caulis inſigni ratione anguloſus, angulis adhuc ſtriatis, ramoſus ramis ramoſis, ut totus paniculatus videatur & diſtortus, vix unquam ſpithama altior, & frequenter coloratus deprehenditur.

Vaginæ caulinæ, & rameæ membranis albidis auctæ ſtriatæ ſunt, multum ventricoſæ, ex purpura coloratæ ſæpe, triangulæ.

Folia ſunt peucedani, ſed minora longe.

Involucrum nullum.

Umbellæ parvæ, caule & ramis cruciatim diffuſis denſæ, petalis nunquam albis, licet enumeratio aſſerat, ſed parvis herbaceo flavis, etiam ex purpura ochroleucis.

Semen in initio viride aut pallens ultimo nigreſcit, in hac gente craſſiſſimum, hoc peculiare habet, quod coſtas gerat craſſas, carneas, non ut aliarum umbelliferarum ſemina ſolent, foliaceas.

2) *Apium Tragoſelinum.*
Apium floribus ſubradiatis, foliis pinnatis, forma variabili.
Pimpinella foliis pinnatis: foliolis radicalibus ſubrotundis; ſummis linearibus. L. at certum eſt, hirciniam hac definitione nunquam divinari poſſe.
β. Pimpinella ſaxifraga maior altera. C. BAUHIN. *pin.* 159.
γ. Pimpinella ſaxifraga maior umbella candida. C. BAUH. *pin.*
δ. Pimpinella ſaxifraga maior umbella rubente. *Ibidem.*
ε. Pimpinella ſaxifraga tenuifolia, *Ibidem, de his omnibus icones* RIVINI *conſuli poſſunt*, T. 80. 81. 82. 83. *Notari vero meretur, ſub nomine Pimpinellæ minoris tenuifoliæ exhuibiſſe* Seſeli *bienne.*

Priores in *Gatterholze*, poſteriorem in ſubalpinis apricis inveni.

Radix

Radix brachiata aeri ingrato hirci ſapore.
Caulis anguloſus.
Flos irregularis immaturus, ſplendens, cordis forma.

INVOLUCRO INSTRUCTA.

3) *Apium graveolens.* * Enum.
Apium foliolis caulinis cuneiformibus, umbellis ſeſſilibus.
Apium paluſtre, ſeu Apium officinarum. C. BAUH. *pin.* 154.
β. Apium dulce Celeri Italorum.

In *Tabor*, & ſcrobibus inſularum danubialium KRAMER.

4) *Apium Petroſelinum.* officin.
Apium foliolis caulinis linearibus, involucellis minutis. L.
Apium hortenſe Petroſelinum vulgo. C BAUH. *pin.* 153.
Apium hortenſe. DODON. *pempt.* 694.

In hortis oleraceis.

Involucrum univerſale quandoque pinnatum eſt, aliis foliolis ſimplicibus; *particulare* quaſi monophyllum in plures lacinias ſectum.

Petala ex olivaceo colore flaveſcunt,

Fructus in initio viridis, ſplendens, cordisformis, in conjunctione ſectus, non multa Apii graveolentis ſimilitudine; quod fructum admodum ſtriatum habeat.

Obſervatio. Non recte ſedent in ſectione tertia LINNAEI, quæ utroque involucro careant Apia.

5) *Apium Sium.* RIVINI * *Enum.*
Apium foliis pinnatis, inferioribus ſimplicibus, ſuperioribus ſemi-trilobis: omnibus ſerratis, ex HALL.
Sium minus. RIVIN. T. 79 *optima, alia ſynonima ob incertitudinem non addo, præter*
Sium II. HALL. *Helv.* 435.

In aquis ſtagnantibus *Neuſtadt* frequens, nec infrequens in ſubalpinis *Breyn*, & humidis locis ad rivulos.

Radix vix certa in aquis ſtagnantibus Neuſtadt, ſed primus caulis geniculus tribus, quatuorve ſit radicibus albidis cavis fibroſis: ſequentem circumſtat longum fibrarum capillitium, quo luto ſeſe planta immergat, & radicet Phellandrii aquatici more. Proſtrata cæterum non erecta planta totum quandoque caulem in radicem concedit; vidi enim etiam

Digitized by Google

etiam in ſexto caulis geniculo, ubi iam ramoſus fieret caulis, fibras, quibus luto radicaretur, erumpere.

Caulis rotundus glaber fiſtuloſus, admodum ramoſus eſt, contritus odoris multi.

Ex brevibus vaginis membrana albida exſtante emarginata auctis, etiam totum caulem in loco complexus anguſtantibus, ex purpura coloratis, longi emergunt petioli, qui folia pinnata portent ſeſſilia, elliptica, profunde ſecta, ut etiam laciniata videantur, impari ſemper, ſemi quandoque, etiam integre trifido; eſt enim magna in his foliolis varietas obſervanda. rami ipſi ſæpe admodum ramoſi, ramulis etiam ramoſis, hac lege, ut in ſupremis umbellulæ naſcantur folio oppoſitæ, dum aliæ ſubiecta folia habent. Cæterum pedunculi ad genicula emergentes umbellas ſuſtinent axillares, quæ ſeſſiles dici non poſſint, cum in meis ſpecíminibus pedunculi etiam longiores ſint.

Involucrum univerſale ſeptem, etiam paucioribus factum foliolis latis inæqualibus, quorum nonnulla dentibus pinnatis, alia veris pinnis inciſa ſint, aliqua etiam manifeſtius trifida deprehendantur, reflexum eſt, & ad pedunculum ſeſe decuſſat; *particulare* ſimile paucioribus tamen conſtans foliolis & uno alterove plerumque maiori.

Umbella univerſalis expanſa, planiuſcula, radiis extimis longioribus horizonti parallelis, mediis media aliorum longitudine ſuberectis, in univerſum 10. 13. &c. Umbella *particularis* expanſa convexior.

Petala nivea, cordiformia, reflexa, patentia.

Fructus nitidus, tragoſelini, cordiformis. Vidi tubas diſtantes perſtare.

Obſervatio. Auſtriacarum ſtirpium Enumeratores hanc plantam in integrum omiſere; an ſium LINNAEI pro Apio eiusdem ſumpſere? verum enim vero ſi ad characterem genericum confugio, quæſita prius, in qua ſedere poſſit, ſectione: plantam noſtram utroque involucro, ut deſcripſi, gaudere obſervo; quare Sium potius pronunciabo, quam Apium, dum etiam reliquum characterem Sii potius, quam Apii ſuſtineat. Character Sii in fructu ſubovato ſtriato, involucro polyphyllo, petalis cordatis vertitur, Apii vero in fructu ovato ſtriato, involucro monophyllo, petalis inflexis fundatur. Nunc noſtræ plantæ fructus nec ſubovatus eſt, nec ovatus, involucrum illi eſt polyphyllum, Siorum aliorum

Digitized by Google

rum in morem reflexum, quod Apio ſolum monophyllum ſit; petala cordata ſunt, non inflexa, quæ Apium exigit; ergo & nunc potius Sium LINNAEI eſt, quam Apium eiusdem. Id demum certiſſimum eſt, eam, quam deſcribo, plantam RIVINI Sium minus eſſe, cuius icon proſtet in RIVINI *pentapet.* mihi tabula 79, Iconem laudo quoad folia, utriusque involucri reflexi lacinias, radios, petala, deflexas etiam in ſeminibus tubas; ſemen non admodum probo, ſed quis ad minutula hæcce ſemper adeo attendere poteſt? Fructus in initio glaber, ſplendens, cordis aliqua forma, maturus ſtriatur, recte, ut in Petroſellino *officinarum*, & Tragoſelino.

Quodſi nunc quæratur, quale Sium LINNAEI, Sium minus RIVINI eſſe poſſit, iam determinavit HALLERUS *nodiflorum* eſſe; & nunc non ſine fundamento dubitare incipio, an Sium *nodiflorum* ab Apio *paluſtri* diſtinctum ſit ratione definitionis ſpecificæ; de generibus enim liceat dubitare, donec a LINNAEO melius definita ſint. Apii *graveolentis* cognitio eſt in *foliis caulinis cuneiformibus, umbellis ſeſſilibus; nodiflori* vero Sii in *foliis pinnatis, umbellis axillaribus ſeſſilibus;* & Apii *paluſtris* icon in CAMERARII *epitome* optima pronunciata HALLERO Sii *nodiflori* definitionem omnino ſuſtinet, dum folia pinnata, umbellas axillares ſeſſiles commonſtrat, & iam monuit dudum HALLERUS in Sio *nodifloro* pedunculos modo maiores, modo breviores eſſe.

6) *Apium Ammi.*
Apium involucris pinnatifidis laciniis foliorum, caulis foliis lanceolatis.
Apium involucris pinnatifidis, floribus radiatis.
Ammi maius. C. B. *pin.* 159.
Ammi vulgare. DODON. *pempt.* 415. *de purgant.* icon. p. 477.

In arvis requietis *Hernals*, & aliis hinc inde rarius.

Folia inferiora caulina ex petiolo terna, lanceolato-ovata ſunt, aut lanceolata ſolum, ad medietatem, etiam ultra ſerrata, dentibus acutis & longis; ſuperiora tenuiora magis ſecta, laciniis ellipticis, aut incurvis.

Involucrum univerſale pinnatifidum, iuvenili umbellæ intermixtum, matura umbella patens; *particulare* itidem patens fere longitudine radiorum.

Umbella univerſalis inæqualis; *particularis* conferta.

Petala nivea profunde ſecta, ſegmentis etiam ſeſe decuſſantibus radiata.

Fructus minutulus primo ſplendens priorum.

7) *Apium Carvi* offic.
Apium pinnis coniugatis, pinnis circa coſtam ſeſe decuſſantibus.
Carum. Omnium *fere.* CAMMER. *epit.* icon. p. 516. *bene.*

In omnibus pratis ſubalpinis, etiam in *Draskirchenſibus*, & aliis humidioribus.

Biennis plantæ Radix ex albo-flavicans nuda.

Caulis ramoſus admodum.

Folia ad coſtam ſeſe decuſſantia.

Involucrum utrimque nullum, *univerſale* tamen hinc inde uno alterove factum foliolo.

Umbella univerſalis inæqualis radiis exterioribus longioribus; *particularis* ſimilis plana.

Petala inflexo-cordata æqualia.

Fructus ovatus, ſtriatus, ſtriis membranaceis albidis ſulcis fuſcis, vere ſeſeli præcedentis oſſei, dum maturus eſt, immaturus enim grandior & coloratus.

II. SEMINE TECTO.

Membrana plicata.

14. ASTRANTIA. Semen Tab. I. Nro. 19.

CHARACTER. Involucrum partiale coloratum umbella maius; flores abortientes; Semen quinque coſtis percurſum membranaceis plicatis.

1) *Aſtrantia maior.*
Aſtrantia foliis quinquelobis, lobis trifidis.
Aſtrantia ſ. Imperatoria nigra. MORIS. I. *Umbellif.* T. 4. F. 4.

Ad aquas *Dornbach*, in margine ſylvæ huius pagi, etiam in ſubalpinis non infrequens.

Caulis ſæpius ramoſus, aliquando minus, ſtriatus, glaber, rectus, umbellas ex ultimo folio caulino involucrante plures promit.

Umbella

Umbella univerſalis radio uno, duobus, tribus axillaribus facta; *partialis* numeroſiſſimis. Radii umbellæ *univerſalis* craſſi ſatis firmi; *particularis* filiformes colorati purpurei.

Involucrum univerſale foliis caulinis involucrantibus confectum; *partiale* foliolis particularibus lanceolatis albidis, externe roſeo colore perfuſis cum apice viridi ſecto, baſi margine purpurea, cæterum confertis venoſis.

Perianthium proprium quinque factum foliolis erectis, concavis ex ovato-acutis, coloratis.

Petala albida erecta inflexo-aurita.

Stamina corollula longe maiora.

Fructus oblongus gibbus membrana lanuginoſa tectus.

Lanugine aut villo.

15. LIBANOTIS. Semen Tab. I. Nro. 20.

CHARACTER Fructus villo aut lanugine tectus. Involucrum ordinario utrumque. Flores regulares. Nota: villum facile detergi.

1) *Libanotis Daucus creticus* offic. * Elench.
Libanotis rotundi caulis.

I. Libanotis argute & breviter multifidis caule ſubnudo rotundo.
Daucus creticus. CAM. *epit.* icon. 536.
Daucus creticus ſemine hirſuto. I. BAUHINI III. p. 55.
Daucus II. Dioſcoridis. C. B. in Matth. *cum eadem icone.*

II. Libanotis foliis multifidis longis, caule folioſo & ramoſo.
Myrrhis annua ſemine villoſo breviore. MORIS. III. S. 9. T. 10. *imaginaria icone.*
Daucus cretenſis verus LOB. icon p. 722. *vere plantæ littoralis, ſed ſine involucris pinxit, & radicem habet mihi non obſervatam.*
Daucus foliis fœniculi tenuiſſimis. C. B. *pin.* 150. &
Daucus alpinus multifido longoque folio, ſive montanus umbella candida. EIUSDEM. *Cum bona nota variantium in poſteriori foliorum, quanquam tamen ob eadem folia ipſe* C. BAUHINUS *inter priorem & hunc diſtinctionem velit, & duas plantas diſtinctas faciat, quas etiam* LINNAEUS *habet ſub* Athamantæ *Cretenſis & Annuæ nomine.*
Athamanta foliis capillaribus ſeminibus hirſutis L. *de qua cum dubitat* HALLERUS *an noſtra planta ſit? reſpondeo, eſſe, licet* LINNAEUS *non optime nomine utatur, ut noſtrarum regionum plantam deſignet.*

Athamanta foliis linearibus planis hirſutis, petalis bipartitis, feminibus oblongis hirſutis L. *nec hæc definitio melior eſt, aut verior, & prima quidem ſigna difficulter intelliguntur, hirſuties plurimis deeſt, & petala bipartita non vidi in noſtris.*

In *Durrenſtein* frequens CLUSIUS, *Etſcherus* tamen illo magis abundat IDEM. In *Etſchero*, *Schneberg*, & in aliis alpibus promontorio *Breynalpen*, ipſa alpe *Breynina* & in ſummo dorſo *Grün-Schacher alpen* inveni.

Radix longa fuſca, conica, multis vix fibris aucta, caput habens folioſum, præcedentium annorum emarcidis vaginis cinctum, caulem edit unum, alterumve, plurimis cœptum vaginis longe folioſis, membranaceis, violaceo colore perfuſis, inde multum diviſus diffunditur, tum ſæpe longe nudus eſt.

Caulis ſpithamam vel aliquantulum magis altus hirſutus, ſtriatus, ex nigra purpura frequenter coloratus.

Involucrum univerſale varians, aliquot ſæpe factum foliolis, particulare conſtans ſuberectis, hirſutis, minimis.

Umbella univerſalis nuda 6, 7, facta radiis, lanuginoſis raro pluribus; *particulare* itidem lanuginoſis, ſed plurimis.

Petala alba, aut leviter colorata, dorſo parum piloſa, cordiformia medio margine inflexo lateribus ſinuatis.

Cacumina herbacea ſunt.

Fructus alba lanugine obſitus, gibbus, villis eminentibus ſtriatus quaſi.

Obſervatio I. Non parvam difficultatem hæc planta habet, & in radice, foliis, caule. Quod radicem ea prælonga, altiſſime defixa, modo plurima edere capita tenuia, a radice elongata, modo ſolum unum ſolet in noſtris alpibus, nec figuræ LOBELII unquam convenit, ſi caulem umbelliferum gerat, ut illa LOBELII gerit planta. Folia in noſtris regionibus hanc varietatem patiuntur, quod vel glabra vel hirſuta ſint, cæterum tenuiſſime ſecta lacinulis non adeo longis, ut italica habent exemplaria, quibus mea confero. Caulis apud nos hirſutus eſt, quem glabrum omnino in italicis ſpeciminibus video, eſt & noſter raro folioſus aut ramoſus, quod italico familiare & altior in italicis caulis, noſtris humilior.

Obſer-

Digitized by Google

Obſervatio II. Petala bipartita, qualia LINNAEUS in definitione ponit, non invenio; nec ſunt, ſed longe obcordata lateribus reflexis fiſſuram mentiuntur.

Obſervatio III. Vaginæ radicales plantæ in hortis cultæ peramplæ, & latæ petiolos emittunt foliaceos funiformes, quos in alpibus non habent.

Obſervatio IV. Nunc demum aliquid de alia in littorali auſtriaco & in Italiæ montibus creſcente planta, quæ ſæpe pro Dauco cretico ſumitur, & a nobis ut varietas II. indicata eſt, aliis vero Athemantæ annuæ nomine ſalutatur, dicendum eſt, maxime cum huius exemplaria plurima a Magnifico Sereniſſimi Auſtriæ Principis LEOPOLDI Archiatro Carolo KRAPFFIO iam confecto hoc Umbelliferarum Faſciculo acceperim, & me aliqua in ſynonimis auctorum emendare, & ſimilitudinis aut differentiæ comparatarum inter ſe ſtirpium rationem habere poſſe, intelligerem.

Plantæ igitur littoralis exacta icon illa eſt, quæ inter icones LOBELII exſtat p. 722. nomine *Daucus cretenſis verus Dioſcoridis;* tum quæ repetita eſt *obſervat.* p. 416.

Iam vero differentias inquiram I. Noſtra vix Spithama maior eſt; Littoralis cubitalis imo aliquando fere brachialis. II. Noſtra plures ſæpe ex diverſis radicis capitulis, ut pulchre expreſſit CAMMERARIUS, promit caules; quod de illa littorali inter decem exemplaria non ſemel obſervo, cum in iisdem unicus tantum caulis conſtanter deprehendatur. III. Noſtra vix unquam ramoſa nudicaulis enodis eſt: rariſſime enim unum in ſummitate habet; littoralis aut ab inferiori iam parte ramoſa, aut ſaltem multum hac folioſa eſt, caule rotundo quidem, ut in priori, ſed ad genicula nodoſo, nec ut in præcedenti rectiuſculo, ſed declinato; eſt etiam glaber magis & nitidus in littorali caulis, quamvis leniter ſtriatus, & quandoque etiam, ut in noſtra coloratus. IV. Vaginæ ampliores radicales: caulinæ membrana alba ampla cinctæ in littorali, in longiores petiolos, eosque tres ſemper ſolvuntur, tum & foliola valde diſcrepant; in noſtra carnea firma plana aliquando hirſuta aliquando minus, tenuiſſime & breviter ſecta ſunt, recte ut CAMMERARII figura habet; in littorali longiora longe, linearia & ut ex exſiccatis exemplaribus apparet, teretiuſcula cum fœniculi habitu, ut icone LOBELII expreſſum eſt. V. Involucra utraque in utraque plerumque adſunt; ſed particularia in littorali

rali manifeſtiora alis latis, membranaceis, mucronatis, hirſutulis cincta, ut fere aliquid Bupleuri habere videantur. VI. Semina in utraque villoſa villo candicante; in noſtra toruloſa magis tubis reflexis: in littorali apice extenuata magis Chærophylli ſimilitudine. Differentias dixi, nunc harum ſimilitudines proferam. Exſiccatæ radices cortice eodem obducuntur, & eædem videntur; capita iisdem vaginis ſquamoſis eodem modo coloratis cinguntur; Vaginæ virentes eædem ſunt & in utrisque idem color ex pallide ceruleo in rubrum defluens, quo & caules ſæpe inchoantur; & ſola magnitudinis, ut & ramoſitatis ratio vere diverſa eſt, nec credo *cretenſem* Libanotidem ab *annua* Myrrhide diverſam eſſe, diſpiciant nunc alii; an ſeparari debeant, an coniungi. En veriores utriusque determinationes & nomina.

* 1. *Libanotis Pumilla.*
Libanotis non ramoſa foliolis argute & breviter ſectis, planis.
Daucus creticus. CAMMER. *epit.* icon. p. 536. *laudabilis.*

* 2. *Libanotis Italica.*
Libanotis foliolis capillaribus longis, caule folioſo & ramoſo.
Daucus cretenſis verus. LOB. icon. p. 722.
Daucus alpinus multifido longoque folio. C. BAUH. *pin. quoad nomen.*
Athamanta annua. LINNAEI *cum ſynonimis.*

2) *Libanotis montana.*
Libanotis anguloſi caulis.
Libanotis foliis latis ſupra coſtam decuſſatis: caule anguloſo.
Daucus anguloſi caulis. CORDI. *bonum nomen.*
Daucus montanus Apii folio minor. C. BAUHIN. *prodr. icon, quanquam rudis, bona eſt, & locus natalis, ubi* BURSERUS *collegit, conſentit, nomen cæterum malum eſt, & veriori dixiſſet nomine.*
Daucus montanus apii folio albicans; *ſed id male iterum ad Cervariam tranſtulit.*
Apium petræum ſive montanum album. T. R. *commodo nomine & plantam deſignante, cum & caulis albidus ſit, & folia averſa facie.*
Libanotis. RIV. T. 37. *egregie & umbella nondum florens involucris partialibus exſtantibus incompta bene, & florens conferta, denſa, bene.*
Athamanta foliis pinnatis, pinnis pinnatifidis radicalium circa coſtam decuſſatis. *Fl. ſibir. icon folii* F. 2. T. XL. *bona.*

In montoſis paſſim in *Baden*, *Petersdorff* &c. etiam in ſubalpinis.
Radix corona tecta ſetacea.

Caulis

Digitized by Google

Caulis a duorum ad quinque pedum altitudinem elatus, inſigni ratione anguloſus, ſulcatus, alba rigidiuſcula lanugine aſperſus, quam adultior perdit; adhæc admodum brachiatus.

Vaginæ petiolorum ſtrictæ, petioli longi hirſuti.

Varia diverſa ætate foliorum amplitudo & facies, ſemper tamen ſe ſe decuſſant, ſunt hæc facie profunde viridia, dorſo magis glauca etiam ciliata.

Involucrum univerſale latis deprehendi factum foliolis, 12. pluribus, coloratis, albidis villoſis reflexis, vidi etiam pinnatis; *particulare* totidem, patentibus aut reflexis, umbellulam non explicatam longe ſuperantibus, ut & incompta hiſpida & hirſuta videatur.

Umbella denſa petala ex farinaceo albida aliquando ante efflorefcentiam colorata.

Semen ovatum villoſum.

Obſervatio I. Et hæc difficulter vindicari planta potuit, Cl. HALLERUS de ea multa excitavit in *itinere helvetico* V. quod legendum; LINNAEUS minime tetigit, ſigna ex foliis bipinnatis planis umbella hemiſphærica deſumens: I. BAUHINI icon admodum mala eſt, illa C. BAUHINI, etſi decuſſationem foliorum non exacte exprimat, exprimit tamen, & longe melior eſt, deſcriptio vero omnino erronea deprehenditur, quod ex exemplari ſicco a BURSERO miſſo, facta ſit, & petala alba ſunt, non lutea & iconis inſcriptio ad aliam pertinet plantam non ad iconem inſcriptam; in Pinace enim C. BAUHINUS daucum ſuum VI. vocat montanum apii folio minorem, qui noſter non ſit, nec iconis BAUHINIANAE, & numero VIII. *pinacis* Daucum montanum Apii folio flore luteo, qui primus in Prodromo miſſus ex Auſtria a BURSERO, qui noſter ſit, licet flores luteos dicat, qui hunc colorem, quem non habuere, in herbario ſolum ſuſceperunt, & qui certo eſt iconis & recte notavit I. BAUHINUS Caſparum fratrem forte hic has plantas confundere.

Obſervatio II. Fructus non eſt ovato oblongus, hinc non debet referri ad Athamantas LINNAEI; confunditur a multis hæc cum Selino *Cervaria* planta, ſed non eſt in his ulla ſimilitudinis ratio, nec in caule, foliis, floribus, ſemine.

Obſervatio III. In alpibus longe minor planta, in plurimis a montana diverſa eſt; nec ſeſe decuſſant adeo inſigni ratione foliola, quæ admodum

Digitized by Google

modum exigua ſint, dorſo cineracea, nec ulla in planta hirſuties eſt, ſi caulis ſummitatem & radios excipias; Vaginæ petiolorum & caulis maniſeſtius colorati.

* Libanotidis tenuifoliæ germanicæ C. B. varietas floribus candidioribus quid? in Auſtria inferiori naſci in *actis ſuecicis* reliquit BURSERUS, addit C. BAUHINUS ſynonimon THALII Libanotis γαρ θιμοειδες: ſed & hic in deſcriptione intelligi non voluit, & ego divinare non poſſum, nec in I. BAUHINO, nec MORISONO, nec RAIO invenio, an Oreoſelinum non ſit, interrogat HALLERUS, folia fœniculacea THALIUS requirit.

Armis hiſpidis.

16. CAUCALIS. Semen Tab. I. Nro. 21.

CHARACTER. Semen aculeis armatum.

Corollis radiatis.

1) *Caucalis grandiflora.*
Caucalis petalis extimis maximis.
Echinophora flore magno. RIV. T. 25. *bene.*
Caucalis albo flore. CLUS. *Hiſt.* p. CCI. RAII.

In monte arcis *Hamburg* ad occidentem, in via ex *Kaltenberger-Dorffe*, in *Leopoldiberg* ad orientem abunde.

Involucrum univerſale in hac perpetuo invenio 5, 6, factum foliolis lanceolatis, margine membranaceis albis perſiſtentibus, hæc foliola umbellulas nondum expanſas in figuram ovatam cogunt. Involucrum *partiale* latius totidem factum foliolis, membrana marginali alba piloſa auctis, umbellulas in initio abſcondentibus.

Petala alba profunde ſecta, marginalia ampliſſima, diſci minora & in his, quæ in circumferentia ſingulæ ſedent umbellulæ, maiora ſunt.

Semen latum aculeis filiformibus.

Obſervatio I. Involucrum pinnatifidum non invenio, quod LINNAEUS obſervavit; nec perpetuo ſemper pentaphyllum minus adhuc foliolum unum duplo maius, ſed in *univerſali* umbella foliola modo plura, modo pauciora æqualia 3. maiora, ſæpe duobus minoribus. In *partiali* 3. exteriora duobus interioribus maiora, ampliora, idem de petalis confirmo, modo in una umbellula tria exſtantia petala maxima video, modo duo,

Digitized by Google

duo, in umbellulis centralibus vero petala circumferentiæ maiora aliis quam prioribus minora.

Obſervatio II. Involucrum utrumque perſtat. Fructus convexus immaturus, maturus aliquantulum planior fit.

2) *Caucalis Leptophylla.*
Caucalis laciniis foliorum peranguſtis; ſeminum uncis rigidis.
Echinophora. RIV. T. 24. *bene.*
Caucalis arvenſis echinata, parvo flore & fructu. C. B. *pin.* 152. indicio LINNAEI, cui tamen vix ſubſcribere poſſum, dum certum eſt, nullam caucalidem in noſtris quidem regionibus fructum habere, adeo ſpectabilem & florem adeo minutulum, ut quidem hæcce Leptophylla ut contraria, magis naturæ conveniens, definitio omni examinanti habeatur, ſcilicet
Caucalis echinata, parvo flore, fructu magno.
Caucalis ſeminum aculeis triglochidibus uncinatis: pilis verticillatis hiſpidis L. *ænigmatice, an intelligunt diſcipuli?*

In agrorum aggeribus extra portam ſancti *Marci*, in vallo ſuburbico *Belveder*, & alibi.

Involucrum univerſale raro video; *particulare* frequentius, & fere ſemper modo tribus, modo quatuor, modo quinque ſubæqualibus factum foliolis lanceolatis, margine piloſis, membrana alba non auctis perſiſtentibus.

Umbella facta radiis paucis umbellulæ pluribus, quarum aliquæ ſemper abortiunt.

Petala iuniora purpuraſcentia, explicata alba, unico in quavis umbellula maximo.

Germen perianthio manifeſto coronatum.

Obſervatio I. Qui ſub eodem genere has duas *Caucalides* cogere volunt, in charactere generis, involucri *univerſalis* mentionem haud iniiciant, ad evitandam confuſionem; & bene monuit HALLERUS involucrum *univerſale* ſæpe nullum eſſe; de *Leptophylla* confirmavi ſæpius, etiam de *Antriſco.*

Obſervatio II. Involucris *grandifloræ* ſemina coercentur, dum *Leptophyllæ* nuda ſunt, involucris linearibus reflexis. Adhæc adhuc multa eſt in ſeminibus differentia, cornicula Perianthii in *grandiflora* prælonga deflexa ſunt, dum in *Leptophyllæ* ſeminibus ſunt admodum exigua,

 conni-

Digitized by Google

conniventia: eſt etiam Perianthium in *Leptophylla*, quam in *Grandiflora* longe evidentius.

3) *Caucalis Antriſcus.* * Elench. * Enumer.
Caucalis laciniis foliorum latis; ſeminis ovati aculeis rectis.
Caucalis. RIV. T. 32. *nec dubium eſt* T. 33. 34. *huc ſpectare, & illas varietates obſervavi.*
Caucalis minor, flore rubente. PARK. MORIS. &
Caucalis arvenſis humilior ramoſior. MORIS III. p. 338. *bonum nomen & tantum varietas eſt præcedentis.*

Creſcit ubique in ſepibus, maxime in illis *Grinzing*, in itinere ad vineas.

Radix annuæ plantæ parum fibroſa.

Caulis diſtortus, angulofus, brachiatus, hiſpidus, ſcaber, multum aculeatus, aculeis lente albidis.

Folia iisdem aculeis albidis hiſpida & facie & dorſa circumſcriptione triangularia pinnata, pinnis regulariter ſatis decreſcentibus, maculis ſanguineis ſæpe reſperſa, adulta tota purpuraſcentia.

Involucrum univerſale ordinario multum, raro hinc inde folium unum alterumve. Involucrum *partiale* externum foliolis 5. 6, plerumque factum inæqualibus, ſubulatis, hiſpidis, perſiſtentibus.

Umbellæ 8 plures *univerſalis* irregulares, *particularis* planæ.

Petala intima minora, extima maiora, ut in Caucalide etiam inæqualiter inciſa.

Semen gibbum, hiſpidum, hirſutie purpurea veſtibus adhærens.

Obſervatio. Non alia maiorem difficultatem fecit ſtirps; ſub Caucalide LINNAEUS non habet, Tordyliis LINNAEI confuſam ſuſpicantur HALLERUS, ZINNIUS, frequentis adeo plantæ notam, quæ rem illuſtrare potuiſſet, non dedere Auſtriacarum plantarum Enumeratores, atqui tamen, ſi ulla, tum hæc hanc poſtulaſſet planta, dum hic Tordylium *latifolium*, alter Tordylium *antriſcum* facit. Primo vero ſynonima Tordylli *antriſci* L. plantæ noſtræ conveniunt omnia & illud C. B. Caucalidis ſemine aſpero, floſculis ſubrubentibus, cum icone habitum plantæ magis referente quam illa MORISONII, quæ

quæ tamen ſemen ovatum melius habet, dum in umbella optime pinxit RIVINUS. Sed iam evidens eſt, Tordylium L. eſſe non poſſe, dum Tordylii character in fructu ſuborbiculato, margine crenato, involucris longis vertitur & noſtra ſtirps ne ullam quidem harum habet proprietatum: feceram ſtatim ex noſtra planta ſcandicem *antriſcum* L. cum adhuc huic magis conveniret, quam Tordylio, ob ſemina *ovata hiſpida*, quæ ſolum depoſcit LINNAEUS in charactere ſpecifico, ſed certum eſt, neutrum eſſe & ex LINNAEO determinari non poſſe, & eſſe Caucalidem *antriſcum* HALLERI & Tordylium *antriſcum* L. in Auſtria certo non dari nec forte in mundo cum ſynonimis LINNAEI; interea plantam fictam ex flora Auſtriaca expunxi cum icone ſeminis orbiculati & margine crenati & involucris longis inſerendam, ſi demum in lucem prodeat. Sed an Tordylium *latifolium* L. an *nodoſum* EIUSDEM, ſemina habent ſuborbiculata, margine crenata? ſi ſinceræ ſeminum icones MORISONII ad Tordylia hæ non ſpectant plantæ, & vellem paulo accuratiorem LINNAEUM eſſe, ut eos diſcipulos demum non ſemper decipiat, qui tranquilli errores per Floras longe lateque diſpergunt, nec eos ſemper deſperet in omni generum examine botanophylos, qui eadem ac ego methodo incedentes nec herbariorum, nec alterius authoritatem curant, ſed proprio marte omnem plantam ex præſcripto prototypo generico definiunt, quod inculcari ſatis non poteſt.

4) *Caucalis Daucus* offic.

Caucalis involucris pinnatifidis.

Daucus ſeminibus hiſpidis. LIN. ROY.

Daucus vulgaris. CLUSII.

Paſtinaca tenuifolia ſylveſtris. DIOSCORIDIS. BAUHINI *pin.* 151.

Ubique in pratis & incultis.

Obſervatio. Non multa ratione a Caucalide ſeiunctum Daucum Caucalidi denuo inſcribo.

5) *Caucalis Sanicula* offic.

Caucalis floſculis omnibus ſeſſilibus: umbellis ſubcapitatis, ſubternis.

Sanicula. BLACK. Tab. 63. RIVIN. Tab. 31. *commoda.*

Sanicula ſ. Diapenſia. Bot.

Sanicula foliis radicalibus ſimplicibus, floſculis omnibus ſeſſilibus. LINN.

In omnibus ſylvis etiam ſubalpinis.

Radix mira in uno ſpecimine, truncata, nec ultra tres lineas craſſa aut longa; inde porrigens fibras tres tenues, rigidas tamen & ſatis longas.

Folia radicis capiti circumfuſa, plurima, nitida, duriuſcula, profunde ſemi-quinquefida, lobis quaſi in cuneiformam ſectis, ipſis etiam trilobis, circumſerratis.

Caulis tenuis nudus pedem unum & ſeſquipedem altus, radio uno florifero hinc inde auctus.

Involucrum univerſale quinque video conſtare foliolis, nonnullis etiam bifidis, aut potius bracteis pinnatis e cuius centro 5-quatuor radii, qui in media longitudine duobus foliolis maioribus tribus aliis quaſi denticulatis involucrati adhuc ſint, eriguntur. *Particulare* involucrum conſtat imbricatis ſimplicibus.

Umbella univerſalis 4-5. radiis facta longiſſimis, rara diſſita.

Petala alba erecta intus conflexa filamenta longa habent piſtillis coloratis.

Semina hiſpida, uncinata concreſcunt 2. 3. ut anguloſa ſint piſtillis, diu perſtantibus & multis aliis floribus abortientibus.

Obſervatio. Simplicitatem foliorum, cui tantum tribuit LINNAEUS, ut etiam in definitione magnificentius iactet, ego non capio, dum etiam HALLERUS ea profunde triloba: lobis lateralibus bipartitis, omnibus iterato-tridentatis, circumſerratis deſcribens, ſimplicitatem refellit.

HABI-

Digitized by Google

HABITUS DELIQUESCENTIS.

17. ERYNGIUM.

CHARACTER. Umbella ſimplex multiflora, in receptaculo communi conico capitata.

1) *Eryngium campeſtre.*

Eryngium foliis amplexicaulibus pinnato laciniatis; involucris fere ſubulatis capitulo longioribus.

Eryngium vulgare. C. BAUH. *pin.* 386.

Eryngium campeſtre vulgare. CLUS. *Hiſt.* II. p. 157. icon.

Eryngium. Omnium.

Eryngium. BLACKW. T. 297.

In vallo ſuburbico *Belveder*, & arenoſis aliis locis copioſe.

2) *Eryngium planum.*

Eryngium foliis radicalibus amplis, planis, inæqualiter ſerratis, nervoſis; involucris lanceolatis, ſpinoſis, capitulis pedunculatis longioribus.

Eryngium foliis radicalibus ovalibus, planis, crenatis, capitulis pedunculatis. LIN. ROY. *Lugdb.* 92.

Eryngium latifolium planum. C. BAUH. *pin.* 87.

Eryngium pannonicum latifolium. CLUS. *Hiſt.* II. p. 158. icon.

Circa *Hamburgum.*

Caulis firmus, ſtriatus, glaber, ſplendens, admodum ramoſus, ramis ex cæruleo-ſplendentibus.

Folia radicalia lata, craſſa, facie viridia, nervoſa, dorſo pallidiora, inæqualiter ſerrata; ramorum involucrantia, pinnata dentibus ferocibus albidis.

Involucra particularia reflexa lanceolata, ex cæruleo-glauca, dentibus pinnatis.

Flos capitatus.

Calyx 5. factus foliolis, nervo albo ariſtato percurſis, & membrana alba auctis.

Petala omnino mira, erecta, albida, aurita, auribus cæruleis.

Stamina 5 ex albo-cærulea antheris amethyſtinis, tubis duabus albis.

Fructus coronatus perianthio, inter ſquamas pinnatas hærens, & ipſe hiſpidus.

Digitized by Google

INDEX GENERUM

FASCICULI TERTII.

Tordylium	153
Heracleum	153
Selinum	159
Angelica	178
Laſerpitium	719
Siler	185
Chærophyllum	189
Liguſticum	196
Oenanthe	201
Bupleurum	202
Seſeli	204
Coriandrum	210
Apium	213
Aſtrantia	218
Libanotis	219
Caucalis	224
Eryngium	229

Digitized by Google

Digitized by Google

HENRICI IOA. NEPOM. CRANTZ

S. C. A. MAIESTATIS CONSILIARII, INSTITVTIONVM MED. ET MATERIAE MEDICAE VINDOBONENSIS PROFESSORIS PVB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. ET SOCIETAT. BOTANIC. FLORENTIN. LITTER. ROBORET. SODALIS.

STIRPIVM AVSTRIACARVM

FASCICVLI IV

EDITIO PRIMA



IMPENSIS IOANNIS PAVLI KRAVS
BIBLIOPOLAE VIENN.
MDCCLXIX

Digitized by Google

ILLVSTRI

ACADEMIAE LITTER.

ROBORETANAE

OB HONORIFICENTISSIMAM SVI

COOPTATIONEM GRATITVDINIS

HOC MONVMENTVM

POSVIT

H. CRANTZ.

Digitized by Google

Digitized by Google

HENRICI IOA. NEPOM. CRANTZ

S. C. A. MAIESTATIS CONSILIARII, INSTITVTIONVM MED. ET MATERIAE MEDICAE VINDOBONENSIS PROFESSORIS PVB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. ET SOCIETAT. BOTANIC. FLORENT. LITTER. ROBORET. SODALIS

STIRPIVM AVSTRIACARVM

PARS II

CONTINENS FASCICVLOS TRES

CVM FIGVRIS AENEIS



IMPENSSIS IOANNIS PAVLI KRAVS, BIBLIOPOLAE VIENN.

MDCCLXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

STIRPIUM AUSTRIACARUM

PARS II

CONTINENS

FASCICULOS TRES

FASCICULUS QUARTUS

Digitized by Google

Digitized by Google

R I N G E N T E S
HABITUS ABSOLUTI.

I. G Y M N O S P E R M A E.

503. SALVIA.
1. Sclarea.
2. Aethiopis.
3. Glutinoſa.
4. Verticillata.
5. Sylveſtris. Nemoroſa.
6. Pratenſis.

505. LEONURUS.

506. GLECOMA.
1. Hederacea.

509. SIDERITIS.
1. Montana.

511. 512. TEUCRIUM
1. Chamæpitis.
2. Botrys.
3. Chamædris.
4. Scordium.
5. Reptans.
6. Pyramidale. Genevenſe.
7. Montanum.

515. BETONICA.
1. Officinalis.
2. Alopecuros.

516. 517. LAMIUM.
1. Amplexicaule.
2. Folioſum.
3. Nudum.
4. Ladanum.
5. Tetrahit.
6. Galeobdolon.

518. STACHIS.
1. Betonica.
2. Sylvatica.
3. Paluſtris.
4. Lanata.

519. NEPETA.
1. Paniculata.
2. Cataria.

521. 522. MARRUBIUM.
1. Nigrum.
2. Vulgare.
3. Peregrinum.

524. SCUTELLARIA.
1. Galericulata.
2. Haſtifolia.

525. THYMUS.
1. Serpyllum.
2. Acinos.
3. Montanus.

527. PRUNELLA.
1. Officinalis.
2. Laciniata.

529. DRACOCEPHALUM
1. Auſtriacum.

531. ORIGANUM.
1. Vulgare, album.

532. CLINOPODIUM.
1. Vulgare.

534. MELLITIS.
1. Meliſſophyllum.

535. MELISSA.
1. Calamintha.

Digitized by Google

II. ANGIOSPERMAE.

539. GRATIOLA.
1. Officinalis.

542. PINGUICULA.
1. Alpina.
2. Vulgaris.

543. UTRICULARIA.
1. Vulgaris.

544. OROBANCHE.
1. Maior.
Purpurea.

547. LATHRAEA.
1. Squamaria.

548. STAEHELINIA.
1. Alpina.

549. RHINANTHUS.
1. Criſta galli.

550. EUPHRASIA.
1. Coris.
2. Odontites.
3. Officinalis.

551. MELAMPYRUM.
1. Criſtatum.
2. Arvenſe.
3. Nemoroſum.
4. Sylvaticum.

553. TOZZIA.
1. Alpina.

554. ANTIRRHINUM.
1. Alpinum.
2. Geniſtifolium.
3. Linaria.
4. Minus.
5. Orontium.
6. Spurium.

556. PEDICULARIS.
1. Verticillata.
2. Folioſa.
3. Obſoleta.
4. Roſtrato-ſpicata.
5. Roſtrato-capitata.
6. Paluſtris.

560. SCROPHULARIA.
1. Nodoſa.
2. Aquatica.

HABITUS DELIQUESCENTIS.

I. GYMNOSPERMAE.

577. LYCOPUS.
1. Europæus.

578. VERBENA.
1. Officinalis.

508. MENTHA.
1. Spicata.
2. Gentilis.
3. Verticillata.
4. Candicans.
5. Pulegium.
6. Aquatica.

II. AN-

Digitized by Google

II. *ANGIOSPERMAE.*

584. VERONICA.
1. Orchidea.
2. Longifolia.
3. Spuria.
4. Officinarum.
5. Aphylla.
6. Teucrium.
7. Fruticans.
8. Beccabunga.
9. Anagallis aquatica.
10. Serpyllifolia.
11. Subbiſcutata.
12. Scutellata.
13. Pratenſis.
14. Chamædrys.
15. Latifolia.
16. Agreſtis.
17. Arvenſis.
18. Hederifolia.
19. Triphyllos.
20. Dillenii.

588. LIMOSELLA.
1. Aquatica.

594. DIGITALIS.
1. Lutea.

Digitized by Google

CLASSIS RINGENTIUM.

Claſſicus hic flos in corolla monopetala irregulari, plus minusve ringente, ſeu perſonata & labiata TOURNEFORTII, quæ calyci cuicunque, præterquam ſpathaceo inſiſtat, fundatur; ſicque ex prima & ſimplici externa facie agnitus, Habitus eſt ſimplicis, ſi vero inſuper Stamina poſſideat duo, vel quatuor, duobus plerumque, ſi quatuor fuerint, minoribus, tum probæ præſcriptæ tenax, eſt habitus abſoluti. Vide *primas Lineas Inſtitut. Rei Herb. & diverſas Ringentium icones*, exceptiones in *Inſtitut. Rei Herb.*

HABITUS ABSOLUTI

I. GYMNOSPERMAE.

DIANTHERAE.

503. SALVIA.

CHARACTER. *Calyces* bilabiati: labio ſuperiore retrorſum acto. *Flores* verticillati. *Corollæ* galea plus minusve falcata. *Filamenta* cruſculis articulata ſuſpenſa duo. *Semina* quatuor nuda.

Obſervatio. Stamina biſurcata non ſunt.

1) *Salvia ſclarea.*
Salvia foliis rugoſis cordatis oblongis villoſis ſerratis: bracteis floralibus calyce longioribus concavis acuminatis: calycibus lanatis.
Horminum ſclarea dictum. C. B. *pin.*
Orvala. DOD. *pempt.* 292. *icon.*

In *Turckenſchantz* & alibi rarius tamen.

Caules quadranguli firmi pilis albis aſperis obſiti, & hi ramoſi ſunt, pedem unum & ultra alti.

Folia

Folia lato craſſoque petiolo, eoque adhuc piloſo orta, obcordata, onga, rugoſa, & quaſi detrita, tota villoſa. Hæc ad ramorum exortum bracteata, breviora ſenſim fiunt.

Flores albi, in verticillis numeroſis, bracteis duabus albidis, piloſis, ciliatis, ipſis fere calycibus longioribus, incluſi ſedent.

Calyx firmo fulcro nixus, venoſus, anguloſus, bilabiatus, labio ſuperiori adſcendente reflexo angulis biariſtatis: inferiori bidentato, dentibus etiam ariſtatis.

Corollæ in gentis tubus longitudine calycis; fauce patente labium ſuperius concavum, compreſſum, incurvum, emarginatum: inferius trifidum: laciniæ laterales reflexæ & in dentem ſurſum convolutæ, cæruleſcentes: media maxima eſt, emarginata. Alia gentis ſunt.

Obſervatio. Calyces etiam aliquid glutinoſi habent attacti, preſſi.

Ita quidem de hac planta in horto tum culta vere definitum fuerat; cum vero in botanicis excurſionibus inventas plantas ad meas deſcriptiones iterum iterumque exigam, factum eſt, ut de veritate modo deſcriptæ ſclareæ dubitem & eam pratenſis ſpeciem niveam habeam, tum, quod in plurimis recedat a ſclarea, definitionem LINNAEI non ſuſtineat, nec in foliis *cordatis*, nec in *ly villoſis*, nec in bracteis calyce *longioribus*, quæ perpetuo minores ſint; tum, quod nec ipſis LINNAEI ſynonimis magis competat, ſic *foliolis floralibus lanceolato concavis* nunquam gaudet, nec habitum orvalæ DODONAEI citati habeat, ſed bene orvalæ ſylveſtris ſpeciei quartæ Eiusdem. Quæ omnia ut rite diſcerni poſſint, dabo plantæ, quam noſtrates ſclaream vocant, deſcriptionem, ut in loco natali reperitur in *Turckenſchantz.*

Radix florentis plantæ nigra craſſula, fere ſemper obliqua.

Folia ad radicem plurima in orbem poſita, ovato-oblonga, cordati nihil habent, & longis, craſſis & fere planis purpuraſcentibus petiolis nituntur, rugoſa, ſerrata & pene laciniata etiam maculis ſanguineis vitiata, minime vero villoſa; eſt tamen poſtica parte nervus.

Caulis unicus, & hic vel ſimplex, vel ramoſus, quadrangulus, admodum villoſus villo albente non aſpero, unum alterumve folium præter bracteas habens: pedem unum & ultra altus eſt.

Verti-

Digitized by Google

Verticilli primi quandoque ſolum dimidiati & magis diſtantes, alii completi his minus.

Bracteæ calyce raro maiores, ut caulis villoſæ ex latis acuminatæ.

Calyx eadem ratione villoſus, angulis obſcura & ſordida pictis purpura; cæterum gentis, mollis & quaſi unctuoſus.

Corolla alba aut ex albo ochroleuca, fauce antrorſum ventricoſa.

Galea mollibus purpuraſcentibus ſpinulis ad oculum armatum hirta, compreſſa, incurva, emarginata.

Barba trifida brachiis duobus ſtatim ex lateribus faucis exortis, longis; medio ſegmento ampliſſimo, & ad manifeſtam plicam leniter concavo cæterum expanſo, inferne vero quaſi emarginato, lateribus undulatis.

Stamina cum piſtillo longiſſima deorſum arcuata.

Piſtillum leniter ex cæruleo coloratur, dum ſtamina ſincera manent. Non memini me vidiſſe ſtamina adeo longa.

Quare definiturus hanc plantam, ſit ſclarea noſtratum, aut non ſit illa LINNAEI dico

Salvia foliis rugoſis ſerrato-laciniatis, undulatis, caule nudo fere; ſtaminibus longiſſime exſertis.

Etiam nunc omnibus compulſis haud perſuadeor, noſtram hanc plantam a pratenſi diverſam eſſe, quæ etiam folia habeat circa radicem in terra fuſa, pauca vero in caule.

2) *Salvia æthiopis.*

Salvia foliis oblongis laciniatis, hirſutis; verticillis lanatis; barbæ lacinia media cucullata.

Aethiopis foliis ſinuoſis. C. B. *pin.*

Salvia æthiopis. BARR. icon. 189. bene.

Ad ſylvulam *Simmering* etiam in paſcuis apricis eiusdem ſylvulæ.

Caulis brachialis etiam humanam ſtaturam aſſequitur, quadrangulus, & totus intertexta, quæ & angulos exprimat, lana obductus: cæterum iam ex medietate fere ramoſus ramis patentibus paniculatis, brachiatis; omnibus ſurſum aſcendentibus arcuatis ramoſis ex purpura coloratis in loco natali.

Folia latis firmis & canaliculatis petiolis etiam lanuginoſis orta, lata, & late laciniata, ſinuoſa, fine lanceolato terminantur; cæterum rugoſa, detrita,

Digitized by Google

detrita, & dorſo iuxta omnes nervos lanata. Superiora caulem amplectuntur cordato-lanceolata, complicata aliquantulum recurvato ad caulem fine, & hæc etiam ſuperne magis purpuraſcunt, inferne texuntur, non ligata, nec intertexta, ſed recta aſſurgente magis lana.

Bracteæ ſeu floralia folia ex albo viridia, erecta, concava, fine dentato, aut exactius ariſtato, ſubſpinoſo, ora lanata, colorata.

Rami quadranguli, ut & pedunculi etiam lanati, & colorati ſub ipſa lana.

Calyx lana obrutus, primo aſpectu deſcribi non poteſt, nam plures quaſi in bractearum erectarum lanatis nidis lana abſcunduntur, ſed lana ablata conicus, ſtriatus, bilabiatus in lacinias quinque, qui in dentes ariſtatos, carnei fere coloris abeant, aut profundioris, ſectus cernitur.

Flores nivei ſunt. Tubus exiguus cum late ſecta fauce, non ideo vero ampliore, calyci inſidet fere. Ipſa galea compreſſa eſt, & retrorſum oblique fertur, ſuperne emarginata, & pilis, qui ex glandulis pellucidis oriantur, hirſuta albis, in initio vero roſeis.

Barba trifida, ſit lateralibus duabus lanceolatis laciniis manifeſtius convolutis, media cucullata, & poſtrorſum ſecta, exſtantibus lateribus: fine inferiori cæco.

Structura ſtaminea generis, antheris oblongis flavis.

Stylus hirſutus erat, ſtigmate bifido.

Obſervatio. Egregia eſt BARRELIERI icon foliis rameis in arcum reflexis, ramis ramoſis brachiatis, floribus bracteis elevatis tanquam nido inſidentibus; unicum malum eſt, quod totam ſtirpem glabram pinxerit. LINNAEUS virum non citavit.

3) *Salvia glutinoſa.*

Salvia foliis cordato-ſagittatis, ſerratis, acutis: dentibus calycinis ſummis non ſatis diviſis.

Orvala tertia. DOD. *pempt.* 292. *icon bona.*

Horminum ſylveſtre ſecundum. CLUS. *hiſt.* II. p. 29. *eadem icon.*

Horminum luteum glutinoſum. C. B. *optimo nomine.*

Horminum flore luteo. RIV. T. 35.

In ſylvis danubialibus non infrequens.

Caules decumbentes, plures, craſſi quadrati, hirſuti, folioſi, in ſummitate certo glutinoſi, ut etiam cum calyce & bracteæ & flos ipſe, reſinoſo

reſinoſo aromatico non ingrato glutine prægnent. Sunt hi cæterum tres quatuorve pedes alti, ramoſi.

Folia longis petiolis canaliculatis, baſi, ut in mutuam coniunctionem tendant, latioribus orta, cordato ſagittata, ampla, rugoſa, dentibus inæqualibus ſerrata, fine acuto viſuntur. Ad hæc ſunt adhuc ſuperna parte læte viridia, inferna albida magis; utraque piloſa, hirta, odoris primulæ veris fere.

Floralia tum in ramis tum in caule *ſpicæ* in dimidiatos verticillos diſpoſitæ, floribus, quorum medius magis exſtet, conſtant tribus & bractea ſingulo flori ſubiecta, quæ inferne magis, quam ſuperne piloſa ſit.

Calyx bilabiatus; ſuperiori labio fere integro, aut leviter ſolum emarginato, tribus eminentibus aggeribus in apicem eiusdem labii concurrentibus, notato: inferiori bifurcato,

Flos luteus ingenti rictu longaque tuba notabilis. Tuba calyce longior, ſed eius cavo anguſtior, dorſo aliquantulum gibba, & lateribus compreſſa, ſatis recta, fine, maxime vero ad faucem, externe interneque ubique piloſa.

Galea maxima, falcata, bifida, piloſa, & extrorſum hirſuta, interne lineis & punctis obſolete brunnis picta, externe iisdem maculata.

Barba eadem, maculata, modo trifida, quadrata fauce, ex reflexis elongatisque lateralibus barbæ partibus, patente; medium ſegmentum longius prominet, purius, nec adeo aliis coloribus vitiatum, fimbriatum tamen ſeu emarginatum, & quaſi dentatum.

Machina ſtaminea aliter quam in aliis, quas vidi, facta: trabibus horizontalibus fauci nexis lateraliter duo innituntur crura arcuata, quæ pariter lateraliter articulentur longius arcuatis ſtaminibus; Staminum inferiores arcus in fauce liberi & ſuſpenſi exſtant, fine dilatato ſeu ſemi auriculato nexi; ſuperiores vero antheras ſuſtinent longas: poſtica parte ad locum articulationis exſtantia duo tubera habent. Poſſunt ſtamina ſupra crura mediante articulatione antrorſum & poſtrorſum moveri facile. Stamina abortientia duo, in poſtica faucis parte retro modo memoratam articulationem evidentia conſpiciuntur.

4) *Salvia*

Digitized by Google

4) *Salvia verticillata.*

Salvia foliis cordatis crenato-dentatis; verticillis ſubnudis; ſtylo corollarum labio inferiore incumbente.
Horminum ſylveſtre latifolium verticillatum. C. B. *pin.*
Horminum ſylveſtre tertium. CLUS. *hiſt.* II. p. 29.

Ubique fere in incultis aſperis, maxima quantitate in montis Rodaun arci imminentis parte occidentali.

Caulis craſſus, quadrangulus, ſulcatus, albis pilis hiſpidus, ſæpe e purpureo violaceus.

Petioli inferiores longi, canaliculati, hiſpidi, ſæpe alati.

Folia cordata, ſunt crenato dentata, utraque pagina piloſa, inferiori tamen magis, & rugoſa, ſcabra.

Verticilli florum in longis virgis ſulcatis, purpureis anguloſis craſſis ſedent: primoribus a ſe magis diſtantibus.

Calyx tubulatus, anguloſe conicus, coloratus, piloſus, tribus dentibus ſuperioribus quaſi connexis, infimis diviſis, licet magis approximatis.

Flos ringens, galea connivente, ſubclauſa, piloſa; barba emarginata eſt, in quam piſtillum longum inclinatum propendet. Hic ex violaceo purpuraſcit.

Stamina duo ex tuba longe orta, in media, ubi eriguntur altitudine dente donata.

Obſervavi primo, iam in duabus ſpeciebus *glutinoſæ* nempe & *verticillata*, me obſervaſſe laciniarum calycinarum ſupremarum coaleſcentiam, ut ex charactere generico emendato expungi debeat, calicem bilabiatum in 5 dentes fiſſum eſſe.

Obſervavi ſecundo, pedunculos emarcido flore magis erigi.

5) *Salvia ſylveſtris.*

Salvia foliis ovato-lanceolatis acutis; bracteis flore brevioribus.
Hormini ſylveſtris V. altera ſpecies CLUS. II. p. XXXI. icon & deſcriptio, & Hormini ſylveſtris V. ſpecies prior. ibidem.
Horminum ſylveſtre ſalvifolium maius maculatum C. B. *pin.*

In agrorum & vinearum marginibus eundo in *Caltenberg* in *Simmeringer walde* abunde.

Caules modo plures, modo unicus, palmaris cubitalis & ultra, quadrangulus, depreſſa, mollique pube obſitus, fuſcis purpureisque punctis

punctis aſperſus & angulis ſæpe purpureis præditus, inferne folioſus & admodum ramoſus.

Folia petiolata petiolo ſatis duro albente ex ovato-oblongis lanceolata, rara aut nulla cordiforma, rugoſa, venoſa, & ſerrata modo magis undulata, modo plana magis, ſuperiora vero ſurrecta ſunt, ſupra omnia ſordide viridia, infra magis glauca, eodem ut in ſequenti modo.

Bracteæ ex latis acuminatæ, molli dente terminatæ, purpureæ, ciliatæ, venoſæ, flore plerumque minores.

Spicæ calycibus coloratis clauſæ, adhuc aggregatæ ante floreſcentiam exacte ſatis tetragonæ.

Calyces purpurei ſtriati anguloſi, bilabiati gentis.

Corolla ringens: tubo longitudiue calycis albo: galea profunde cærulea erecta compreſſa, emarginata, punctis albis ut in ſequente aſperſa, dorſo villoſa: barba trifida, ſegmentis duobus lateralibus ad faucem exſtantibus quaſi canaliculatis medio latiſſimo, modo tota circumferentia, modo ſolum lateribus ſurſum revolutis eiusdem ac galea coloris.

Tuba apice bifida exſerta eſt.

Stamina in loco articulationi oppoſito villoſa: antheris fuſcis polline flavo.

Obſervatio. Differt a ſequenti, quod magis ramoſa plerumque ſit, florem maiorem plerumque habeat magis coloratum & bracteas ſemper coloratas, ſed hæc ſigna vera, minus adhuc illa LINNAEI diſtinctam ſpeciem, ſed ſolum varietatem efficiunt; adeoque

* Salvia nemoroſa LINNAEI * Enumeratio.
  Salvia foliis cordato-lanceolatis, ſimpliciter ſerratis, ſtaminibus galeam æquantibus ZINN. goett. non bene.
  Sclarea folio ſalviæ minor ſeu glabra TOURN. optime & LINNAEO longe melius.

Inter ſepes agrorum eundo in *Simmeringer Wald* & alibi non infrequens; etiam in *Gatterholtz*, ſed longe maior & bracteis coloratis ipſis verticillis pedalibus & ultra.

Caules modo plures, modo unicus palmares, cubitales, & ultra, quadranguli molli pube obſiti, ſæpe etiam fuſcis punctis maculati, inferne admodum folioſi, & ramoſi.

Folia

Folia petiolata petiolo ſatis duro albente ex ovato-oblongis lanceolata, rara aut nulla cordis forma, rugoſa, venoſa, gentis, ſed glabra, & ut in priore ſerrata, modo magis undulata, modo plana magis, ſuperiora vero ſurrecta ſunt, ſupra omnia ſordide viridia, infra magis glauca.

Bracteæ ex latis acuminatæ, molli dente terminatæ, virides aut coloratæ, venoſæ flore minores plerumque, aliquando, coloratæ

Spicæ calycibus viridibus clauſæ ante efflorescentiam, exacte ſatis tetragonæ.

Calyces virides plerumque, aliquando colorati, ſtriati, bilabiati gentis.

Corolla ringens: tubo longitudine calycis albo: galea albide cærulea, erecta, compreſſa, emarginata, punctis albis ſolo microſcopio viſibilibus adſperſa, dorſo villoſa: barba trifida ſegmentis duobus lateralibus ad faucem exſtantibus deorſum reflexis, quaſi canaliculatis, medio latiſſimo modo tota circumferentia, modo ſolum lateribus ſurſum conflexis, galea coloratior in his in illis eiusdem & ſaturatioris coloris.

Tuba apice bifida exſerta eſt.

Stamina in loco articulationi oppoſito villoſa, antheræ fuſcæ polline flavo.

Obſervatio I. In ſalviarum charactere eſſentialem notam ſtaminum bifurcationem contendit LINNAEUS, ſed certum eſt ſtamina non bifurcari, ſed unum vectis crus ſtamini ſupponi, ut mediante articulatione mobile ſit; in noſtra hac planta in fine quaſi remi palma eſt una parte conflexa altera patente.

Obſervatio II. An vere diſtinguuntur ſalvia *ſylveſtris* & *nemoroſa*, quam etiam in Auſtria creſcere dicit LINNAEUS? certe diſcriminis ſigna ab illo data nihil decernunt, & huc usque noſtrum nemo diſtinxit; ad hæc *cordato lanceolata*, ut utrimque definivit, raro videas folia, & *biſerratum* multum imaginationis habet, quærens divinare non potui, nec ſemper adeſt *maculatum*, ut immiſceri definitioni debeat.

6) *Salvia pratenſis.*

Salvia foliis cordato-oblongis, ſummis amplexicaulibus; verticillis ſubnudis; corollarum galea glutinoſa.

Horminum ſylveſtre CAM. Epit. icon. 629. bene.

Horminum pratenſe. RIV. T. 56. foliis ferratis c. B. *pin.*
Hormini ſylv. IV. prima ſpecies CLUS. II. p. XXX.
a. Horminum pratenſe niveum foliis incanis.

Ubique obvia & in pratenſibus & aliis; a. rarius primo reperi circa *Petronel*, & nuper in *Turckenſchantz.*

Caules quadrati, firmi, recti, inferne admodum piloſi, ſuperne minus & tantum depreſſo villo aſperi, diverſæ altitudinis, ſunt pedis unius, duorum, trium, aliquot vicibus nudi. Sæpe ſolum unicus eſt; omnibus brachiatis.

Folia infima longiſſimis, craſſis, & piloſis petiolis nituntur ovato-oblonga gentis; inde in caule longo intervallo nudo ſolum unum par eſt ſeſſile cordato-ſagittatum, fere amplis auriculis, tum ad brachia ſimile, ſed longe minus & iam bractearum nomine deſignandum.

Bracteæ ſub verticillis binæ exiguæ virides ſæpiſſime ad caulem deorſum deflexæ, maxime in defloratis.

Verticilli diſſiti ſubnudi ſunt.

Calyces exiguis pedunculis nixi ſtriati gentis & colorati aliquantulum deorſum propendentes, ad attactum glutinoſi.

Corollæ ſpecioſæ ſaturate cæruleæ: tubo albo, fauce deorſum ventricoſa, cærulea, galea longe aſcendente compreſſa, ad attactum glutinoſa, hirſuta, apice fiſſa: barba trifida, lateralibus ſegmentis antrorſum inclinatis anguſtioribus, medio fere cordiformi, dentato, crenato, elevato margine & plicato.

Tuba bifida longe exſerta.

Stamina galeæ longitudine, antheris nigro-violaceis, polline flava.

Semina gentis.

Obſervatio I. Varietatem huius niveam iam ante deſcriptam dedi ſub *ſclarea*, & mirum eſt, corollarum galeam labium æquantem cum flore niveo, eam LINNAEO impreſſionem facere non potuiſſe, ut corollarum labium infimum reflexum; equidem priorem plantam, quæ corollarum galeam labium æquantem habet cum flore albo, varietatem *pratenſis* fecit, & poſteriorem, quæ corollarum labium infimum reflexum poſſidet, ſpeciali *nemoroſæ* nomine inſignivit & a ſylveſtri ſeparavit, ita demum labia magis quam galeas facit LINNAEUS; ſed nonne iam antea monui, etiam corollarum labium infimum in *ſylveſtri* reflexum eſſe, quomodo igitur diſtinguitur *ſylveſtris* a *nemoroſa?* Quod ſi vero multiplicare ſpe-
cies

Digitized by Google

cies luberet, per omnia certum eſt, hormium pratenſe niveum noſtrum in *Turckenſchantz* lectum & deſcriptum a pratenſi magis diſtinctum eſſe, iam antea recenſita definitione, quam ſit a *ſylveſtri nemoroſa*. Vide adhuc aliam in orobanches, pertractatione obiectionem.

TETRANTHERAE CALYCE QUINQUEFIDO ET MULTI-DENTATO.

505. LEONURUS.

CHARACTER. *Calyx* 5-dentatus angulatus. *Galeæ* labium ſuperius apice rotundato obtuſum. *Antheræ* polline ſeminali nitido adſperſæ.

Obſervatio. Non parum confuſa erat generis huius definitio, quam in *antheris glandulis nitidis adſperſis* placide repoſuerat *Cl.* Vir LINNAEUS facti haud ſatis conſcius; ego enim raro verificare characterem hunc potui, aut plantam ex eo cognoſcere, quanquam etiam numeroſos aliquot ramorum deſtruerem flores, & ipſum etiam adhiberem microſcopium. An ſeminale pollen, quod antheris ineſt, & quod ex gravidis nondum defloratis exprimi poteſt, *pro glandulis nitidis ſumpſit* LINNAEUS? vix credibile eſſet, plantarum ſexus adeo ſtudioſum virum, ſeminale pollen, quod album nitidum eſt, pro glandulis nitidis aſſumpſiſſe, ni certum eſſet, alias præter hocce non adeſſe glandulas, ſaltem in noſtro Leonuro. Et nunc etiam verum eſt, didymas in illo antheras lateribus findi, ſemenque quam in aliis abundantius profundere, & antheris adhærens videri, & deprehendi; in illis enim, quas ego examinavi, huius generis plantis, antheræ modo purpureæ, modo flavæ, lateribus fiſſis eructabant niveum nitidumque & adhærens glutinoſum pollen, imo vidi quaſi efflореſcere eodem prorſus; ut in Epipactide *purpurea*, modo, & nunc hanc notam in aliis plurimis obſervavi ſtirpibus, quæ tamen Leonuri non ſint.

1) *Leonurus cardiaca.*
Leonurus foliis caulinis lanceolatis trilobis.
Cardiaca FUCHS. hiſt. 395. icon. LOB. icon p. 516. RIV. T. 20. bene. BLACKW. T. 171.
In ruderatis *Baden.*

Caules

Caules ramoſiſſimi 4. 5. 6 pedes alti, erecti, tetragoni, modo lanugine pubeſcentes, modo nudi, angulis ſolum tenui pube ſplendentibus, colorati, plerumque, cavi, & alba medulla farcti, multum folioſi, & ſecundum genicula evidentiori linea notati.

Folia ex petiolo pube plus minusve obſito (dantur enim & glabri & hirſuti) carinato, ſatis longo dependent, ſuperne venoſa, rugoſa, obſolete viridia: inferne dilucide magis, quandoque præ pube caneſcentia. Ipſa in tres plerumque lacinias divergentes ſecta, licet etiam occurrant, quæ in quinque diviſa ſint, iterumque ſubdiviſa. Hæc folia ſimpliciora, tamen etiam ex verticillis omnibus, quos multa parte tegunt, dependent, imo coronant apicem verticilli, quaſi in aciem diſpoſiti.

Calyces inferi paleis ſuffulti, alii minus, hi quidem conico-pentagoni quinque dentati: dentibus tribus ſuperioribus, erectis: duobus inferioribus antrorſum cum calyce productis: omnibus ſpinoſis.

Tubus exiguus, inflatus, fauce ſubventricoſa.

Galea primo fornicata, dein inſtar cochlearis cava, ut in Betonica *alopecuros*, tum erecta, planior, aliquando etiam retroflexa, ſic enim in diverſa florum ætate inveni in plurimis, eſt enim quaſi galea manifeſte articulata; extus admodum piloſa.

Barba exigua eſt, brevi periens, trifida, lateribus reflexis fauce ſpectabili.

Flos modo ex albo-purpureus, ſeu maculis purpureis variegatus, antheris didymis atro-purpureis: modo albus, antheris flavis & ſtaminibus defloratis etiam ad latera deflexis.

Obſervatio. Stamina deflorata in hac ſpecie ſemper ſunt ad latera deflexa, ut inde confundi poſſit cum Stachydibus, ſed etiam dein per plurima aliarum ſtirpium exempla patebit, glandulas nitidas etiam aliis aſperſas eſſe, ut ſane non ſatis, per omnes Ringentium ſpecies, conſulta natura, ſed ex paucis ſolum, ut ſolet, particularibus Leonurum unico hoc ſigno antheris glandulis nitidis adſperſis cognoſcendum propoſuerit botanicis LINNAEUS.

506. GLE-

Digitized by Google

506. GLECOMA.

CHARACTER. *Calyx* 5-fidus. *Galea* obtuſa ſemibifida. *Antheræ* per paria in formam crucis conniventia.

1) *Glecoma Hederacea.*

Glecoma caulibus procumbenti-erectis radicatis, foliis renum aut cordis forma crenatis.

Hedera terreſtris CAM. *Epit.* p. 400. icon. RIV. T. 67. BLACKW. T. 225.

Hedera terreſtris vulgaris C. B. *pin.* MOR.

Calaminta humilior flore rotundiore TOURN.

Primo vere in locis reſedes aquas habentibus inter iuncos in *Brader* copioſe, tum etiam in ſæpibus & ad arborum radices non infrequens.

Caules modo pauciores, modo plures, aliqui conſtantius ſerpentes, pluribus radiculis radicati, nonnullis quaſi ſtoloniferis, ramoſis. Qui floriferi ſunt, craſſeſcunt procumbenti-erecti, quadranguli, colorati, etiam aliquando intorti.

Folia ex omnibus geniculis oppoſita, longe petiolata, petiolis longis, rigidis caulem ſuo ortu amplexantibus; eaque varia ſunt, modo cava, modo plana, dorſo facieque obſcuro rubore perfuſa, venoſa, circumſerrata, modo cordis, modo renum forma. Notari meretur roſula in vertice foliorum non ſatis evolutorum in planta iam florente.

Flores in verticillis dimidiatis diſpoſiti cærulei, etiam aliquando rubentes.

Calyx cylindricus ſubulatus, ſtriatus hirſutus, obſcure rubens, ore quinquedentato acuminato, patente, colorato magis.

Corolla ringens hirſutula; tubo longo tenui compreſſo: galea erecta ſemibifida, lateribus poſtrorſum in corniculum conflexis quaſi bicorni: barba latiſſima patente: lacinia intermedia maxima, emarginata, ad faucem paleis munita pluribus & maculis ſaturatioribus rubris picta.

Antheræ crucis aliqua forma.

Digitized by Google

509. SIDERITIS.

CHARACTER. *Calyx* 5-fidus. *Galea* anguſta, fere ſemper bifida. *Stigmata* duo: ſuperius cylindricum, inferius membranaceum brevius, vaginans ſuperius.

1) *Sideritis montana.*

Sideritis herbacea ex decumbenti erecta calycibus corolla fere maioribus ſpinoſis: labio ſuperiore trifido.

Sideritis montana, parvo varioque flore. C. B. *pin.*

Sideritis montana parvo flore nigro-purpureo: capite medio croceo. COL. *ecphr.* 1. T. 196.

An Sideris herbacea decumbens ebracteata calycibus ſpinoſis: labio ſuperiore trifido L.?

In montoſis aſperis *Rodaun*, *Baden* & alibi.

Caulis ad angulum rectum fere depreſſus, terræ incumbens, dein erectus, pedalis & ultra, ſubtetragonus, folioſus lanatus, ſæpe ramoſus.

Folia elliptica obtuſo fine quandoque, quandoque acuto, nervoſa, utraque facie piloſa: inferna tamen magis, petiolo amplexante fere, ſeſſili nixa, reflexa hinc inde in fine rariter ſerrata, & ultimo demum dente inſtructa, quod tamen non perpetuum eſt.

Flores verticillati, minimi fauce flava margine nigro-purpureo, his folia floralia ſeu bracteæ aliis caulinis maiores ſemper interiiciuntur, in longa ſpica aut novem floris aut ſex floris, verticillis non adeo approximatis, licet tamen copioſiſſimis.

Calyx fere ſeſſilis, tubulatus, erectus, piloſus, in 5 lacinias finditur ex ovatis ariſtatas, ſpinoſas, quarum ſuperiori loco, tres reflexæ: inferiori duæ prioribus minores fere, ſed æque ut ſuperiores patentes. Ariſtæ albent & ſplendent.

Tubus longus, incurvus eſt, totus cum corolla calyce incluſus.

Corolla minima, flava, modo calycem non excedens, modo hunc parum ſuperans, extus villoſa.

Galea leviter a fauce reclinata, ita exigua, ut prima fronte Bugulam aut Teucrium credas, integra, aut crenata, non bifida.

Barba

Digitized by Google

Barba porrecta, parce trifida: ſegmento medio maiori, integro, aut crenulato, & ſurſum reflexo. Cæterum tota ora corollæ facile vitiatur, & ſphacelatur.

Obſervatio I. Corolla adeo exigua eſt, ut character ex facili verificari non poſſit; ſtigma brevius involvens alterum, difficulter quæras.

Obſervatio II. Folia floralia verticillis ſubiici video, ſed hæc bracteæ ſunt LINNAEO, ut non intelligatur, qui *ebracteata* dici poſſit planta, imo definiri poſſet

> Sideridis bracteis ſub ſingulo verticillo ternis reflexis foliis caulinis latioribus.

Obſervatio III. Flores defloratos vitiari & ex nigro purpuraſcere ſæpe vidi.

511. TEUCRIUM & BUGULA 512.

CHARACTER. *Corollæ* galea nulla, ſed loco huius dentes duo, pro egreſſu ſtaminum.

1) *Teucrium Chamæpitys.*

Teucrium foliis trifidis, linearibus, integerrimis; floribus ſeſſilibus, lateralibus ſolitariis; caule diffuſo.
Bugula foliis trifidis, floribus ſparſis in alis foliorum. HALLER. *Helv.*
Chamæpitys fere Omnium. CAM. *epit. icon.* p. 679. *bona.* RIV. T. 14.
Chamæpitys lutea vulgaris ſ. folio trifido. C. B. *pin.*

Caules proſtrati, diffuſi, inferne ramoſi, pilis obſiti & ex obſcura purpura colorati, tetragoni, toti folioſi, & florigeri, floribus axillaribus ex adverſo ut folia ſolitariis.

Folia læte viridia ſuperne, inferne minus, quod magis piloſa ſint, trifida, linearia, integerrima nervo inſcripta.

Calyx piloſus ventricoſus, ſtriatus, quinque dentatus, dente uno nexo ita in omnibus plantis Anno 1765 obſervo: aliis æqualibus calycem longitudine æquantibus.

Flos ſulphureus, tubo ventricoſo, conico, piloſo.

Galea abſciſſa, loco huius dentes duo laterales, in quorum diremptu ſtamina efferantur.

Barba trifida: laciniis duabus divergentibus, exiguis, media producta longa, in medio inciſa, fauce punctata, piloſa.

Stamina pariter piloſa ſunt, & tota planta multum reſinoſa eſt.

2) *Teucrium Botrys.*

Teucrium foliis multifidis, pedunculis axillaribus ſubternis.
Chamædrys, foliis pinnatis, pinnis obtuſe trifidis. HALL. *Helv.*
Chamædrys altera MATH. CAM. *epit. icon.* p. 568.
Chamæpitys III. DOD. *purg.* p. 431. *optime.*
Iva moſchata folio multifido. RIV, T. 14.

In montoſis apricis *Kaltenberg*, qua parte *Clauſtro-Neoburgum* ſpectat rarius, in monte *Rodaun* abunde.

Radix annuæ plantæ exigua, dura.

Caulis unicus, coloratus, villoſus, admodum diffuſo ramoſus in ſpecimibus, in aliis depreſſo quaſi principaliori caule, plures alios laterales educit, non adeo amplius ramoſos.

Rami oppoſiti, alterni, etiam quadranguli, villoſi, colorati.

Folia longe ſatis petiolata, leviter canaliculato & villoſo petiolo, multifida ſegmentis integris, bifidis, ultimo trifido; adhæc nervoſa, piloſa utraque facie, ſuperiori tamen minus.

Flores in foliorum alis pedunculati, pedunculo non minimo, hirſuto colorato, calyci ſuperne, non baſi, qua ventricoſus eſt, implantato, ſubverticillati in caule, in ſingula ala ſemper terni: hinc in uno verticillo ſex; in ramis bini ſolum, quod tamen etiam in minoris plantulæ caule vidi.

Calyx ſpectabilis, amplus, ex baſi inferne gibba coanguſtatus, ſegmentis quatuor conſtans: quorum ſupremum ſurſum reflexum eſt, duo lateralia vero vix multum pateant: infimum prioribus minus bifidum ſit. Eſt cæterum ipſe calyx venoſus, coloratus, venis leni pube obſitis, & interne notabiliter piloſus, ſegmentis ciliatis, apice ariſtatis, & quaſi ſubſpinuloſis.

Corolla ampliato primo tubo anguſtata, dein iterum dilatatur, galeamque cum media fauce reſectam habet, quo loco ſtamina baſi villoſa, apice aliquantulum colorata, cum piſtillo ſummitate bifido, colorato, incurvato, barbam ſpectant. Reſiduum faucis inferne laciniatum eſt, donec ſegmenta duo in ſuprema barbæ parte anteriori loco exſtantia haſtata terminentur. Haſta ſulcata in ſulco ſtriam vividius purpuream habet.

Barba

Barba demiſſa, lata, ampla eſt, & cava & in medio ſulcata, lateribus quandoque eroſis; cæterum ipſa latis marginibus violacea, triangulum, quod etiam ex fauce oriatur, album habet, punctis & maculis purpureis pictum.

Semina quatuor.

3) *Teucrium Chamædrys.*
Teucrium foliis cuneiformi-ovatis, inciſis, crenatis, petiolatis, floribus ſubverticillatis ternis.
Chamædrys maior repens. C. B. *pin.* & minor Eiusdem.
Chamædrys vulgaris maior. CLUS. & vulgaris ſ. ſecunda Eiusdem. *Hiſt.*
Chamædrys. RIV. Tab. 10. *bona.*
Chamædrys Triſſago. BLACKW. T. 80.

In aſperis apricis circa ſylvulam *Simmering*, in aſcenſu montium *Badenſium* inter vineas abunde, in *Gatterholtz* & alibi paſſim.

Bracteæ ſæpe rubent, ſæpe folia vitiantur.

4) *Teucrium Scordium*
Teucrium foliis ellipticis ſerrulatis ſeſſilibus, floribus plerumque geminis axilaribus pedunculatis; caule diffuſo.
Scordium. CAM. Epit. 588 icon, DOD. *pempt.* 126. icon. BLACKW. T. 475.
Chmmædrys paluſtris allium redolens MOR. III. bonum nomen.

In pratis uliginoſis paſſim, ad *Incersdorff. Himberr.*

Vulgares has & officinarum notitiæ plantas, deſcribere ſuperſedeo.

5) *Teucrium reptans.*
Teucrium ſtolonibus reptantibus; caule ſimpliciſſimo; foliis ovatis crenatis.
Bugula foliis ovatis inter flores ſtipatis flagelis repens. HALL. *Helv.* 634.
Bugula RIV. T. 76.
Bugula conſolida media. BLACK. T. 64.

Deſcribam eam quæ invenitur ad margines ſylvarum *Kaltenberg*, ſiquidem aliquantulum ab aliis teneritudine recedat.

Folia radicalia longiſſime petiolata in terram ſparſa, obovata crenata, petiolis rubentibus.

Caulis unicus debilis, pedem fere altus nudus, villoſulus, uno pare foliorum veſtitus.

Stolones tenues longi, hinc inde foliis veſtiti, nudi, glabri.

Digitized by Google

Verticilli rari dein magis conſerti, primo etiam pauciflori dein magis denſi foliis longiſſimis, ut radicalia & alia, glabris longe ſuperantur, & hæ bracteæ florales ultimo ex cæruleo colorantur.

Calyx villoſus laciniis quinque inæqualibus, maculatus.

Corolla grate cærulea: tubo longo cylindrico villoſo. Labio ſuperiore quaſi reſecto leniter fiſſo: barbæ medio ſegmento ampliſſimo obcordato, lateralibus duabus minoribus.

Piſtillum cæruleum longe eminens, antheris polline aureo præditis.

6) *Teucrium pyramidale.*
Teucrium foliis angulofe dentatis, caule ſimplici.
Bugula montana. RIV. T. 75.
Phyllochnois RENEAL. *Spec.* 125. Conſolida media cærulea alpina RAI. Aiuga pyramidalis & genevenſis. LINN.

In *Gatterholtz* etiam in montes & alpes aſcendit.

Radix intricata fibroſa.

Caulis ſimplex quadrangulus, angulis coloratis, pedalis, & ultra, maior procumbit ſæpe, minor vero erectus eſt, raris foliis veſtitur, & villo incano maxime ad ſpicam floralem albeſcit.

Folia ima longe petiolata, floralia ſeſſilia, lata, anguloſe dentata, inferne nigra purpura perfuſa, plerumque tridentata, haſtata. Omnia hirſuta ſunt, aſpera, dentata, ciliata.

Flores verticillati, verticillis aſcendendo denſioribus, grate cærulei.

Calyx cærulee violaceus aut niger, pubeſcens, laciniis 5. ſubæqualibus viridantibus, piloſiſſimis.

Tubus longus, cylindraceus, incurvus, cæruleo-albens, piloſus, vix galeatus, dum loco galeæ exiguum faucis ſegmentum ſolum ſupereſt, in medio emarginatum.

Barba trifida orchidum forma, cruſculis diſcedentibus minoribus: lacinia media maxima emarginata verticaliter cordata, albedine & ſaturatioribus venis picta: omnibus ſubtus piloſis.

Stamina eiusdem coloris longe exſerta: antheris polline aureo.

Obſervatio I. Bracteæ florales fere ſemper tridentatæ ſunt media haſtata, ut etiam pinxit RIVINUS, & ſpica tetragono-pyramidalis, non naturæ, ſed fingentis imaginationis ſoboles eſt.

Obſer-

Digitized by Google

Obſervatio II. Genevenſem gratis ab hac ſeparavit LINNAEUS, HALLERUS bene coniunxit, ſic & ego faciam cum eive, quem non habet nec Elenchus nec Enumeratio.

* Teucrium *genevenſe* ** Elenchus. Enumeratio.
Bugula carneo flore. CLUS. II. p. 43. ORDER. T. CLXXXV.

In paſcuo ſterili ſummi montis *Durrenſtain.*

Radix caudex admodum fibroſus.

Caulis ſimplex coloratus, purpureus, piloſus, quadrangulus, vix ſpithamam altus.

Folia oppoſita lato ſatis petiolo orta prima, alia ſeſſilia ſunt, nervoſa, rugoſa, ſerrata, ut aliquando etiam admodum dentata conſpiciantur.

Bractea ſub verticillis latæ tridentatæ media lacinia haſtata.

Calyx exiguus ſeſſilis nigra purpura maculatus, in 5. lacinias calyce longiores ſolutus, piloſus.

Corolla galea deſtituta, & loco huius collare bifidum; cæterum amœne roſea.

Tubus cylindraceus incurvus ſtriatus.

Barba magna patens trifida, lacinia media latiori, omnibus margine ciliatis.

Stamina, tuba, rubent: antheris nigris.

Ex *Durrenſtain* redux in *Crembs*, ſiquidem etiam pyramidalem collegeram, has inveni differentias.

Folia quidem anguloſe dentata utrimque, ſed in carnea magis obovalia, in altera longa.

Bractearum in carnea color rubens, in alia cæruleſcens.

Spicæ nulla differentia carneæ confertior tamen.

Barbam in cærulea manifeſtius emarginatam vidi.

Stamina in cærulea piloſa.

Solidæ omnino differentiæ nihil.

7) *Teucrium montanum.*
Teucrium corymbo terminali foliis integris anguſtis ellipticis ſubtus incanis.
Polium lavendulæ folio. C. B. *pin.* MOR. TOUR. bonum nomen.
Aiuga folio integro. RIV. T. 15. bona.

In montibus ſiccis, ſaxoſis, *Maurbach*, *Rodaun*, *Baden*, *Durrenſtain*, *Hambourg* &c. *Radix*

Digitized by Google

Radix craſſa nigra lignea.

Caules plurimi diffuſi proſtrati repentes, quorum aliqui ſimplices, alii ſint ramoſi multum, id enim variare ſolet; primo ſatis teneri, fragiles villo depreſſo cani, ramis eodem modo ſe habentibus; dein firmiores fere liqueſcunt.

Folia exiguo petiolo cano qui in eminentem poſteriori parte nervum diffundatur, nixa, firmula elliptica, facie nervo carinata, ſplendentia, viridia & leniter ſubrugoſa, margine utrimque revoluta & quandoque undulata, dorſo ex depreſſo villo incana ſunt; apicibus ſæpe magis albentibus nec adeo, ut facies, viridibus.

Flores corymboſi inter folia ſingula ſolitarii, pedicellati, caules ramosque terminant.

Calyx ſubulatus pentagonus in quinque dentes ſolutus fere ariſtatos, in mea planta eodem depreſſo villo albidus.

Corolla inverſa, barba ſcilicet erecta ſuperiore & revoluta, quod viſitur, in actu fœcundationis, tumque quatuor cornua exſtantia habet; poſt hanc calore ſolis vero explicata depreſſiore; eſt cæterum nivea.

Galea gentis, nulla, reſecta & loco huius eminentes duas, quæ piſtilli ſtaminumque ſitum moderentur, ellipticas latas concavas, virides magis, ex fauce erectas ciliatas auriculas, quæ unum par cornuum ante explicatorum conſtituebant.

Barba nivea longa hæc trifida, ſuperne in duas auriculas ſecta eſt, quæ alterum cornuum par conſtituunt & nervo viridi percurrantur medio ſegmento ampliore, concavo cucullato margine undique elevato & antrorſum crenato, ut etiam pene tripartitum videatur.

Antheræ reniformes quaſi in modum crucis ſibi applicatæ cinamomeæ & glandulis, ut LINNAEUS vocare amat, nitidis oſſeisque aſperſæ.

515. BE-

515. BETONICA.

CHARACTER. *Calyx* 5-fidus, ariſtatus, duriori aut molliori ariſta. *Corollæ* labium ſuperius planiuſculum, tubo cylindraceo.

1) *Betonica officinalis*.
Betonica verticillorum calycibus bracteisque ſpinuloſis, tubo longiſſimo.
Betonica fere Omnium. RIV. T. 28. BLAKW. T. 46.
Betonica vulgaris. CLUS. *Hiſt.* II. purupurea. I. B. III.
Betonica purpurea. C. B. *pin.*
β. Betonica alba. C. B. *pin.* TOUR.

In ſylva cædua *Haderkling*, in marginibus ſylvulæ *Simmering*, in agrorum monticulis herbidis aſperis.

Caulis cubitalis, brachialis, quandoque etiam altior, quadratus, erectus, aut ſuberectus, hirſutus, geniculis admodum diſtantibus factus. Quanquam vero caulis raro ramoſus ſit, video tamen pedunculos longos, totos nudos, ex antepenultimo florali geniculo erectos, ſpicam ſuſtinere.

Folia circa terram plurima: radicalia & ima caulina, longe petiolata petiolo baſi dilatato, & caulem amplexante, canaliculato, hirſuto; ſed etiam folia hirſuta ſunt, & rugoſa, magnis ſerris ſerrata, ſuperne fere nigra, atræ viriditatis ſplendentis tamen, cordato-oblonga, ſine in radicalibus obtuſo, ut lingulata magis videantur: in caulinis acuto, ut figuram antea deſcriptam exactius referant.

Spica caulina, reflexis & ſerratis foliis conſtans, primo interrupto & quaſi aggregato dimidiato utrimque verticillo facta eſt, qui ſequitur ſecundus, denſior, foliis flore maioribus, & bracteis vix multo calycem ſuperantibus, ora piloſis ſine ariſtatis componitur.

Calyx tubulatus, incurvus, hiſpidus, in dentes quinque ariſtatos & pungentes ſolvitur.

Tubus incurvus eſt, calyce multo maior, cum fauce deorſum extenſa.

Flos purpureus eſt, galea minus, barba magis colorata.

Galea bifida, ita ego in meis multoties obſervavi, erecta, & pro ſtaminum parvitate alta.

Digitized by Google

Stamina in faucis rictu, ut nunc coram video, non alta.

Barba trifida, lateralibus partibus depreſſis minoribus, media maiore, plicata, ſerrulata, quandoque adhuc in duo ſegmenta ſatis lata diviſa, ut duplicem eſſe velis.

Obſervatio I. Betonica hæc officinalis ex LINNAEI definitione vix ac ne vix quidem ab *alopecuro* dignoſci poteſt, cum eius definitio exacte *alopecuro* quadret; nam in hoc ſpica æque interrupta eſt, & corollarum lacinia labii intermedia emarginata, an igitur *officinalis* Betonica, eſt Betonica *officinalis*, aut *alopecuros?*

Et nunc etiam certum eſt, non magis a definitione *alopecuri* repelli *officinalem*, hæc enim non minus baſi folioſam ſpicam gerit, quam *alopecuros*, & corollæ galea bifida æque eſt, & confirmavi in loco natali ſæpius, & ſæpius inveni galeam bifidam eſſe, quid igitur iterum eſt Betonica ſpica baſi folioſa corollæ galea bifida? an officinalis an *alopecuros?*

Obſervatio II. Hæ quidem erant meæ ſatis conſtantes obſervationes, dum poſteriori tempore in autumno circa ſylvulam *Simmering* Betonicas examinans officinales obſervavi, etiam eſſe, quæ galeam haberent integram.

2) ***Betonica alopecuros.***

Betonica antheris didymis.

Betonica ſpicæ calycibus bracteisque mollioribus, tubo brevi, galea bifida.

Betonica albo flore. CLUS. *hiſt.* II. p. 28.

Horminum minus album Betonicæ facie. C. B. *prodr.* 114.

Betonica montana lutea. BARR. *icon.* 339

Betonicæfolia capitulo alopecuri. C. B. *pin*,

Betonicæfolia alopecuros quorundam. I. B.

Alopecuros alpina Betonicæfolia capitulo alopecuri. PONT. SEGUIER.

Horminum alpinum luteum Betonicæ ſpica. RAII. *Hiſt. qui omnes ex habitu dixere, cognoſcentes tamen diſtinctam eſſe.*

In *Sau-plancken-Schneberg.*

Caules aliquot, plus minusve alti, raris geniculis, uno, duobus, tribus cœpti, inde longe nudi, non ramoſi, anguloſi pubeſcunt.

Folia radicalia in ceſpitem fuſa, ſatis ampla, obcordato-ovalia, rugoſa, pube utraque pagina obſita, crenata, ſerrata, ſerris obſcuro dente inſtructis; cæterum longe petiolata, petiolis canaliculatis hiſpidis. Caulina oppoſita & rara, ut ante dixi.

Flor

Digitized by Google

Flos ochroleucus, ſeſſilis, in capitulum collectus ſæpius, aliquando adhuc verticillo uno alterove paulo inferiori loco auctus; bracteis ſuſſultus 2. 4. pluribus, his maioribus, illis minoribus.

Calyx conico-ventricoſus, hirſutus 5. dentibus longis ſubulatis factus.

Tubus brevis, fauce leniter ventricoſa, cylindrico-anguloſa, villoſa.

Galea ex fornicato-ſurrecta, ſuprema parte bifida, denticulis diſtantibus, dorſo & facie piloſis.

Barba trifida, ſegmentis lateralibus acutis, media rotundiore, integra aut emarginata.

Stamina gaudent quatuor antheris duplicatis; habet enim unum quodque ſtamen, duas ſibi incumbentes antheras, quarum ſingula alteri ſtaminis loco inſerta viſatur.

Obſervatio I. Ex charactere LINNAEI, cuius vis in eo eſt, quod *Calyx 5-fidus ſit ariſtatus, corollæ labium ſuperius planiuſculum tubo cylindrico,* nunquam cognoſci poteſt; præterquam quod enim aliis etiam plurimis hæ notæ inſint ad alia genera reductis ſpeciebus, nec corollæ labium ſuperius planiuſculum ſit in *Alopecuro*, nec tubus cylindricus, nec calyx ſtricte ariſtatus, ut ſane ex ſolo habitu Betonicæ *officinali* iunctam fuiſſe a LINNAEO in propatulo ſit.

516. LAMIUM & GALEOPSIS 517.

CHARACTER. *Calyx* 5-ariſtis. *Corollæ* faux utrimque inplerisque denticulo plus minusve ſpectabili. *Labium* ſuperius fornicatum.

Obſervatio. Iam veteres omnes Lamii & Galeopſidis ſpecies promiſcue propoſuere, veras & ſufficientes diſſimilitudines nullus aſſignavit, ego coniungo.

Rictu ½, *denticulo ſetaceo, labio ſuperiore plerumque integro.*

1) *Lamium amplexicaule.*
Lamium foliis floralibus ſeſſilibus, amplexicaulibus, obtuſis.
Alſines ſpecies. TABERN. p. 214. *bene.*
Galeopſis folio caulem ambiente minor. RIV. T. 63.
β. Lamium folio caulem ambiente maius & minus. C. B. *pin.*

In *Au-garten* abunde.

Caules proiecti ſemipedales, pedales, inferne ramoſi, folioſi, dein longe nudi, quadranguli.

Folia ima longe petiolata, ſerrata, maioribus lobatis: floralia ſeſſilia, caulem amplexantia, oppoſita, villoſa, lobata, ſerrata.

Flores in denſis verticillis purpurei.

Calyces parvi, toti hirſuti, laciniis 5. ariſtatis.

Tubus gracillimus, longiſſimus, hirſutus, fauce ampla ventricoſa deorſum protenſa compreſſa, margine reflexo, denticulis in fauce vix conſpicuis.

Galea purpurea, magis hirſuta, fornicata.

Barba margine modo integro, modo crenato, medio ſecto: ſegmentis ſubrotundis, concavis, hinc verticaliter cordiformis eſt, apice maculis profundius purpureis picta, quales etiam faux habet.

Antheræ piloſæ polline aurantio.

Stigma bifidum.

2) *Lamium folioſum.*

Lamium foliis cordatis, acuminatis, petiolatis, calycibus ſæpe maculatis.
Lamium album non fœtens folio oblongo. C. B. *pin.*
Galeopſis. CAM. *epit.* 865. *icon bona.* & RIV. T. 62. *bona.*

In locis udis reſedes aquas habentibus, etiam in aliis haud infrequens, in Brader, Auu, inſulis danubialibus.

Radiculæ breves, plurimæ, etiam per aliquot genicula continuatæ.

Caulis ſolidior, quadrangulus, hirſutus, pedalis, brachialis, cubitalis, ſtatim ab origine ramoſus.

Folia ſaturate viridia, hirſuta, ad ſingula genicula, quæ plurima ſint, longe petiolata, oblongo-obtuſe-cordata, ſerrata, venoſa atris ſuperne venis, & quaſi reticulata, inferne pallidiora, & inter petiolos folioſos & caulem, novi iunioresque rami conſtanter obſervantur.

Flores in ſummis verticillis magni, purpurei, qui tamen etiam in ſingulis geniculis adſint.

Calyx nullo modo bilabiatus, ſed conico compreſſus, baſi liveſcens frequenter, in quinque lacinias ſectus reflexas, patentes, ariſtatas, virides, hirſutas, ſæpe etiam coloratas.

Tubus ventricoſus ex gibboſitate, compreſſus, ad faucis initium quaſi ſtrangulatus.

Faux

Faux ampliſſima, inflata, anteriori parte impreſſa, & ibi denticulos duos exſerit filiformes, ſubulatos, inferiori loco duos angulos obtuſos facit.

Barba lata, emarginata, crenata aliquando, contra ſe ipſam ſæpiſſime conflexo-concava, maculis lineisque ſanguineis pulchre picta.

Galea erecta, aſſurgens in fornicem abit emarginatum, ætate etiam bifidum.

Antheræ ſub fornice erectæ bifidæ, baſi piloſæ, polline aurantio.

Obſervatio. Variat flore penitus albo, & ſaturate purpureo, & ob id folioſum malui dicere.

3) *Lamium nudum.*
Lamium foliis cordatis, obtuſis, in ſummo caule congeſtis.
Urtica iners altera. DOD. *pempt. bene.*
Galeopſis II. TABER. p. 545. *bene.*
Lamium rubrum. BLAKW. T. 152.
Galeopſis minor. RIV. T. 62.

Ad ſepes non infrequens.

Radiculæ exiguæ.

Caules plurimi, cavi, quadranguli, craſſi ſatis, ſemipedales, pedales, inferne fere nudi, aliquando triſti purpura colorati.

Spica floralis folioſa foliis lato ſatis & canaliculato petiolo cordatis, ſerratis, inter verticillos denſos fere, in pyramidem decreſcentem exſtantibus, admodum venoſis, ex herbaceo flavis, obtuſe ſerratis.

Caulis anguli ad verticillos cærulee liveſcunt.

Verticilli ſatis denſi ſunt.

Calyx obſcure bilabiatus, nervoſe anguloſus, ſegmentis in ariſtas terminatis ſpinuloſis, inferioribus patentibus, divergentibus.

Flos exiguus admodum, albus & purpureus, hirſutus.

Galeam video bifidam ſtamina & piſtillum in barbam deorſum deprimentem.

Barba deſcendendo dentata, medio ſegmento in faucem revoluto, maculis profunde purpureis picto, in duo cruſcula cava, quæ dentes ſint cavi, ut in orchidibus diviſo.

Antheræ inferne faſciculis piloſis niveis duobus inſtruuntur, corticem nigrum habent, pollen aurantium.

 Obſerva

Obſerva, præcedentis plantæ flores ſpectabiles eſſe, huius vero minime, eſt etiam longe hæc minor, & nuda.

Rictu ⁝, *denticulo cavo, galea ſerrata.*

4) *Lamium Ladanum.*
Lamium internodiis caulinis æqualibus: verticillis omnibus remotis, foliis longe ellipticis ſubhirſutis.
Ladanum ſegetum. RIV. T. 24. & latifolium ibidem.
Sideritis arvenſis anguſtifolia rubra. C. B. *pin.*
Galeopſis patula ſegetum purpuraſcente flore. TOUR.

Inter ſegetes, maxime vero poſt meſſem in arvis, quibus itur ad ſylvulam *Incersdorff*, tum in aſperis locis molendinæ *Mödling*, qua aſcenditur in arcem.

Radix annuæ odoræ & pungentis plantæ exigua, admodum fibroſa.

Caulis unus, ſuberectus, a primis geniculis ad ſummum brachiatus, ramoſus, diffuſus, tetragonus, durus, ad genicula incraſſata nodis æqualibus, nodoſa & colorata, ſæpe ſulcatus, totus ſubhirſutus. Brachia, rami, eadem ſe habent lege, & hæc quidem adhuc ramoſa ſunt, ramis nempe ex geniculis ramoſis.

Folia maiora, aut ramos aut ramulos ſuſtinentia, petiolata, ex ovatis utrimque elongata, & acuta, in medio ſerris diſtantibus ſerrata ſunt: minora ex ellipticis lanceolata magis, ſerrata aut integra: omnia molliter hirſuta venoſa, inferne pallidiora. Notari meretur multum variare, ut recte notavit RIVINUS, quandoque tota linearia deprehendi, & vix multum ſerrata.

Verticilli plerumque in principibus ramis, duo (in lateralibus enim ſolum unus eſt) remoti, ſupremus tamen quaſi duobus non remotis, ſed ſibi mutuo inſidentibus conſtituitur; ad hos inferiores nempe pedunculi magis candicant, confertiori pube donati. His folia duo maiora, tum minora plura, lanceolato-canaliculata, ariſtata ſubiecta ſunt.

Calyx campanulatus in 5. lacinias inæquales ariſtatas ſectus, albus, laciniis viridibus, ariſtis duris pungentibus albentibus. Segmenta tria barbam ſpectantia maiora, duo galeam minora.

Tubus calyce altior, primo albidus, dein leniter purpuraſcit pubeſcens.

Faux anguloſa, dentes duos albidos educit.

Galea

Galea valde purpurea, alba hirſutie & punctis extus picta, fornicata, crenulata, fiſſa, incumbens.

Barba ampla, ſegmentis duobus lateralibus reflexis plerumque, margine crenulatis, in centro maculatis: medio prioribus latiore, margine crenulato fiſſo, aut ſecto, & in ſuperiori parte macula albida circumiecta linea purpuraſcente magis notato.

Obſerva, diſtingui a congeneribus, frequentia brachiorum, habitu duriore, verticillis quaſi lanatis.

5) *Lamium Tetrahit.*

Lamium internodiis caulinis & rameis primis incraſſatis, foliis & caule hiſpidis, flore calyce quadruplo longiore.

Caunabis ſpuria flore maiore. RIV. T. 32. *optima.*

Canabina flore magno luteo labiis purpureis. BOERHAAVE. H. p. 159.

Obſervatio. Notavit HALLERUS, BAUHINOS & TOURNEFORTIUM non habere.

Ad aquas *Maurbach*, abunde vero inter populos *Brigittau*, & inter ſegetes *Breyn*.

Radix annuæ plantæ exigua, admodum fibroſa.

Caulis inferne ſæpe maculatus, ſurſum magis magisque hirſutus, hiſpidus, internodiis infernis ſæpe monſtroſe incraſſatis, ſupremis vix conſpicuis, æqualibus; cæterum multum ramoſus, internodiis ramorum primis etiam incraſſatis, ſupernis vero æqualibus magis: omnibus coloratis.

Folia oppoſita longe petiolata iuxta nervum oblique nervoſa, ſuperne piloſa, hiſpida, inferne minus exſtantibus nervis ſolum piloſis: baſi integra, cordata, ſerrata, ciliata.

Verticilli primi abortientes, floribus quaſi absque verticillis axillaribus in magnis foliis, remoti, ſummi ſubcontigui, 6. 8. 10-flori, ſi nempe abortientes calyces computes, petiolis folioſis, & ſquamis ariſtatis piloſis ſuffulti.

Calyx primo tubulatus, conicus, albens, 5-angulus, angulis viridibus, dein ventricoſus magis fructificatione facta, aut campanulatus, deſinit in ariſtas quinque, longas, rigidas, patentes, piloſas pilis globulo balſamico terminatis.

Corolla

Corolla inſigni ratione calyce maior, duplo & ultra, tubum longiſſimum habet piloſum, inferne album, antice ſub fauce flavum, poſtice purpureum.

Faux externe purpurea multum anguloſa, cum cavitatibus tuberculata; denticulos infra dicam.

Galea concava, lata, fornicata, emarginata, crenulata, extus læte purpurea & piloſa, intus alba.

Barba ampla, lacinias tres habet amplas: lateralibus duabus deflexis, purpureis, aliquantulum concavis, margine crenulatis, crenis ſæpe ciliatis: medium ſegmentum latius eſt, & oblique antrorſum porrectum, crenulatum, purpureum, aut venis profundius purpureis pictum, ad faucem convexum, aggeribus duobus elevatis flavis, inter quos ſulcus ſit ſatis profundus. Ad initium ſui barba hæc cum lateralibus ſegmentis in duo cornua elevatur, ad angulum cordiformis faucium aperturæ, exſtantia, purpurea: hi dentes ſunt.

Antheræ manifeſtius diviſæ, in ſingulo ſtamine quaſi duæ, triangulares, virides, ora ciliatæ, cilio albido.

Stamina villo quaſi connexa.

Obſerva, Corollam rubram aut albam a LINNAEO perhiberi, & flavam, qualia pulcherrima inter ſegetes exemplaria.

Obſerva, facile diſtingui a *Ladano* definitione & amplitudine foliorum.

Denticulo nullo, Galea integra.

6) *Lamium Galeobdolon.*
Lamium verticillis dimidiatis ſubſexfloris: ore edentulo.
Urtica iners tertia ſeu lamium flore luteo. DOD. *pempt.* 153. bona.
Lamium flore luteo. RIV. T. 20.

Ad margines ſylvarum ubique, frequentiſſima in *Dornbach*.

Caules erecti quadranguli, cavi, frequentibus verticillis ornantur, aliquando ramoſi.

Folia infima magis ovata, alia ex oblongis lanceolata, multum ſerrata, ſerris latis, ſatis rugoſa hirſuta, & hæc adhuc duplicia ſunt vel pura viridia, vel maculis albis aut aliis multum picta, maculata, utraque longe, petiolis ſenſim adſcendendo decreſcentibus, petiolata, urticæ forma.

Verti-

Digitized by Google

Verticilli primo diſtantes, dein vicini magis quaſi dimidiati, quia ſeparationem utrimque manifeſtam habent, incerto ſlorum numero, plerumque tamen in uno verticillo duodecim ſunt, hinc in dimidiato ſex.

Calyx omnis ſpinulam ſtipulantem ſubiectam habet, ipſe monophyllus conicus ſtriatus nervoſus, nervis hiſpidis in quinque dentes ariſtatos, rigidos, divergendo patentes abeuntibus, quorum unus ſuperior ſolus ſit, duo laterales medii, & duo barbam ſpectent.

Flores flavi ſpecioſi.

Tubus exiguus in faucem incurvatus purpura tinctus, fauce fere compreſſa, nullum denticulum ſupra baſim labii inferioris exſerente.

Barba aurea magis, mediante habena depreſſa, trifida, laciniis lateralibus irregularibus anguloſis, antrorſum acuminatis, media latioribus. Lacinia vero media longior eſt, aliquando plana, aliquando ſulcata, fine obtuſe triangulo. Hoc ſingulare ſemper barba habet quod ad oſtium faucis, maculis luteo purpureis ſemper pingatur, quæ in lateribus ſæpe abſint.

Stamina cum piſtillo multa longitudine cohærentia, quaſi concreta, ex curvitate fornicata ſub galea hærent, ipſa albent: antheris oblongis fere thlaſpideis, puris, non hirſutis, purpuraſcentibus margine, hinc non rotundis bifidis, ut dicit LINNAEUS.

Stigma inter alba ſtamina rubet, apice bifidum.

Semina in fundo calycis quatuor.

Obſervatio. In novum genus hanc ſtirpem evexerat DILLENIUS non fine ratione, Cardiacæ coniunxerat non male HALLERUS, coegit inter Galeopſides male LINNAEUS, ex hoc enim toto charactere ſextæ editionis *generum* hanc nunquam eruere valebit, minus adhuc ex editione decima reformata *Syſt. Naturæ*, ut fucum ſibi, aliisque faciant, qui ita pulchre ulcera generum Linnæanorum curare & emollire nituntur. Novum genus facturo, ni in charactere generico magis concludatur planta, non repugnavero.

Mm 518. STA-

Digitized by Google

518. STACHYS.

CHARACTER. *Calyx* 5-fidus. *Barbæ* laciniæ lateribus reflexæ. *Stamina* deflorata verſus latera inclinata.

1) *Stachys Betonica.*
Stachys foliis baſi attenuatis, corrollæ galea erecta.
Betonica foliis inter diſſitos verticillos longioribus, ellipticis, ſerratis. HALL. *Helv.*
Stachys foliis lanceolatis, ſeſſilibus, baſi attenuatis. ROYEN.
Alyſſum maius. TABER. p. 541. *bene.*
Syderitis flore albo, barba luteola. RIV. T. 69.

In aſperis ſiccis montanis retro templum *Mödling*, in aſcenſu fruticeti *badenſis* inter vineas, & alibi, circa ſylvulam *Simmering* &c. In arvis.

Caulis quadrangulus, admodum ramoſus, aliquando coloratus, ſæpe deflexus, ſulcatus, inter verticillos hiſpidus.

Folia varia, inferna lata, longe petiolata, aliquando obcordata, aſcendendo minora, ſuperna ſeſſilia, ſub verticillis diſſitis utrimque extenuata, ſuperne triſte viridia: inferne dilutius, hirſuta, aſpera omnia, ſerrata, venoſa, & quaſi ſpinulis ciliata.

Verticillis 5. 6 8. 9. florum.

Calyx conicus, 5-dentibus patenti-reflexis, ariſtatis, & vere ſpinoſis in planta in ſole nata, in umbra non item, cæterum ſtriatus, hirſutus longus, fere ſeſſilis

Flos ex albo ochroleucus ingenti rictu, maculis purpureis variegatus, ad angulum rectum aut hoc non multo minorem exſtans.

Galea aſcendens, fornicata, laterali margine profunde purpureis aut ſtriis aut punctis picta frequenter.

Barba lateralibus partibus reflexis, ſæpe bifidis, longa, medio ſegmento producto maiore, complicato-reflexo, emarginato, crenato.

Obſervatio I. Stamina purpurea deflorata verſus angulos galeæ reflexa. In planta in umbra nata, vidi ſemper galeæ dorſum piloſum, eius ſummitatem tridentatam, aut crenato-fimbriatam, galeam albam aliquot in latere punctis purpureis pictam; barbam vero ſulphuream longo ex fauce ſulco donatam, & ſtamina villoſa apice geniculata, antheras punctis oſſeis quaſi coralliis albis aſperſas, ſuſpendentia.

Obſer-

Obſervatio II. Plantæ vero in ſole educatæ ſtrictior, aſperior habitus, rictus etiam maior, faux recte fere dimiſſa. Stamina purpurea, ſuperius utrimque geniculata, antheras punctis oſſeis haud aſperſas habebant, & tamen planta in umbra nata omnes antheras in vaſtiſſima & ramoſiſſima planta punctis oſſeis etiam ordine poſitis ornatas gerebat. Ergo una eademque planta eſt Leonurus annuus LINNAEI, & Betonica annua LINNAEI, & Stachys annua LINNAEI, ſicque incerta & vaga per tria genera incertæ ſedis vagatur. Poſtremo Cl. Viro LINNAEO aſſerere poſſum, puncta oſſea in hac noſtra planta eadem eſſe, ac illa ſunt in Cardiaca, Cardiacam enim ſimul experimenti cauſa cum altera examinavi, contuli.

Obſervatio III. Betonicam annuam dixerat olim LINNAEUS hanc plantam, Betonica dici poterat, cum galeam haberet aſſurgentem, quam noſtrates Stachydes non habent, ſed mala erat definitio *calycibus ſpinoſis,* quos ipſe nunc fatetur ſolum mucronatos, non ſpinoſos eſſe. Sed adhuc dum correctæ & ad aliud genus redactæ plantæ definitio LINNAEANA mala eſt hoc nomine

Stachys verticillis ſexfloris, foliis ovato-lanceolatis, trinerviis, lævibus petiolatis. *Spec. 9.*

dum verticilli non ſemper ſunt ſexflori, quos HALLERUS quinque circiter facit florum, ego vero hos 5. 6. 8. 9. florum deprehenderim, dum nec folia trinervia, nec lævia ſint, quæ HALLERUS ſubhirſuta facit, & ego aliter inveni. His ſcriptis collegi in arvis *Bellveder* plantam LINNAEI definitionem ſuſtinentem.

2) *Stachys ſylvatica.*

Stachys foliis cordatis, acuminatis, petiolatis; floribus laxe ſpicatis, verticillis circiter ſexfloris.
Galeopſis legitima. CLUS. *hiſt.* II. p. XXXVI. *cum bona icone.*
Stachys ſylvatica. RIV. T. 26. *bona.*
Galeopſis. BLAKW. T. 81.

In *Au-garten* abunde, tum ad aquas ex ſylvula *Haderkling* defluentes, in nemoribus aliis humidis, umbroſis.

Caulis duorum, trium pedum altitudinis, tetragonus, aſper, hiſpidus, aliquando coloratus, ramoſus.

Digitized by Google

Folia longe petiolata, cordata acutiori fine, utraque facie hirſuta, venoſa, ſuperna triſte, inferna dilutius viridia, latis dentibus ſerrata.

Flores in verticillis longis ſpicatis ſexflori, octoflori, id enim variat.

Bracteæ ſub ſingulo verticillo ſolum duæ, hiſpidæ, calyce quidem, non vero flore maiores, rectæ non declinatæ, ut in *paluſtri*, in aliis.

Calyx ſeſſilis fere, coloratus, anguloſo-tubuloſus, conicus, incurvus, piloſus, hiſpidus, quinque dentibus patentibus inſtructus, quorum inferiores duo minores ſint tribus ſuperioribus maioribus: medio maximo omnibus ariſtatis.

Corolla purpurea.

Tubus brevis albus.

Faux prælonga, purpurea, anguloſa, dorſo leviter piloſa.

Galea integra, margine ciliata fornicata, cochlearis forma.

Barba magna, ampla, longa, lineis albentibus, picta lacinias latere duas obtuſas habet, reflexas plerumque: media productiore crenata, aut emarginata, ſulco percurſa.

Obſervatio I. Floris odor non ingratus in plantis ad aquas natis.

Obſervatio II. Stamina duo deflorata conſtanter ad latera faucis deflexa obſervavi, ut hæc recte characterem ſuſtineat.

Obſervatio III. In planta ex ſylvis ſubalpinis allata, quam nunc coram video, calyces admodum piloſi, nigredine fere ſphacelati, verticilli caulini conſtanter 14. 15. flori, ramei 8-flori. Galea ſubinciſa. Barba non lineis picta, ſed polline ſeminali albo polluta.

3) *Stachys paluſtris.*

Stachys foliis ſubhirſutis ellipticis ad baſim emarginatis, verticillis ad 10-floris.

Stachys aquatica. TABERN. p. 577. *bona icon.*

Stachys paluſtris. RIV. T. 26. fœtida. C. B. *pin.*

Ad aquas *Herrnals*, glabro lucente folio in *Brigittau.* in *Brader.* &c.

Caulis ſylvaticæ altitudine, etiam hanc multo ſuperans, craſſior, quadrangulus, aſper, non adeo longo, ut hæc villo, ſed minutulis ſpinulis obſitus, coloratus, ex imo ramoſus.

Folia ſeſſilia auriculas ad caulem reflexas habent, inde longe lanceolata ſunt, ſerrata ſerris tenuioribus, dorſo ſæpe aſpera, ſæpe minus.

Verticilli

Verticilli longe magis, diſſiti, ſpicis non adeo longis.

Bracteæ coloratæ villoſæ, ſerratæ reflexæ.

Calyx ut in ſylvatica idem.

Flos dilute magis purpureus, non odorus.

Tubus, *Faux* eadem fere.

Galea fornicata, modo integra modo emarginata.

Barba ampla, lateralibus partibus, quam in *ſylvatica* minoribus, reflexis: media ampliſſima, modo emarginata, modo crenata ſolum, ſemper vero plurimum picta.

Obſervatio I. Plantam totam hiſpidam & ſpinulis rigidam in loco natali miteſcere in horto video, etiam tomentoſa lanugine fere veſtiri. Adhæc in horto culta barbæ ſegmentum maximum nunquam emarginatum habuit, quod neque adeo evidenter emarginatum deprehendatur in *germanica*, ut incertum Stachydis ſignum adduci poſſit; ſed neque labium hoc emarginatum eſt plantæ in loco natali creſcenti, id enim modo integrum, modo argute crenatum, modo ad anteriora, ut in Nepetis flexum, modo poſtrorſum actum cerno. *Folia lineari lanceolata* LINNAEI quid?

4) *Stachys lanata.*

Stachys foliis tomentoſis, albis, caule lanato verticillis denſiſſimis ad baſim exſectis longe decreſcentibus.
Stachys montana. RIV. T. 27. *optima.*
Stachys folio denſiore candicante ſerrato & acuto maior. MOR. III.
Stachys foliis oblongo cordatis, floribus verticillatis. ROY.

In paſcuis ſylvaticis *Leopoldiberg*, qua deſcenſus eſt in *Clauſtroneoburgum*, in cedua ſylvula *Gatterholtz.*

Caulis variabilis altitudinis pedem unum cum dimidio, ad quinque altus, inſigni ratione cum quatuor ſulcis quadrangulus, lana molli albiſſima ſplendente obſitus, vel ſimplex eſt, vel ramoſus, nivea medulla farctus.

Petioli foliorum rigidi, canaliculati, trianguli, eodem modo lanati producunt folia cordato-lingulata, venoſa verrucoſa ſalviarum quodammodo foliis ſimilia, ſerrata ſerraturis ſubimbricatis, ſuperne triſte viridia & piloſa, inferne magis lanata fœtidi odoris.

Verticilli multiflori ad quadraginta in ſua definitione habet LINNAEUS, plurimi, bracteis lanatis reflexis in fine ſpinulis acutis ſuffulti.

Calycis anguloſi lanati, quinque dentes, rigidi, reflexi: tribus ſuperioribus latioribus.

Corollæ tubus breviſſimus.

Faux oblonga deorſum gibba.

Galea aſcendens dorſo lanata, facie purpurea, fornicata eroſa, aut emarginata aut bifida.

Barba trifida, lateralibus partibus reflexis; media longiore aliquando emarginata.

Obſervatio. Hoc genus male diſtrahitur ex Galeæ integra, aut bifida natura.

Stachys alpina? * *Enumer.* * Elenchus.

Stachys foliis auriculato cordatis: galea intus piloſiſſima; ſtaminibus poſticis uncinato-pedatis.

Stachys foliis hirſutis ſpicam diſtinguentibus, obſcuri coloris, imis cordiformibus. HALL?

Stachys alpina. LIN.?

In *Gans* prima botaniſatione.

Caulis quadrangulus nitidus ſæpe livida purpura, lata plaga perfuſus, cubitalis, brachialis, & altior eſt, erectus, ſimplex, vel ramoſus.

Folia radicalia longo, firmo hirſuto, aſperoque petiolo exorta baſi exciſa quaſi auriculata, longe cordata ſunt; rugoſa hæc hirſuta, venoſa, circumcirca ſerrato-dentata ſunt, dentium apicibus emarceſcentibus ſæpe, unde forte ſerraturas apice cartilagineas non recte dixerit LINNAEUS, dum ut in ſaxifragis maxime cotyledone ſerraturis cartilaginis & roboris hic nihil eſt.

Folia caulina præcedentibus ſimilia, floralia vero petiolata, baſi non exſecta, magis lanceolata ſunt & ſerrata, ſerraturis magis acutis.

Verticilli denſiſſimi ſetis piloſis ſurſum incurvatis coloratis hiſpidi.

Calyx inſidens erectus, unifolius tubuloſo-anguloſus angulis piloſis, in quinque breves rigidas piloſas ariſtas ſectus eſt, quarum inferiores duæ tribus ſuperioribus longiores ſint.

Corollæ ringentis tubus, ſi a loco inflexionis faucis initium ſumas, breviſſimus; galea incumbens magis, quam erecta hirſuta, margine alba

barba

barba ciliata, bifida, cornubus laciniatis. Intus tota barbata piloſa eſt, ut etiam ſtamina & antheras abſcondat & coerceat.

Barba trifida eſt, ſegmentis lateralibus minoribus reflexis, medio maximo in centro canaliculato margine toto crenulato & lateribus deflexo: omnibus debiliter purpuraſcentibus & linea una ſanguinea pictis: medio non emarginato.

Stamina quatuor, quorum duo anteriora breviora ex angulis faucis oriuntur, duo poſteriora profundius poſtica parte exorta principia uncinata recurva, libera habeat, quod aliis in ſpeciebus me obſervaſſe non memini.

Obſervatio. In hac planta mira confuſio. Foliorum ſerraturas apice cartilagineas habet LINNAEUS, nec HALLERUS, nec alter ſcriptor meminit, nec ego invenio, ni alias cartilaginei ideas induam. Verticillos duodecimfloros caule villoſo habet LINNAEUS, *Hort. Upſal.* denſiſſimos dicit HALLERUS, ego inveni; caulem villoſum non vidi nec meminit HALLERUS. Floralia folia iterum ovata habet LINNAEUS, quæ non invenio, nec HALLERUS habet. Labium corollæ planum dicit LINNAEUS, non meminit HALLERUS, nec conſtans eſt, licet ob denſos verticillos, quibus labium incumbit non adeo in lateribus dimitti poſſit. Medium ſegmentum emarginatum vidit HALLERUS, in noſtris non fuit. Synonima *creticæ* LIN. *alpinæ* HALLERUS adiecit, definire nihil poſſum. Mea ab illa LINNAEI, HALLERI in eo recedit, quod galeam habeat pilis, qui ſtamina recondant abſcondantque, refertiſſimam, crura in ſtaminibus poſterioribus duo, unde ex natura plantæ definitionem duxi.

Obſervatio II. An non ex hac planta novum genus conſtitui debet? dum in aliis congeneribus nec pilos in cavo galeæ, nec ſtamina poſteriora crure inſtructa invenio.

519. NE-

519. NEPETA.

CHARACTER. *Calyx* 5-fidus. *Galea* erecta. *Barbæ* trifidæ alæ reflexæ, medio ſegmento quaſi petiolato deſcendente, ſolitario, maiore, concavo & undique circumſerrato. Sunt qui barbam indiviſam velint, & alas has ad fauces ſpectare dicant, res in idem redit, modo ſciatur.

1) *Nepeta paniculata.*
Nepeta foliis cordatis petiolis obſolete crenatis, floribus paniculatis.
Nepeta caule paniculato, pedunculis partialibus ramoſis multifloris. ROYEN. *prodr.*
Nepeta pannonica maior & elatior. MOR. III. *Sect.* 2. T. 6. F. 6.
Mentha montana verticillata C. B. *pin.*

Caules quadranguli, ſulcati, erecti, geniculis fere æquidiſtantibus, & membrana ex petiolo orta cinctis, geniculati ramoſi ramis paniculatis, & multum folioſi.

Folium ex brevi petiolo ortum, primo cordis aliqua forma exſectum, ſæpe alis caulem tegit, & quaſi amplectitur, dein oblongum fit, anguſtiore fine. Eſt igitur cordato-oblongum, ſuperne obſolete & triſte, inferne obſoletius & dilutius viride, ora manifeſtius ſerrata.

Spicæ floriferæ aliquando ex rubro coloratæ, pedunculos habent ramoſos, multifloros, etiam foliolis ſeu bracteis ſuffultos.

Calyx ſtriatus, cylindricus, dentibus quinque ultra cylindrum exſtantibus factus, leni pube obſitus, erectus.

Tubus dentibus calycinis longior, incurvus, leniter pubeſcens in meis.

Galea ſurrecta, emarginata auriculis reflexis cordiformis.

Faucis auriculæ duæ reflexæ, ad latera rimæ punctatæ punctis ex cæruleo in purpureum deliqueſcendibus. Hæ vero auriculæ pro lateralibus partibus barbæ ſumuntur.

Barba punctata, piloſa, concava, ora antrorſum undique elevata & ſerrata, magnitudine alias partes ſuperans.

Odorem gentis, ſylveſtrem ingratum habet.

Obſer-

Digitized by Google

Obſervatio. Stamina deflorata ad latera conſtanter video, ut inde cum ſtachydibus confundi poſſit, maxime cum etiam hæc Nepeta labium inſerius lateribus reflexum habeat, ſic video etiam hoc anno 1763. ſtamina ad latera deflexa in Betonica alopecuros.

2) *Nepeta Cataria.*
Nepeta foliis cordatis, petiolatis, verticillis ſpicatis ſubpedicellatis: corollarum labio ſuperiori papilionaceo.
Herba gattaria. MATH. p. 719. *bene.*
Nepeta. RIV. T. 52.
Nepeta ſeu mentha cataria. BLACKW. T. 455.
b. Mentha cataria minor. * Enumer. * Elenchus.

Prima circa *Viennam.* b. in ſcopulis *Durrenſtain.*

Caules quadranguli, molliter hirſuti, ramoſi ramis patentibus.

Folia oppoſita, longa, petiolata petiolo craſſo hirſuto, modo anguſtiori, modo retuſiori apice obcordata, ex nervis rugoſa, & latis ſerris margine ſecta, obſoleta, quia pulvere frequenter aſperſa.

Flores verticillati verticillis pedunculatis, angulis petiolorum folioſorum inſiſtentibus, & iuxta caulem erectis ſubcymoſis, bracteatis.

Calyx primo cylindricus, ſtriatus, hirſutus, ſubbilabiatus, labio ſuperiori trifido, inferiori bifido: laciniis piloſis: pilis ciliaribus evidentioribus, dein vero conicus magis evadit.

Corolla ample ringens, albida punctis rubris intus picta: tubo longitudine calycis: fauce ampliata: labio ſuperiore, ut in papilionaceis, vexilliformi ſatis profunde emarginato, lateribus reflexis: labio inferiori in plures portiones ſecto: lateralibus duabus faucis patentibus, ſemicircularibus reflexis: *Media barbæ* in centro aggere piloſo prædita, dein concava, ora undique elevata, & manifeſtius ſerrata.

Stamina & piſtillum approximata, & quaſi in unum faſciculum collecta, carnei coloris.

Antheræ ex atra purpura colorantur reniformes.

Pollen feminale ochroleucum.

Obſervatio. Planta b. ſeu mentha cataria minor ramoſa non eſt, pedem & ultra alta, caule fere toto purpureo, molli pube tecto, foliis molliſſimis rugoſis hinc inde ex purpura maculatis. *Calyx* circiter 17. ſtriatus, hirſutus, prioris; primo cylindricus, dein urceolatus dentibus pur-

Digitized by Google

puraſcentibus plumoſis ariſtatis. *Galea* erecta multum emarginata, ut quandoque duo galeæ ſegmenta dentata adhuc appareant. Barba maniſeſtioribus 6. aut 7. dentibus pectinata fere reliquis omnibus partibus amplior, concava. Maculæ purpureæ ut in priori & faux & laciniæ faucis. Planta erat odoratiſſima odore calaminthæ montanæ, ſed gratiori.

522. MARRUBIUM. BALLOTE 521.

CHARACTER. *Calyx* hypocrateriformis, ſeu 5- aut 10-dentatus, ſemper 10-ſtriatus, cum conſtanti una in utroque harum notarum præſentia. Verticillorum nempe involucris linearibus, aut galea ſuperiori recta ſemibifida.

Verticillorum involucris linearibus, galea concava crenata.

1) *Marrubium nigrum.*
Marrubium foliis cordatis, indiviſis, ſerratis, calycibus acuminatis.
Marrubium nigrum ſ. Ballote. BLAKW. T. 136.
Marrubiarſtrum. RIV. T. 65.
Marrubiaſtrum nigrum fœtidum. C. B. *pin.*

In fruticeto ſylvulæ *Simmering*, *Incersdorff*, in *Au-garten*, in horto Principis *Schwarzenberg* inter carpinos, ubique ad domos, ruderata.

Caules quadranguli 3. 4. pedum, hirſuti, aſperi, cavi, medulla alba farcti, geniculis diſtantibus coanguſtati, medio rariter ramoſi.

Folia petiolata petiolo canaliculato hiſpido, nervoſa, molliter hirſuta, triſte ſuperne, inferne dilutius viridia, baſi integra obcordata, ſerrata ſerris adhuc denticulatis, & ſuperioribus inferiores decuſſantibus, & fere uno latere poſitis: altero aut nudo, aut certe ſubnudo.

Pedunculi ſemiverticillati, alterno ordine diſpoſiti, folia floralia ſubjecta habent, & anteriori facie ſetas lineares etiam villoſas, recte ut in Clinopodio, licet numero pauciores, in involucro dimidiato.

Calyx hypocrateriformis decem-ſtriatus, 5-dentatus dentibus ariſtatis.

Tubus longitudine calycis coloratus.

Galea

Galea nec erecta, nec ovata, licet ita in charactere generico præſcripſerit LINNAEVS, ſed procumbens quaſi, & quadrato-concava: latere ſupremo emarginato, ſuperna facie piloſa.

Barba trifida, lacinia intermedia orchidea, purpurea ſtriis albis picta, fine ſurſum reflexo, in meis emarginato.

Obſervatio I. Ballotam involucrum Clinopodii, calycem Marrubi, corollam ſtachydis habere, hinc Marrubio proximam eſſe in nota characteris generici reliquerat LINNAEUS. Ego vero ex triplici ratione coniungo I. ex habitu. II. ex involucro verticillis ſubiecto, quod plurima LINNAEI Marrubia habent, & III. ex calyce decem-ſtriato & 5-dentato.

Obſervatio II. Differt Marrubium a Clinopodio, cum quo confundi poſſet. I. Calyce 5-10-dentato, quod Clinopodio bilabiatum ſit, & nunquam decem ſtriatum.

Verticillorum involucris præſentibus, aut abſentibus, galea erecta, ſemibifida.

2) *Marrubium vulgare.*

Marrubium dentibus calycinis ſetaceis uncinatis, medio corollarum ſegmento orchideo.

Marrubium Omnium fere. MATTH. p. 828. *bene*, vulgare. CLUS. *Hiſt.* II. p. 34.
Marrubium ſeu praſium album. TABER. p. 539. *icon bona.*

Caules multi, quadrati, lanati, folioſi, erecti, ramoſi, cubitales & ultra.

Folia lato canaliculatoque petiolo orinnda, ex ſubrotundis acuminata, reflexa, ſordida, admodum rugoſa, & ſerris inflato-cincinnatis ſerrata, villoſa.

Verticilli denſiſſimi ſedent in petiolis foliorum ſatis longorum: involucro piloſo equiſeto, ſeu denticulis ſetaceis adhuc ſuffulti.

Calyx piloſus decem-dentatus, dentibus albentibus, reflexis, alternis minoribus.

Corolla alba: longo tubo cylindraceo, fauce tubuloſa.

Galea aſſurgens in triangulum, cuius apex biſurcetur.

Barba latior reflexa ſemitrifida, laciniis lateralibus minoribus extantibus: media latiſſima orchidea, in medio elevata lateribus depreſſis ora crenata.

Stamina & piſtillum non facile videntur, profunde in tubo hærentia.

3) *Marrubium peregrinum.*

Marrubium foliis ovato-lanceolatis ſerratis, calycum denticulis ſetaceis, corolla lanuginoſa parva.

Marrubium alterum pannonicum. CLUS. *Hiſt.* II. p. 34.

Marrubium album latifolium peregrinum. C. B. *pin.* & varietas anguſtifolium Eiusdem, &

Marrubium creticum. DALEC. *hiſt.* 952.

Frequens ad *Belveder*, in vallo *Belveder* eundo ad portam S. MARCI.

Caules plurimi, ramoſi, admodum paniculati, tetragoni, lanuginoſi.

Folia varia: infima maxima, petiolo ſubinvolucrante orta, nervoſa, rugoſa, mollia tamen, margine circumſerrato brevi lanugine obſita: ſuperiora ex ovato-lanceolata, petiolata, infra medietatem ſerrata, ex viridi ſordide albentia, quaſi pulverulenta.

Rami ex foliis oppoſitis oppoſiti, ſurſum adſcendentes, longe nudi, & hi dein ramoſi ſæpe.

Verticilli non infrequenter diviſi 8-10-florum, fere ſeſſiles, licet exactius attendenti exiguo firmoque pedunculo nitantur, qui in calycum floralium fulcrum bracteas emittat firmas, hirſutas, & univerſales & particulares alias.

Calyx eadem lanugine ac tota planta indutus, 10-angularis, tubulatus in 5. dentes ſubulatos inæquales ſolutus, cum aliquot aliorum ſæpe etiam 5. rudimentis: imo vidi in multis decem dentatum calycem, alternis dentibus minoribus.

Tubus longitudine circiter dentium.

Corolla lanuginoſa, parva, alba.

Galea erecta bicornis.

Barba trifida: lateralibus ſegmentis patentibus, obtuſis, crenulatis, medio depreſſo latiori, aggere centrali elevato, percurſo, ora crenulato, raro emarginato, & auriculis lateralibus depreſſis, concavis, ita frequenter vidi.

Stamina cum antheris in fornice faucis hærent.

Germen corona piloſa coronatur.

Antheris

Digitized by Google

Antheris 4. calyce bilabiato,

524. SCUTELLARIA.

CHARACTER. *Calyx* ore integro poſt floreſcentiam ſquamula incumbente clauſo, operculato, & ſic Calyx galeam criſta & operculo repræſentat. *Galea* trifida caſſidea. *Barba* ſimplex.

1) *Scutellaria galericulata.*
Scutellaria foliis cordato lanceolatis, crenatis, floribus axillaribus.
Iudaicæ herbæ alia ſpecies. DOD. p. 93. *bene.*
Tertianaria. TABER. p. 375.
Scutellaria. RIV. T. 76.

Infra pontes Danubiales & in inſulis danubialibus.

Radix alba, fibroſa, tædioſe ſerpens, non craſſa.

Caules quadranguli, angulis acutis admodum geniculati, folioſi, ramoſi ſæpe, ex triſti purpura colorati, cubitales & ultra.

Folia brevi, firmo tamen & canaliculato petiolo hærent cauli, obcordato-lanceolata, baſi vix excavata, rariter ſerrata, venoſa, ſuperne profunde, inferne dilutius & glauce viridia.

Flores plerumque gemelli ex foliorum alis brevi pedunculo nixi, quaſi ſeſſiles, ſuberecti, longiſſimi ex brevi exiguoque calyce.

Calyx in florente planta monophyllus, tubulatus, breviſſimus, utrimque latere emarginatus, ſuprema parte ſquamula operculi vicibus fungente tectus: in fructificante bifolius, utrimque ex emarginatione modo dicta diviſus, operculo etiam ab alio foliolo dilabente, ita in notis invenio.

Tubus brevis ſurſum ad angulum flexus, cum fauce longiſſima, quam totam villoſam video, & anguloſe compreſſam ob adnata ſtamina.

Galea dilute cærulea, fornicata, caſſidea, incumbens, tripartita, ſegmentis lateralibus ad medium fornicatum emarginatumque reflexis & quaſi criſpato emarginatis, adſcendentibus.

Barba ſimplex, indiviſa, lata, medio ſemper, quandoque etiam lateribus emarginata, cum albis aggeribus ſulcum intercipientibus longitudinalem, maculis violaceis pictis.

Digitized by Google

Antheræ qua finduntur parte barbatæ, non defloratæ cordiformes, ſtaminibus modo nudis, modo barbatis.

2) *Scutellaria haſtifolia.*

Scutellaria foliis inferioibus baſi dentatis haſtatis, ſuperioribus ſagittatis, integerimis.

Scutellaria folio non ſerrato. RIV. T 77. mala

Scutellaria foliis integerrimis; inferioribus haſtatis, ſuperioribus ſagittatis. LINN. admodum male.

Ad aquas ex ſylva per vineas Ottakling defluentes

Radix exigua non multum fibroſa.

Caulis quadrangulus tenuis ſtriatus, vix niſi ad genicula villoſus, ramis axillaribus ramoſus.

Folia oppoſita exiguo petiolo hærentia, baſi lata, quaſi triangula in utroque baſeos latere ſemel, bis, terve dentata ſunt, cæterum integra & hæc quidem inferiora ſunt. Superiora angulos baſeos exſtantes magis habent nullo dente inciſa, unde ſagittata magis & integerrima, cæterum ſuperne profunde viridia, inferne pallide magis & multum venoſa.

Flores etiam axillares ſunt & plerumque bini ſedent cærulei, ut in priori ſpectabiles.

Calyx gentis colorata hirſuta.

Unguis tubi albidus brevis, ipſe tubus, quem iam ad faucem in præcedente numeravi, longiſſimus, cæruleus, hirſutus, anguloſus, ad angulum rectum ex ungue exortus, erectus.

Faux ampla anterius duabus foveis impreſſa.

Galea trifida lateralibus ſegmentis reflexis medio fornicato ſaturate cæruleis.

Barba indiviſa in medio elevata convexior, lateribus magis demiſſis, ſulcum medium & duas foveas habet, in anteriori parte emarginata, tota in meis cærulea.

525. THY-

525. THYMUS.

CHARACTER. *Calycis* bilabiati faux villis clauſa.

1) *Thymus ſerpyllum.*
Thymus floribus capitatis caulibus repentibus; foliis planis baſi ciliatis.
Serpyllum vulgare. DOD. *pempt.* 277. minus & maius, C. B. *pin.*
Serpyllum capitulis lanuginoſis. TOUR.

Vulgaris iu locis aridis valli *Belveder*, in paſcuis ſylvulæ *Simmering*, & alibi.

Caules tenues, colorati, pubeſcentes, decumbentes, ramoſi, foliosi.

Folia petiolata, ex ovatis utrimque acuta, aut fine magis obtuſo deſinentia, a petiolo aliqua longitudine ciliata ciliis albis, cæterum glabra, & nervo vix multum depreſſo plana.

Flores verticillato capitati.

Pedunculi colorati, pubeſcentes, ſimplices, & aliquando ramoſi.

Calyx villoſus, lineatus lineis coloratis, bilabiatus, labio ſuperiore trifido: inferno bifido: ſegmentis omnibus ciliatis, coloratis ſurſum verſis. Faux calycis villis albis clauſa

Tubus albus, lanugine obſitus.

Galea barba minor, concava, purpurea, villoſa, emarginata.

Barba trifida ſegmentis ſubæqualibus purpureis, maculis ſaturatioribus picta.

Antheræ didymæ purpureæ galeam longe ſuperant, & exſtant.

2) *Thymus acinos.*
Thymus floribus verticillatis; pedunculis unifloris, caulibus ſubramoſis, foliis ovatis utrimque acutis.
Clinopodium RIV. 43. vulgare CLUS. hiſt. I. p. 354. bene.
Acinos LOB. icon. 506.

Locis aridis ſiccis non infrequens etiam in *Caltenberg.*

Radix lignea, fibroſa, nigra.

Caules plerumque plures, inclinato-erecti pedem & ultra alti, inferne magis nudi & fere rotundi, ſuperne folioſi, quadranguli magis & aſperi, piloſi, in medio ſubramoſi.

Folia

Digitized by Google

Folia vel ex ovo, vel ex oblongo ovo utrimque acuta, venoſa, dentata, petiolata ad angulum rectum fere exſtant.

Fructificatio in medio caule ramoſa, in ſupremo vertice ſeſſilis, utraque verticillata, verticillis ſingulo folio ſubiectis, dimidiatis, quibus paleæ ad pedunculos ſubiectæ.

Calyx gentis ex incurvo gibbus, ſtriatus, piloſus, fauce barbata, in quinque dentes, quorum duo inferiores fere minores ſint ſectus.

Corolla cærulea longiſſimo tubo inſtructa, fauce inflata, galea emarginata incumbente, lateribus aliquando reflexis.

Barba trifida eſt: media ex fauce emergente lacinia duobus aggeribus albis piloſis diſtincta.

3) *Thymus montanus.*
Thymus verticillis ſubſexfloris; foliis obtuſiuſculis concavis ſubſerratis.
Clinopodium auſtriacum CLUS. I. p. 353. commode.
Acini pulchra ſpecies. I. B.
Clinopodium montanum. C. B. *pin.* TOUR. BOCC. Muſ. 2. p. 50. t. 45. & nullus alpinum dixit.

Abunde in montoſis Baden, Rodaun, Durrenſtain, Mödling alpibus, Schneberg

Radices admodum fibroſæ, multicipites.

Caulium ex inclinatis erectorum ceſpes; ipſi plerumque ex neglecta purpura colorati, quadranguli, villoſi, frequentiſſimis geniculis diſtincti, & conflexi, pedem etiam alti.

Folia ex petiolis caulem amplexantibus, longe petiolata, firma, carnoſa, modo rotunda & obtuſa, modo ex rotundis acuta, ſæpe argute ſubtiliterque ſerrata plerumque conflexo-concava.

Flores verticillati, verticillis infimis paucifloris, ſuperioribus magis confertis, floribus amplis. Verticilli autem ſunt 6. 8. flori.

Pedunculi ſolitarii non longi, firmi ſatis hirſuti paleis ſuffulti.

Calyx deorſum ventricoſus, dein incurvus, lineis eminentibus diſtinctus, coloratus, hirſutus, bilabiatus, intus totus villoſus.

Corolla ex purpura cærulea, hirſuta, longa, anguloſa, fauce inſtructa eſt: galea depreſſo erecta, bifida, ſegmentis rotundis: barba latiore patente trifida & ſæpe roſa ſegmentum medium latiſſimum emarginatum monticulos duos piloſos ad portas faucium habet.

527. PRU-

527. PRUNELLA.

CHARACTER. *Calyx* bilabiatus, mirus, auriculis auctus: labio inferiore plicatili? *Filamenta* duo longiora, bifurca, alterno apice antherifera.

1) *Prunella officinalis.*
Prunella foliis omnibus ovato oblongis, petiolatis.
Brunella. DOD. *pempt.* 136. I. non vulgaris. CLUS. *hiſt.* II. p. 42. *icon bona.*
Brunella flore maiore. RIV. T. 29. BLAKW. T. 24.
Brunella maior folio non diſſecto. C. B. *pin.*
β. Brunella cærulea magno flore. C. B. *pin.*

Ubique, etiam in aſperis *Türckenſchantz* & alpibus.

Caulis aut procumbens, aut ſubereclus, ſemipedalis, etiam pedalis, quadratus fere, ſed cum ſulco & aggere in lateribus ſibi reſpondentibus, hirſutulis ex atra purpura ſæpe coloratus.

Folia ovato-oblonga, petiolata petiolo amplexante hirſuto & longe canaliculato: floralibus tamen exceptis, in quibus deprehenditur communiter ala folioſa auctus. Cæterum ſunt hæc margine obiter ſecta, & inde dentata ſubhirſuta.

Flos e purpureo cæruleus.

Spica denſa: erecta hiſpida, foliis late cordatis mucronatis complicatis hiſpidis diſtincta.

Calyx in hoc genere mirus, pedicello erecto hiſpido ſuffultus, bilabiatus, plicatilis: labio ſuperiori ex gibboſitate aſcendente fine abſciſſo lato, aliquando crenulato, ſecto; tridentato, nervo in ſpinulam terminato; ex latere in facie anteriori dependent duæ auriculæ inferne, qua anteriori ſeu inferiori iunguntur labio, latiores ſuperne in angulo coniunctionis cum labio ſuperiori in ſpinulam terminatæ. Labium inferius in duas lacinias adſcendentes ariſtatas ſectum; dilapſo flore ad ſuperius accedit, naturaliter plicatile, ne ſemina elabantur, quæ continet quatuor; cæterum ſuperne gibbus calyx, ſtriis viridibus eminentibus aut purpureis percurſus, totus piloſus eſt, pilis albentibus.

Galea alta, fornicata, cuculata ex exiguo tubo, ſed ampliſſima & ventricoſa fauce, orta, nervum ſuperiori loco piloſum habet, & anteriorem marginem leviter emarginatum.

Oo *Barba*

Barba tribus facta laciniis: lateralibus auriculatis, deflexis: media latiore, emarginata, ſubdiviſa.

Obſervatio I. Staminum ſummitatem duo tubera habere video, an in his eſſentiam characteris ſundat LINNAEUS, dum dicit, *eſſentialis character conſiſtit in filamentis bifurcis?* videtur. Sed nunc etiam flores plures mox aperiendos deſtruo, & ſtamina ſimplicia eſſe, obſervo, non bifurca, ſed antheras didymas orbiculari placenta, cuius lateri ſtamen inſeratur, iunctas, an turgentibus antheris ſinduntur ſolum? videtur.

Obſervatio II. Brunellam cæruleam magno flore, quam noſtræ varietatem fecit LINNAEUS, ſeparavit *Helv.* p. 637. HALLERUS, & novam ſpeciem fecit, nec ſequendum LINNAEUM monet, ſi in cultu grandifloræ perſeverent; videtur fere ſententiæ HALLERI ſtandum, dum ipſe LINNAEUS laciniatam a priori ortam dicit, ſed ſtructura hodie perſiſtentem diverſam ſpeciem facit.

2) *Prunella laciniata.*
Prunella foliis imis integris, ſuperioribus laciniatis, parviflora.
Brunella folio laciniato. C. B. *pin.* RIV. T. 30.
Brunella II. non vulgaris. CLUS. *hiſt.* II. p. 43. &
Brunella verbenæ folio flore cæruleo. VAILL. *paris.* T. V. F. 1.

In paſcuis omnibus, præcipue circa *Lantz*, *Weidling*, *Ottakling*. &c.

Radix tuberoſa, exigua, multis fibris prædita producit folia multa petiolata: petiolis canaliculatis hirſutis coloratis, ovato-oblonga, acuta: nonnullis integris, aliis dentatis, hirſuta omnia, ex altera vero parte.

Caules aliquot, duos, tres plerumque, qui ex curva ſubrecti, craſſiuſculi, hirſuti multis geniculis diſtincti ſint, tetragoni: angulis vel ſolis coloratis, vel caule toto purpuraſcente.

Folia caulina laciniata, obſcura cornucervi figura, hirſuta, craſſa.

Spica globoſa.

Bracteæ ut in præcedenti cordatæ totæ, vel margine coloratæ, ad gutturnium dentatæ.

Calyx, ut in præcedenti, mirus.

Flos niveus, aut ochroleucus, ſubrectus.

Corolla ringens, ex tubo lateſcens in anguloſam & depreſſam faucem.

Galea

Digitized by Google

Galea longe producta inferne ad faucem utrimque plicata, inde cucullum facit ſuperna parte breviter emarginatum, dorſo villoſum.

Barba in tres partes ſecta lateralibus obtuſis leviter depreſſis: media ampla circumcrenata, elevata ut in Nepeta, ita quidem, ut nulla cum Nepeta differentia ſit, niſi quod præterea in medio exſecta ſit.

Stamina uno crure libero, altero antheras ſuſpendunt.

Obſervatio I. Flores in ſummo vertice florentes cavum ſæpe intercipiunt calvum, ſquamis floralibus inferne tabulatum.

Obſervatio II. Operæ pretium eſſet, ut Autoptæ *Hyſſopifoliam* examinarent Prunellam, quoad calycem, ut inde character magis firmari huius generis poſſit.

529. DRACOCEPHALUM.

CHARACTER. *Calyx* bilabiatus. *Corolla* ringens. *Faux* inflata: labio ſuperiori concavo.

1) *Dracocephalum auſtriacum.*

Dracocephalum floribus ſpicatis, foliis bracteisque linearibus, partitis, ſpinoſis.

Hyſſopus auſtriacus magno flore, folio Chamæpithys. HERM. *Lugdb.*

Chamæpithys auſtriaca. CLUS. *hiſt.* II. p. 185. *icon.*

CLUSIUS loco citato deſcripſit, ubi invenerat, poſt hunc virum nulli bona fide viſa eſt. Nolui tamen auſtriacum civem, quanquam non cognoſcam, iure incolatus defraudare.

Digitized by Google

531. ORIGANUM.

CHARACTER. *Involucrum* ſpicatum bracteis imbricatis ovatis coloratis, ſ. ſtrobilus tetragonus ſpicatus calyces colligens.

Obſervatio. Hæc involucra dant evidentius faciliusque generis ſignum, quam & artificioſe & anxie quæſita aliqua fructificationis pars.

1) *Origanum vulgare.*
Origanum ſpicis umbellatis paniculatis, bracteis ovatis calyce parum longioribus.
a. Origanum ſpicis folioſis breviſſimis coloratis umbellatis. HALL. *Helv.*
Origanum RIV. T. 60. BLACK. T. 280. vulgare. CAM. Epit. 469.
b. Origanum ſpicis folioſis brevibus decoloribus, umbellatis, floribus albis.

In aſperis ſylvulæ *Gatterholtz* abunde, in *Baden.* b. rarior cum priore.

Radix horizonti fere parallela, lignoſa, nigra, multum fibroſa.

Caules erecti cubitales, brachiales, admodum folioſi, & ſuperne multum ramoſi, quadranguli, non teretes, villoſi ſæpiſſime purpurei.

Folia petiolata, oppoſita, integra ex ovatis acutiora, ſuperne atræ viriditatis, inferne margineque ſubcana, leuiter hirſuta, nervoſa.

Spicæ in ramis erectis firmis folioſis ramoſis capitato-umbellatæ, in noſtris minime laxæ, ſed confertæ & paniculatæ.

Bracteæ ovato-acutæ, hirſutæ, ſæpe coloratiſſimæ calycibus ſubiectæ, & his vel pares vel parum longiores, hinc inde tamen etiam invenias minores.

Calyx tubulatus hirſutus, cuius quinque dentes purpuraſcant ut bracteæ, dum faux eius piloſa eſt.

Corolla ringens extus hirſuta, rubra carnea tubo ſuo calycem ſuperat.

Galea barba minor, incumbenti-erecta, plana, emarginata, non cordata.

Barba fauce ampliſſima patente trifida laciniis ſubæqualibus media productiore argute crenulata conflatur.

Stamina galea longe maiora.

Antheræ

Antheræ in ſingulo ſtamine mediante divergente crure articulatæ, duæ, hinc in ſtaminibus quatuor, antheræ octo ſunt. Aliter ſcribere non poſſum, quam video, & neſcio, cur LINNAEUS ſimplices dicat. Cæterum emarcidæ contrahuntur & ad ſe accedunt.

b. Origanum ſpicis decoloribus umbellatis; floribus albis.

Nemo habet & æque a ſocio vulgari diſtinctum eſt, ac ſalvia nemoroſa a ſylveſtri, quæ tamen ſtirpes, ut iam ante monui, male diſtinxit LINNAEUS. Huius hæc deſcriptio eſt.

Caulis prioris, ſed poſtrato-erectus ex pallido ſemper albens.

Folia eadem.

Spicæ eodem modo ſe habent, ramis pedunculisque non coloratis, ſed albentibus.

Bracteæ eædem, ſed virides & tales permanentes.

Calyx idem, ſed nunquam coloratus.

Corolla eadem, ſed nivea.

Antheræ etiam hic octo.

532. CLINOPODIUM.

CHARACTER. *Involucrum* verticillorum ſetaceum aut lineare. *Calyx* bilabiatus. *Galea* emarginata. *Barbæ* lacinia maior emarginata.

1) *Clinopodium vulgare*

Clinopodium foliis ovatis acutis, capitulis ſubrotundis, denſiſſimis diſſitis, bracteis ſetaceis.

Clinopodium RIV. T. 43. CAM *Epit.* p. 563.

Clinopodium origano ſimile elatius maiore folio. TOUR.

In fruticoſis ſylvulæ *Simmering*, *Incersdorff*. *Brigittau*, ut etiam in aſperis *Badenſibus*.

Caules erecti tetragoni molliter hirſuti, ſubincani, intus cavi, & alba medulla farcti, unius, duorum, trium pedum altitudinis, geniculis diſtantibus cincti, haud longis brachiis inſerne ramoſi.

Folia petiolata (petiolo & foliis molliter hiſpidis) ſuperne profunde viridia, inſerne albentia magis, ex ovatis acuta, quaſi integra baſi

Digitized by Google

longe cordiformia, obſoletis rariſque crenulis ſecta, nervoſa, aliquando maculata.

Verticilli inter lata folia denſi, imbricati, pedunculis inſident ramoſis, bracteis ſuffultis & involucro multifeto, plumoſo inſtructis.

Calyx bilabiatus: labio ſuperiore trifido, ſurſum flexo: inferiore bifido etiam ſurſum flexo: dentibus inferioribus longioribus; cæterum ſtriatus eſt, coloratus, incurvus, piloſus: pilis hiſpidis ſplendentibus iuxta angulos ex ordine enatis.

Flos dilute purpureus: Galea lateribus reflexis ſurrecta, emarginata: barba ſauce admodum piloſa, trifida, medio ſegmento maiore crenulato.

Tubus ſenſim in faucem explicatur.

Faux dilatata, piloſa, picta.

Galea fornicata, erecta, emarginata, lateribus reflexis.

Barba trifida, ſegmentis lateralibus latis, leniter deflexis, medio latiore, emarginato, concavo.

Stamina quatuor minora in fornice, maiora in fornicis margine.

534. MELITTIS.

CHARACTER. *Calyx* bilabiatus. *Galea* plana. *Barba* crenata. *Antheræ* per paria in crucem conniventes.

Obſervatio. Coniungenda eſt glecomati, calycis 5-fidi & bilabiati diviſionibus ſublatis, nunc vero ab eo ſatis diſtinguitur poſita hac diviſione & deſcriptione calycis & corollæ.

1). *Melittis Meliſſophyllum.*
Lamium pannonicum primum verſicolore flore. CLUS. *hiſt.* II. p. 37.
Meliſſa. CAM. *Hort.* p. 99. *icon bona.* Nro. 30.

In ſylvula *Gatterholtz* abunde, aliis etiam ſylvis apricis & fere ſemper ad ſylvarum margines.

Caules quadranguli, firmi, erecti, cubitales & ultra, hirſuti, modo ſimplices, modo parum ramoſi.

Folia foliis Meliſſæ ſimilia, ex ovatis acuminata, ſerrata, multum venoſa, ſuperne inferne hirſuta molliter, firmis coloratis petiolis erecta.

Flores

Flores in multis ſpeciminibus ſemiverticillati, in aliis inferne ſolum, ſuperne minus, dum inferne 5. 6. ſuperne ſolum 2. 3. numerare potes, id vero varium eſt.

Calyx petiolo hirſuto, arcuato ſæpe, craſſoque ob floris & calycis gravitatem ſuſtentatus, amplus, bilabiatus, in tres latas lacinias ſectus eſt: ſuperiore ampliſſima, ſolitaria, in medio leniter ſecta, crenulata, dentata: duabus inferioribus ſociis variantibus aut crenulatis aut ſimplicibus, brevique exſtante ariſta terminatis; cæterum externe piloſus eſt, ampliſſimus calyx interne glaber. Notandum eſt, calyces poſt floreſcentiam in integrum colorari & obſoleta purpura perfundi.

Flores totius gentis maximi, ex longiſſimo capacique ſatis tubo hirſutulo albido & venis purpureis picto oriuntur, ex albo purpurei.

Faux picta lineis albis purpureis intermixtis.

Galea fornicata incumbens alba purpureis venis percurſa, aliquando tamen tota alba eſt.

Barba tribus laciniis facta, lateralibus amplis ſatis & purpura ſæpe tincti: media ampliſſima, rotunda ex cæruleo purpurea undulata, & quaſi crenulata & hæc pars floris vel maxime colorata eſt, ſubtus albida.

Antheræ cruciatæ leniter citrinæ, polline albo granuloſo variegatæ.

Obſervatio. Vidi hoc anno flores totos niveos.

535. MELISSA.

CHARACTER. *Calyx* bilabiatus ½ angulato campanulatus ſupra planus. *Corolla* ringens labii inferioris lacinia media obcordata.

1) *Meliſſa calamintha* offic. * *Enumeratio.*
Meliſſa foliis obtuſe cordatis caule ex inclinato erecto, panicula ſpicata terminato, an bene?
Calamintha montana DOD. pempt. 98. icon. BLACKW. T. 166.
Calamintha RIV. T. 46. maioris plantæ & in horto cultæ, ut cognoſci non poſſit, ut potius folio incano noſtram referat T. 47 cui etiam Calamintha CAM. Epit. Pag. 481. ſimplior ſit, ſed iterum maior eſt illa RIVINI. alia ſynonima ob difficultates inextricabiles non addo.

In ſaxoſis lapidoſis ſemitis ſimulque glaceoſis circa Etſcherum.

Caules

Caules ex inclinatis erecti, quadranguli hirſuti, inferne dilapſis foliis obſcura nigraque purpura rubentes, medio (ſi ſint) ramoſi ramis oppoſitis brachiatis; cæterum admodum folioſi. Vidi tamen etiam ex procumbentis caulis geniculis primis admodum ramoſos, ramis caulis unde orirentur altitudine, craſſitie, ſoliditate.

Folia petiolo hirſuto orta oppoſita, obtuſe cordata adeo nervoſa, ut fere rugoſa ſint & iuxta nervos inciliato margine elliptice ſerrata, utraque facie hirſuta, inferiori tamen magis, iuxta nervorum decurſum piloſa, punctisque impreſſis, ut in viti idea gaudentia, poſt pluviam quaſi profundo viridi vernice ſplendentia; hæc pedunculatos ſemiverticillos ſuſtinent, dein decreſcunt bracteata, in ultimo fine evaneſcunt.

Pedunculi axillares villoſi, dichotomi, foliis minores in dichotomia medium plerumque florem educunt recte, ut in ſcrophularia aquatica. Pedicilli ex pedunculis orti ſtipulis fulciuntur hirſutis.

Calyx manifeſte bilabiatus labio ſuperiore tridentato dentibus minoribus, inferiore bidentato: maioribus plumoſis. Eſt cæterum ſtriatus hirſutus coloratus ſubcampanulatus fauce paleis piloſis obſita.

Corolla longo ad faucem tubo hirſuto albo inſtruitur, fauce dilatato-anguloſa, maculis cæruleſcentibus aſperſa.

Galea ex incumbenti parum lateribus reflexa, ſubrotunda, emarginata cæruleo colore perfuſa.

Barba tribus latis partibus facta iisque patentibus, media maiore in faucis aggeribus barbata; maculis purpureis picta, inferne emarginata, ut retuſe cordata videatur.

Antheræ in modum crucis ſibi applicatæ cum punctis oſſeis ſæpe.

Obſervatio. Omnibus nunc perpenſis merito quæri poteſt, quæ hæc ſit Meliſſa? utique nec meliſſa *calaminthæ*, nec nepetæ definitionem ſuſtinet, dum hæc eſt *pedunculis axillaribus dichotomis longitudine foliorum*: & altera *pedunculis axillaribus dichotomis folio longioribus, caule procumbente* LINNAEI. An iam obſervavit HALLERUS, pedunculorum foliorumque longitudinem variare, quod inde definitionem non ſumpſerit? certum eſt, in exemplaribus mearum plantarum ſiccarum olim collectarum pro diverſa ætate, modo maiores foliis pedunculos, modo minores ad ſummum floribus æquales videri, hinc incertas has notas omitti debere, dum

Digitized by Google

dum etiam Meliſſæ calaminthæ diſcrimen in foliis quæreret HALLERUS in hunc modum

> Calamintha foliis ex ovatis acuminatis; caule erecto panicula ſpicata terminato.

Aliam vero *Nepetam* dictam.

> Calamintha foliis ovatis obtuſis caule procumbente.

Sed an bona fide Meliſſa *calamintha* & Meliſſa *Nepeta* differunt? iudicent autoptæ & meliora ſuppeditent diſcrimina. Interea obſervabo caule recto priorem *calaminthæ* nomine, officinalem LINNAEO C. BAUHINI forte authoritate moto dici, dum *nepetam* caule decumbente, qui bene de officinalibus meruit plantis, & quem LINNAEUS ſemper alto deſpicit ſupercilio BLACKWEL, officinalem facit, & ea, quam nunc deſcripſi, caule ex inclinatis recto in noſtris officinis recipiatur. In hac confuſione vix non omnia ſynonima reieci, ut quæ hanc *perſonant* ſtirpem, ſubtilitates definitivæ evitentur, eaque officinis illibata ſervetur. Ergo

> Calamintha montana vulgaris LOB. icon 513. quo ad folia optima, ſpicam in planta adultiori non iuniori, ſed nonne & hæc caules ex inclinatis erectos habet, ut vicina *Calamintha altera odore gravi pulegii, foliis maculoſis.* Eædem icones ſunt DOD. pempt. 98.
>
> An Calamintha montana præſtantior flore purpureo BOCC. Muſ. T. 40? folium naturale bene, ſed glabram pinxit.
>
> An Calamintha RIV, T. 46? ſed is vir ſemper plantas in hortis cultas maiores pingit, hanc etiam glabram & folia ſuperficialibus nervis percurſa. Calamintha eius *fol. incano* T. 47. forma foliorum propior, ſed ita alta ramoſa in noſtris nunquam viſitur.

Digitized by Google

II. ANGIOSPERMAE.

DIANTHERAE

542. PINGUICULA.

CHARACTER. *Calyx* bilabiatus 5-fidus. *Corolla* ringens calcarata, *capſula* unilocularis ſemina tegens.

1) *Pinguicula alpina.*
Pinguicula calcare conico flore albo breviore.
Pinguicula flore albo CLUS. hiſt. I. p. 311.
Pinguicula nectario conico, petalo breviore *Flor. Lapp.* T. 12. F. 3. omnino mala, nec foliorum, nec florum forma. Nec exſtat bona deſcriptio.

Abunde in omnibus alpinis alpibus, inveni primo in *Schneberg*, dein *Etſcher*, ubi cicurata magis deſcendit etiam ad pagos, tum in Breyninis omnibus alpibus ſub pinaſtro.

Radix brevis fibroſa.

Foliorum late petiolatorum, craſſorum, pinguium, marginibus ſurſum convolutis ovato oblongorum roſula modo magis patens explicatis foliis & longitudinaliter ſtratis, modo ut flos martagon retrorſum in arcum convolutis globoſa magis.

Scapos 1. 2. 3. ad 7. vidi aphyllos unifloros diverſæ altitudinis vidi etiam ſpithamæos.

Calyx bipartitus, labio ſuperiori tripartito lacinia media maxima: inferiori bifido, aliquando ſolum quaſi emarginato.

Corolla irregularis ringens alba. Labio ſuperiori bilobo: lobis rotundatis; inferiori labio trilobo: medio maximo, aliis flavo colore tinctis omnibus fauce barbatis. Inferius cornu conicum antrorſum prominens horizonti parallelo inferiori labio minus.

Labium floris monopetali poſterius rotundo foramine pertuſum eſt, cui exigua incurvataque filamenta cum antheris flavis circumponantur per foramen hoc ſtigma ventilabriforme piloſo margine præditum intrat floremque totum ſuſpendit.

Capſula calyce tecta ovata apice fere compreſſa.

2) *Pingui-*

2) *Pinguicula vulgaris.*
Pinguicula calcare cylindrico flori violaceo æquali.
Pinguicula CLUS. I. p. 310. icon. OEDER. *Danic.* XCIII.

In udis pratis. *Himberr.*

Differentia patet & deſcriptione opus non eſt.

Calyce 5-fido.

539. GRATIOLA.

CHARACTER. *Corolla* 5-fida irregularis. *Stamina* duo fertilia: duo caſtrata. *Capſula* 2-locularis.

1) *Gratiola officinalis.*
Gratiola floribus pedunculatis; foliis lanceolatis ſerratis.
Gratiolata. MATTH. p. 697. *bene.* RIV. T. 105. BLAKW. T. 411.

In Inſulis danubialibus.

Radix alba repens fibroſa.

Caules inferne rotundi, ſuperne anguloſi, cavi, multis geniculis facti folioſi, glabri, recti, ramoſi, ſemipedales, pedales & ultra. Ramos invenio quadrangulos.

Folia oppoſita, lata baſi ſeſſilia & quaſi amplexicaulia, ima manifeſte trinervia, ex ovatis lanceolata: ramea lanceolata: omnibus maiori minorive longitudine argute ſerratis.

Flores ex foliorum alis uniflori, longe pedicellati, pedicellis tamen folio minoribus.

Calyx foliis acutis lanceolatis, ſeptem nunc conſtanter video: duobus exſtantibus ſuperiori facie magis patentibus: tribus ſub his poſitis & infimis duobus, an id ordinarium eſt?

Tubus longus, deorſum incurvatus ad extremitatem ſurgit calyce duplo omnino longior, anguloſus, coloratus, ſtriatus limbo 4-partito: lacinia ſuperiore latiore, emarginata, erecta, aliis ſufficienter patentibus etiam emarginatis.

Faux lutea, piloſa.

Stamina duo prolifera, lanugine alba prædita, brevia hæc, & craſſa: alia abortientia tenuiora, longiora.

Stigma compreſſum unciatum album.

Digitized by Google

543. UTRICULARIA.

CHARACTER. *Calyx* 2-folius. *Corolla* ringens anthirrinea ſeu mento-barbata & calcarata. *Capſula* unilocularis.

1) *Utricularia vulgaris.*
Utricularia calcare conico, ſcapo paucifloro.
Linariæ affinis paluſtris, millefolii folio lenticulato, flore luteo. MAGN. Hort. bonum nomen.
Lentibularia. RIV. T. 78. bene.

In paludibus *Brader* &c.

Caules longi, ramoſi copioſiſſimis foliis capillaribus multoties ramoſis aquæ innatant, his ad alas diviſionum inſident irregulares purpuraſcentes veſiculæ, quas nonnulli lenticulares vocant.

Scapus ex his extra aquam erigitur incurvato-erectus, aphyllos, ſuperne e purpura obſcura coloratus, rotundus, carnoſus. Spithama minor, ut in pediculari roſtrata L. ſubramoſus, racemum 2. 3. ad 7. florum gerens.

Pedunculi ſubpurpuraſcentes erecti, ſtipula ſpathacea involucrante utrimque aurita inferne cauli appreſſi, non minimi.

Calyx bifolius, foliolis obſcure purpuraſcentibus ovatis concavis: ſuperiori concavo magis & anguſtato, inferiori magis complanato corolla decidua adhuc perſtantibus.

Corolla pro plantulæ portione magna, amœne flava, ringens.

Galea plana lata, quaſi operculi vicibus fungens, parum hians, minime erecta aut obtuſa, ſulco in medio notata, lateribus modo plane incumbentibus modo aliquantulum reflexis, modo e contrario deflexis, pileum antrorſum acutum caput tegens repræſentans. Eſt hæc in vertice obliquo foramine ventricoſo & fornicato aditu perforata, alia ſane, quam in pinguicula, ratione, foramina in operculi concavitatem duo patent, in anterius piſtillum intrat craſſum rotundum ſtigmate ſquamoſo, lato, aperturam ſeu os ſtigmatis tegente, & tota circumferentia ciliato: in poſterius germinis globoſi lagenarii pars hiat.

Stamina arcuata inferius foramen conſtituunt omnino vulvæ ſimile, ſuperne ſuis apicibus ſuſtinent antheras, ſibi iuxta longitudinem adiacentes

centes duas, ad ſuperioris foraminis oſtium poſitas, longas & magnas ſatis.

Pars floris inferior evidentius maxilloſa eſt, mento linea media dividente impreſſo, inferne tuberculato lineis aurantiis picto. Ex mento medius per fauces ſulcus eſt, qui calcar poſtice ducat.

Barba ampla dependens anteriori facie terplicato-anguloſa & trifida, lateraliter minus longa, adſcendens poſtrorſum.

Calcar iuxta deliquium barbæ poſtica parte deſcendens paulo antrorſum verſum, conicum, lineis aurantiis pictum, aut obſcurioribus.

Obſervatio. Huius generis ſtructuram obiter deſcripſit LINNAEUS.

ANTHERIS 4.

Calycibus diphyllis, monophyllis bifidis quadrifidisque.

544. OROBANCHE.

CHARACTER. *Calyx* bifidus. *Corolla* ringens. *Glandula* ſub baſi germinis. *Capſula* unilocularis,

1) *Orobanche maior.*
Orobanche caule ſimpliciſſimo calycibus 2-3phyllis.
Orobanche maior caryophyllum olens. C. B. *pin.*
Orobanche I. CLUS. *hiſt.* I. p. 270. RIV. *irreg. monop.* T. 88.

Abunde in pratis ſterilibus ſylvulæ *Incersdorff*, in illis *Kaltenberg*, *Leopoldiberg* &c.

Radix bulbus ligneus fere, aut flaveſcens clava, breviter fibroſa, multum ſquamoſa.

Caulis ſimplex, plus minusve rectus ſolidus, craſſus, ex neglecta purpura rufus, adultus pube oblitus, ſquamis admodum laxis, piloſis, brevi emarcidis inſtructus, cæterum aphyllus, ſulcatus.

Spica floralis iunior denſa, ætate laxatur, ſuffulta ſquama piloſa, quæ vel floris longitudinem habeat, vel aliquando parum eam excedat.

Calyx in omnibus meis bene numeroſis ſpeciminibus duobus factus foliolis trifidis, lacinia media longiori, piloſa, colorata.

Flores ampli etiam hirſutuli ex albo flavent, aut leni ferrugine, aut profunde nigra rubedine perfuſi ſunt, & flavo polline conſperſi, bilabiati.

Digitized by Google

Tubus latus, craſſus eſt.

Galea fornicata, oram fimbriatam cincinnatamque quandoque in nullas, quandoque in aliquas partes diviſam, habet.

Barba evidentius in tria ſegmenta reflexa ſecta eſt, ora ſimili, lacinia media ampliore.

Stamina gentis.

Piſtillum ſtigmate bifido craſſiuſculo flavo; vidi etiam trifidum.

Ovarium ex ovato-acuminatum.

Capſula.

Obſervatio I. Calyx noſtræ plantæ non ſuſtinet definitionem LINNAEI, ut mirum ſit, tot floræ ſcriptores id non notaſſe. Gratum caryophyllorum odorem flores habent. In novis ſpeciminibus in Gatterholz lectis id denuo obſervo, calycem ſe habere, ut dixi, ita etiam ſe habere piſtillum, quod etiam in aliquibus quadrifidum video. Sunt præterea tres in iſthmo barbæ inferioris elevati & admodum colorati aggeres.

Obſervatio II. Cum inter hanc maiorem & lævem LINNAEI notas invenire haud certas potuerim, quæ certo diſcriminarent, volui lævem dictam ut varietatem ſubiungere; adeoque

β. Orobanche magna purpurea monſpeſſulana. I. B. II. *bono nomine.*
Orobanche caule ſimpliciſſimo lævi ſtaminibus exertis. LINN. *nomine vago, nec certo.*
Orobanche caule ſimplici, cæruleo; bractes brevibus. SAUV.

In ſabulo *Turckenſchantz* paſſim.

Radix, *Caulis*, *Squamæ*, prioris ſed totus habitus cereus magis leniter cæruleſcens, pube non adeo conſpicua, & quaſi in telam ducta, cuti accreta.

Spica floralis ſquama ſuffulciens eodem ſe habent ut in priori modo.

Calyx factus foliolis duobus, ovato acuminatis, concavis, hirſutis, idque frequentius, aliquando foliolum unum lineare inter hæc duo ſquamæ calycinæ inſidens inveni, rarius vero foliola trifida, ut in priori obſervavi.

Flores præcedentibus minores, profunde cærulei, valde hirſutuli.

Tubus, *Galea*, *Faux* cum plicis in fauce iisdem ut in priori, licet hic albidis; piſtillum & ſtamina etiam eodem modo ſe habent.

Obſer-

Obſervatio. I. Nec in hac invenitur calyx genericæ definitioni LINNAEI ullo modo conveniens, & certe non eſt monophyllus, nec quinquefidus, ſed eſt ex duobus foliolis ſolum factus calyx.

Obſervatio II. Nec ſtamina hic magis exerta ſunt, quam in priori licet etiam numeroſa conferrem exemplaria eiusdem ætatis, & nunc demum intelligere mihi videor, cur ſtamina exerta magis dixerint, ſcilicet ex iſthmo faucis barbam ſpectante coloratam, duo eminent albidi monticuli, qui pro decumbentibus ſtaminibus illis impoſuiſſe videntur.

Obſervatio III. Si ſtamina in orobanche hacce parum exerta per hypotheſin diſtinctam faciant ſpeciem, erit mea ſalvia ſabuloſa Turkenſchantz ſtaminibus longiſſime exertis diſtinctiſſima ſpecies & a *ſclarea* & a *pratenſi.*

547. LATHRAEA.

CHARACTER. *Calyx* corolloides coloratus amplus villoſus 4-fidus. *Antheræ* piloſæ. Arcus carneus ad baſim germinis.

1) *Lathræa ſquamaria.*

Lathræa caule ſubterreſtri ſimpliciſſimo, floribus unilateralibus in ſeries digeſtis.

Squamaria RIV. *monop. irreg.* T. 88. *bene.* RUPP. HALLER. *Helv.*

Dentaria. MATTH. p. 964. *bene.* BLAKW. T. 430. maior. CAM. *epit.* p. 705. Aphullos. I. CLUS. *hiſt.* CLX.

Orobanche radice dentata maior. C. B.

In Augarten, Brader, Stadtgutt ad vias primo vere.

Radix coralloides ſquammoſa ſquamis albis, ut recte ſquamaria dicta ſit, admodum ramoſa.

Caules plurimi in ceſpidem collecti, ſubterreſtres quaſi, humum enim, ut floreſcentiam ſuam proferant, dividunt, craſſi, carnoſi, colorati, aphylli, niſi quod hinc inde ſquamis albidis brevi emarceſcentibus, quaſi cordatis aſperſi ſint.

Squamæ florales caulinis fere maiores, ſubrotundæ, ex albo pallide coloratæ, ad pedem pedunculorum iuxta caulem erectorum, & appreſſorum hærent, quos fulciant, floresque diſtinguunt: ipſis pedunculis & caule florigero villoſis.

Flores

Flores ex cæruleo purpuraſcentes in ſpicam uno verſu diſpoſitam & iuxta lineas longitudinales digeſtam ad angulum rectum fere, pendent tamen pedunculo.

Calyx campaniformis coloratus hirſutus totum florem fere involvens ore quadrifido, ſegmentis duobus ſuperioribus fere maioribus, perſtans.

Corolla monopetala ringens: labio ſuperiori ſaturate purpureo ſuberecto ſimplice complicato adunco, inferiori minore complicato trifido, ſegmentis convolutis albidis.

Stamina 4. duobus labio inferiori, ſuperiori duobus infixis, inferioribus fere ut in ſalviis articulatis. Antheræ ſubflavæ didymæ margine piloſæ.

Tuba longa, e flore exſtans colorata, apice lato cavo, ſphacelato.

Ovarium ex ovato duabus evidentioribus lineis ſulcatum inferiori facie arcum exſtantem glanduloſum habet citrini coloris; ipſum ovarium uniloculare eſt, elaſtice dehiſcens maturum.

548. STAEHELINIA. Bartſia L.

CHARACTER. *Calyx* 4-fidus. *Corolla* perſonatæ labium ſuperius emarginatum. *Barba* triloba lobis in faucem conflexis. *Antheræ* nido piloſo ſimiles *Bracteæ* coloratæ.

1) *Staehelinia alpina.*
Staehelinia foliis oppoſitis ſeſſilibus obcordatis, obtuſe ſerratis.
Clinopodium alpinum PONAE apud Cluſium icon commoda.
Pedicularis genus montanum OED. *dan.* T. 43. elegans, ſed caulis rotundus pingitur.
Pedicularis alpina teucrii folio, purpuraſcente coma TOUR. bonum nomen.

Copioſe in omnibus alpibus.

Radix alba, coralloides geniculata ſerpens.

Caulis unicus, plures, ſimplices quadranguli alterne ut in veronica *chamædri* piloſi, ex inclinatis primo, erecti, quandoque obſcurius purpurei, vix medium pedem alti.

Folia

Digitized by Google

Folia ſeſſilia oppoſita, caulem ſuperne involucrantia ſeu amplectentia inferiora minora & fere cordata, ſuperiora vero minus, venoſa, rugoſa, obtuſe ſerrata ſerris pilis ciliatis, triſtis admodum coloris omnia.

Bracteæ florales foliosæ ſunt violacea purpura tinctæ.

Flores in hac ſpica folioſa degunt violacei incaneſcentes, erecti, longi omnino.

Calyx breviter pedicellatus, tubulatus, ſtriatus, hirſutus, quadrifidus laciniis barbatis piloſiſſimis.

Corolla obſolete ringens.

Tubus albus incurvatus longus.

Galea erecto-incumbens emarginata, non ut LINNAEUS integra.

Barba triloba portionibus exiguis ad galeam conflexis.

Stamina violacea in exiguo floris rictu antheras offerunt, nido piloſiſſimo ſimillimas.

Capſula ovato compreſſa acuminata.

Obſervatio. Cum HALLERUS primus hanc plantam novum nomen mereri monuerit, etiam impoſuerit, STAEHELINI videtur ſervandum, maxime cum Character Bartſiæ a LINNAEO eidem plantæ inſcriptus, non hanc, ſed aliam indigitare videtur.

Bartſiæ iuxta LINNAEUM. *Calyx* 2-lobus emarginatus, coloratus. *Neutrum noſtra planta habet. Corolla* minus ipſo calyce colorata, *quod ſane nunquam in alpibus noſtris invenitur;* labio ſuperiore longiore & adhuc in ultima generum editione integro, *de quo errore iam* HALLERUS LINNAEUM *monuerat, ſed, ut ſolet, non curavit.*

Stæhelinia igitur hæc ſit *alpina* & quam eodem nomine inſignivit plantam LINNAEUS alio inſtruatur, noſtra planta cum Bartſiis LINNAEI ſtare non poteſt, & cum genuinus non ſim botanicus, aliud imponere non poſſum.

549. RHINANTHUS.

CHARACTER. *Calyx* quadrifidus, ventricoſus. *Corolla* ringens. *Antheræ* bifidæ, hirſutæ. *Capſula* bilocularis, obtuſa, compreſſa.

1) *Rhinantus criſta galli.*

Rhinantus calycibus glabris, foliis inter flores latioribus. HALL. *Helv.* p. 624.

α. Criaſta galli Omnium fere. RIV. T. 91.

Pedicularis pratenſis lutea ſeu Criſta galli C. B. *pin.*

β. Criſta galli anguſtifolia montana. C. B. *pin.* adde omnes varietates, ramoſas, non ramoſas, latifolias, anguſtifolias &c.

In pratis fere omnibus; quam ego vero nunc deſcripturus ſum, vulgaris notæ a plurimis memoriæ proditæ plantæ varietatem, inveni ſemper in gramine pratorum *Simmering.*

Caulis unicus, in ſingulis geniculis brachiatus, brachiis ſurſum erectis, adhuc ramoſis; is quadrangulus eſt, leni villo obſitus, exiguis lineolis nigris variegatus ſerpentum more, quod etiam de ramis verum eſt, unde *ſerpentarius* poſſet cognominari.

Folia ſeſſilia, longe lanceolata, ſerrata nervo depreſſo, ſuperne venoſa, villum habent leniter aſperum.

Spica longa, folioſa.

Calyx ampliſſimus, latus, compreſſus, albidus, punctis nigris pro magna parte imo & lineis pictus, margine ciliatus; cæterum glaber, quatuor dentibus inſtructus triangularibus, in quo laxe poſitus hæreat flos *flavus*, cæterum calyci ſubiecta eſt bractea criſtata, amplior.

Galea omnino ſpectabilis, ochroleuca, apice bifida, ſegmentis cærulеſcentibus piſtillum coercentibus.

Barba flava, trifida, quandoque ad faucem etiam maculata.

Antheræ didymæ, lateraliter villoſæ, barbatæ.

Piſtillum anterius etiam maculatum.

Capſula in ampliſſimo calyce compreſſa, orbicularis, retuſis axeos partibus bilocularis, axi ſuperne ſpinula inſtructa.

Semina compreſſa, fere reniformia; in loculo uno tria inveni, in altero 4, 6, modo etiam plura continent, modo pauciora: alata omnia.

Obſer-

Digitized by Google

Obſervatio. Cum galeam ſemper maiorem barba invenerim, nec hanc certo compreſſam, non intelligo, qui LINNAEUS, & qui illum ſecuti, plantam his notis definire diſtinguereque voluerint, tum in *Fl. Lapp. Fl. Suec. Hort. Cliffort.* & *Speciebus*.

Rhinanthus corollarum labio ſuperiore compeſſo, breviore.

An diverſa ſpecies eſt, aut ſolum varietas, quam in *Gatterholz* cum priore collegi.

γ. Criſta galli mas. C. B. *pin.*
Rhinanthus calycibus hirſutis, foliis inter flores latioribus. HALL. *Helv.* p. 624.

Caules pedales & bipedales, quadranguli, ſuperne magis hirſuti, & brevioribus ramis ramoſi.

Folia ſeſſilia cordato-lanceolata, ſerrata, nervoſa, ſuperne profunde viridia ſericeo tactu, inferne glauca, & eodem modo, ut fructificationis punctula in filicibus in inferiori pagina diſpoſita ſunt, filicina, nervis exſtantibus, ita quoque punctatis retrorſum ſcabris.

Spicæ floralis bracteæ minus longæ ſunt, magis acute ſerratæ.

Calyx brevi valido hirſutulo pedunculo ſuffultus, ample cordatus, hirſutus, venoſus, apice longitudinaliter & transverſaliter ſectus in lacinias æquales quatuor.

Flos flavus, tubo compreſſo albo hinc inde hirſutulus.

Galea inflato impreſſa flava eſt, & anteriori parte exſtantes in conum appendices albidas habet, aliquando maculis lividis perſuſas.

Barba trifida medio ſegmento cordato: omnibus ad ſe invicem ſurſum conflexis, plicatisque.

Antheræ biloculares aurantio-flavæ, margine albo villo piloſæ.

Obſervatio I. Etiam in hac aberrat LINNAEI definitio.

Obſervatio II. Ob læviorem notam ſæpe LINNAEUS novam ſpeciem fecit.

Digitized by Google

550. EUPHRASIA.

CHARACTER. *Calyx* quadrifidus. *Corolla* ringens, *Antheræ* corniculatæ didymæ uno corniculo ariſtatæ vel ambobus. *Capſula* bilocularis, ovato-oblonga.

1) *Euphraſia Coris.*
Euphraſia foliis inter flores ſerratis: piſtillo corollarum labio inferiori incumbente.
Euphraſia flore luteo. CAM. *hort.* p. 59.
Coris monſpeſſulana lutea. I. B. III. *icon commoda.*
Odontites flore luteo. RIV. T. 90.
Pedicularis ſerotina lutea. TOUR. VAILL.

Locis herbidis in prato marginali ſylvulæ *Simmering*, locis ſabuloſis apricis *Türckenſchanz.*

Radix intorta parum fibroſa dura.

Caulis unus (aliquando duo) tenuis, rectus, aſper, virgatus, folioſus, obſcure rubens, ſpithamam & ultra altus, ſupra medium plerumque ramoſus ramis tenuiſſimis folioſis, multifloris, etiam triſte rubentibus. Cæterum durus, ſiccus, lignoſus.

Folia anguſta, vix linearia, hiſpida, arida: inferioribus aliquantulum denticulatis, ſuperioribus integris, linifoliis ſimilia, deorſum inflexa.

Flores lutei, ſpicati, inter alterna integra folia pedunculati, pedunculis tenuiſſimis.

Calyx monophyllus, viridis, anguloſus, angulis ex rubro fuſceſcentibus, quadripartitus laciniis inferis maioribus; cæterum gibbus.

Corolla patenti ringens, cincinnata, piloſa.

Galea emarginata.

Barba concava, ciliata, piloſa trifida, laciniis fere æqualibus.

Antheræ obtuſis corniculatæ corniculis, didymis, flavis: ariſtatis omnibus & in longis ſtaminibus flavis baſi villoſis, ſedentibus, ante labium non ſub labio poſitis, æqualibus.

Piſtillum flavum ſtigmate ſimplici. Defloratum in fructu perſtat piſtillum ſed nunc rubens. Piſtillum labio inferiori incumbit, ut in ſalvia *verticillata.*

Fructus villoſus villo ſplendente albo, ut in odontite.

Obſer-

Obſervatio. Cognomen *coris* aptius eſt priori, eſt enim varietas officinalis eiusdem nominis.

2) *Euphraſia odontites.*
Euphraſia foliis inter flores ſerratis. HALL. *Helv.* p. 627. *bono nomine, quod ſub ſe complectatur varietates foliorum linearium & latiorum.*
Euphraſia pratenſis rubra. C. B. *pin.*
Odontites. TABER. KIV. T. 89.
β. Euphraſia ſylveſtris maior purpurea latifolia. COLUM. *Ecph.* T. 202. F. 1.

Poſt meſſem in arvis, eundo ad ſylvulam *Interſdorff* ad aquas molendinæ *Medling*, abundantiſſime vero in pratis *Brigittau.*

Radix dura, ramoſa, fibroſa.

Caulis ligneus, durus, hirſutus, aſper, admodum brachiatus & ramoſus diffuſus, adſcendendo tetragonus, ex atra purpura coloratus.

Rami folioſi, ramoſi, florigeri, lignei fere, & eodem modo colorati.

Folia triſtia, brevi petiolo lanceolata, ſerrata, venoſa, margine ciliata, inferne evidenti ob hirſutiem aſperitate prædita; hæc in ſummis ramis ſerrata æque ſunt, & ſpicas ſuſtinent florigeras.

Spica floralis modo alternis, modo oppoſitis facta foliolis, ut modo unum, modo duos e vicinia ſibi reſpondentes flores gerat.

Calyx monophyllus longe hirſutus, quadrifidus, laciniis fere æqualibus, erectis, coloratis; cæterum brevi pedunculo hirſuto ſuffulcitur.

Flos obſoletus fere, & ſquallide rubens, tubo exiguo, calyce multo minore.

Galea reliquis partibus maior eſt, erecta, hirſuta, concava, margine ciliata; ipſa ex albo purpurea.

Barba facta ſegmentis tribus: medio minimo, omnibus erectis ciliatis, nulla cum euphraſiis aliis ſimilitudine.

Stamina flava.

Antheræ didymæ flavæ, corniculatæ corniculis omnibus ariſtatis.

Stigma capitatum.

Capſula ovato oblonga villoſa.

Obſervatio. Foliis linearibus plantam indigitat LINNAEUS, quo ſigno vix ac ne vix quidem unquam recognoſcas, bene HALLERUS, ut paulo ante monui.

3) *Euphraſia officinalis.*
Euphraſia foliis ovatis, acute dentatis.
Euphraſia. CAM. *epit. icon.* p. 767. BLAKW. T. 427.
Euphraſia. TABER. p. 862. *commoda icon.*
An huc referendæ omnes varietates floribus cærnleis, floribus minimis luteis, quæ in noſtris ſubalpinis frequens fit? Sed poſteriori definitio foliis ovatis non quadrat, dum folia ſolum linearia habet. Et huc Euphraſia caule ſimplici foliis linearibus acute ſerratis. Euphraſia caule ramoſiſſimo foliis lanceolatis acute ſerratis.

In omnibus pratis humidis in alpibus *Gans*, *Breyn*, etiam in ſiccis apricis *Dornbach*, *Maurbach*, &c.

Radix tenera fibroſa.

Caulis tenuis in non ramoſis, in ramoſis fortior.

Folia oppoſita quaſi cordato-obtuſa crenata.

Calyx quadrifidus.

Flos imperfectius ringens, axillaris, albus: labio ſuperiori bifido. ſegmentis crenatis.

Barba patens trifida ſegmentis lateralibus bifidis: medio quaſi cordato-emarginato, macula intus flava picto.

Antheræ gentis.

551. MELAMPYRUM

CHARACTER. *Calyx* quadrifidus. *Corolla* ringens. *Galea* compreſſa margine replicato. *Capſula* bilocularis, obliqua, hinc dehiſcens. *Semina* duo gibba.

1) *Melampyrum criſtatum.*
Melampyrum ſpicis quadrangularibus, bracteis cordato compactis, denticulatis imbricatis.
Melampyrum ſpica brevi & denſiſſima, foliis inter flores criſtatis apice reflexis. HALL. *Helv.*
Melampyrum criſtatum. RIV. T. 80. *optima.*
Melampyrum anguſtifolium ſpica quadrata floſculis ex luteo pubeſcentibus. PLUCK. *bono nomine.*

In herbidis aſperis circa ſylvulam *Simmering*, in pratis *Simmering*, *Draskirchen.*

Cauli

Caulis erectus, inferne rotundus, aut exigua ratione anguloſus, poſt primos oppoſitos ramos evidentius tetragonus, inferne nudus fere, dein admodum ramoſus, pedalis, cubitalis etiam, ſæpe coloratus.

Folia caulina lata, ſeſſilia, lanceolata, ad exortum ſæpe laciniato-pinnata, dein integra, non ſerrata, nervo depreſſo ſubcanaliculata, dorſo pulchre venoſa: alia linearia, longa anguſta: omnia aſpera, & retrorſum hiſpida, maxime ob nervum & margines rigido cilio cinctos.

Spica in ſummis ramis quadrangula, compacta, imbricata, criſtata, modo herbaceo-ochroleuca, modo albida magis, modo ex viridi profunde purpuraſcens.

Criſta ſit bracteis floralibus perſtantibus, baſi latiſſimis, plicatis, margine imbricato-ſerratis, mucrone guttato deorſum flexo.

Corolla varie colorata ut criſta, barba, & interna fauce plerumque luteis.

Calyx in huius bracteæ criſtatæ baſi ſedet tubuloſus, villoſus, ſemiquadrifidus: laciniis inferioribus minoribus & ſæpe vix conſpicue diviſis.

Tubus oblongus, recurvus, compreſſus.

Galea cucullata, margine reflexo piloſo, barbæ ut in Antirrhinis inſiſtens.

Barba non evidenter barbata, erecto-convexa, lateribus exſtantibus, ſemitrifida, portione media depreſſiore guttata.

Antheræ margine barbatæ, oblongæ.

Capſula in medium circulum ſecta, ex utroque latere elevato aggere villoſo-angulofa, iuxta ſemicirculi circumferentiam dehiſcens.

Semina duo 3. 4.

2) *Melampyrum arvenſe.*
Melampyrum ſpicis conicis laxis: bracteis dentato-ſetaceis.
Melampyrum ſpica denſa longiori, foliis inter flores laciniatis adſcendentibus.
Melampyrum purpuraſcente coma. C. B. *pin.*
Melampyrum arvenſe. RIV. T. 79. *bona.*

Iisdem locis.

Caulis fere ut in priore, ſed altior, & non adeo ramoſus.

Folia caulina & ramorum prima exiguo petiolo nixa, longiſſime lanceolata, quorum nonnulla obtuſo magis fine quaſi lingulata; hæc, quo

quo magis ad ſpicam floralem accedunt, baſi latiora fiunt,'& pinnato-laciniata: cæterum tota glabra.

Spica ſæpe denſa minor, ſæpe longior & laxior, bracteis floralibus ſurſum adſcendentibus pinnato-laciniatis, pro maxima parte coloratis.

Bracteæ ſuis laciniis calycem & tubum floris ſuſtinent, complectuntur.

Calyx tubulatus, conico compreſſus, ſplendens, in alis foliorum floralium ſeſſilis, aliquando purpureis ſtriis coloratus, in quatuor lacinias ſolvitur baſi latas, dein longe ariſtatas, & hæ ſæpe in ſumma ſpicæ coloratæ ſunt, in infima virides totæ.

Flos prioris: totus ex cæruleo purpuraſcens: fauce lutea: tubo oblongo, recurvo, compreſſo, purpureo.

Galea cucullata purpurea, margine reflexo piloſo.

Barba elevata exigue ſecta: media lacinia minore.

3) *Melampyrum nemoroſum.*

Melampyrum ſpica laxiſſima colorata, bracteis cordato-lanceolatis calycibus lanatis.

Melampyrum ſpica laxiſſima foliis inter flores laciniatis patentibus. HALL *Helv.*

Parietaria ſylveſtris I. CLUS. *hiſt.* II. p. 44. *bene.* OEDER. *Flor. dan.* T. CCCV. *bene.*

Melampyrum ſylvaticum. RIV. T. 80. *non bene.*

In virgultis montanis apricis *Kaltenberg*, qua parte verſus *Clauſtro Neoburgum* deſcenſus eſt, copioſiſſime.

Caulis præcedentium forma, ramoſus, patens, quadrangulus, quandoque coloratus, curta hirſutie obſitus.

Rami ex adverſo enaſcuntur hirſutuli.

Folia brevi craſſoque & hirſuto petiolo nixa, modo integra ex ovatis acuminata aut elliptica, modo ſagittata magis, & baſi auriculato-dentata, inferne hirſuta ora hiſpida, ciliato-aſpera.

Bracteæ florales pulchro cærulee violaceo, aut violacee nigro colore perfuſæ, patentes, baſi & lateribus laciniatæ aut dentatæ, inferne non coloratæ, ſed lanatæ, ſæpe tamen in ſuperioribus etiam coloratæ ſunt.

Flores in alis bractearum oppoſitarum, & in ſingula ala unicus, vel amœne vel ex herbaceo luteus, rictu & origine faucis profundius luteis. Cæterum laxe diſpoſitus.

Calyx

Digitized by Google

Calyx coloratus, lanatus, firmo, licet exiguo pedunculo nixus, compreſſus, ſuperne gibbus in quatuor lacinias finditur herbaceas.

Tubus purpureus incurvus.

Galea gentis.

Barba pariter, ſed magis producta.

Antheræ baſi barbatæ.

4) *Melampyrum ſylvaticum.*
Melampyrum floribus ſparſis binatis, corollis hiantibus.
Melampyrum floribus ſparſis ſeſſilibus binatis foliis omnibus indiviſis. HALL. *Helv.* OEDER. *Fl. danic.* Faſc. III. T. CXLV. *planta maior eſt.*
Melampyrum latifolium floribus parvis. *Fl. Lapp.*

In udis muſco obſitis ſylvis ſubalpinis *Hengſt*, aliis omnibus, tenerrima & exigua planta, quæ vero in terra provenit firmior aliquantum, & altior eſt.

Radix ex muſco filiformis fere.

Caulis unicus, tenuis, rotundus-ſurſum anguloſus, & villoſus, modo ſimplex, modo ſed raro ramoſus 3. 4. 5. digitos, etiam aliquando medium pedem & ultra altus eſt.

Folia levi petiolo ex adverſo bina, carinata, longe lanceolata, flave viridantia, margine & nervo retro aſpera, ſuſtinent in ſingulis alis florem unum, ſuprema folia quandoque baſi dentata ſeu haſtata aut criſtata videas, quod in multiplicibus exemplaribus vidi.

Calyx pedunculatus breviter, tubulatus, lineis 4. eminentibus in quatuor lacinias elliptico lanceolatas patentes, calyce, non tamen flore maiores finditur. Hæc omnia, ſcilicet pedunculus, calyx, laciniæ leniter villoſa ſunt.

Flos cum virore aliquo in galeæ lateribus profunde flavus.

Galea pro parvitate floris ampla, obtuſa, extus glabra intus flavis pilis hirta, compreſſa, margine replicato.

Barba vix multum a galea patens, aut diſtans, trifida, & purpurea utrimque linea intus ſæpe picta.

Filamenta ad angulum flexa.

Antheræ ſagittatæ, longe ex viridi flavicantes, uno latere barbatæ, inferne dentatæ, minime eminentes.

Digitized by Google

Capſula ex ovato antrorſum compreſſa, triangularis: triangulo compreſſo vacuo, dente inſtructo uncato, parte ovata ſeminibus fœta diſtenta, biloculari, ſeminibus oblongis teſticulatis.

Obſervatio. Confuſa plantæ apud botanicos hiſtoria effecit, ut diu plantam ignorarem habentem antheras baſi ſpinoſas Euphraſiæ, galeam compreſſam margine replicato melampyri, ſed etiam in muſco aut terra ſola proveniens differentias habet, ad hanc rem cum attenderim in ipſis alpibus exactius credo me id etiam definire poſſe.

I. Planta in muſco proveniens tenerrima, palma ſæpe haud altior, ſimplici caule, anguſtis foliis nec dentatis, & corolla clauſa flava inſtruitur.

II. In ſylvis alpinis in terra proveniens, altior, modo ſimplici modo ramoſo caule, foliis modo totis integris, ſuperioribus modo baſi dentatis, & aliquantulum aſſurgentibus. Utraque in herbario facile vitiatur, nigreſcit.

4) *Melampyrum pratenſe.*
Melampyrum floribus binatis, corollis clauſis.

In ſylvis montoſis argillaceis *Kaltenberg*, *Maurbach* creſcit hæcce ſpecies, cuius hæc hiſtoria eſt.

Caulis tetragonus, firmior, leni pube obſitus, ſæpe coloratus, modo humilior, modo altior, pedem altus, ſæpe ramoſus.

Folia breviter ex lingulatis petiolata, ſupremis baſi laciniatis, haſtatis.

Flores in pedunculis unifloris binati, ex foliorum alis ſtrictis uno verſu diſpoſiti, lutei plerumque toti, quandoque albente tubo, quandoque etiam colorata ex levi purpura barba, ut in illis Maurbach vidi.

Calyx compreſſus exiguus in quatuor dentes laxos virides ſolutus, anguloſus, purpureis maculis aſperſus conſtanter.

Corolla priſmatico-compreſſa exiguo, nec patente ore.

Galea margine non reflexo intus pubeſcente.

Barba maxilloſa ad ſuperiora conflexa, in medio leviter trifida, non pubeſcens

Antheræ margine ciliatæ aut barbatæ.

Capſula ovato-acuminata.

Semina

Semina quatuor.

Obſervatio I. Habet fere omnia gentis, ſed calyces minores evidentioribus ſtriis purpureis lineatos & flores fere rariores, primos remotiores. An hæc *pratenſis* LINNAEI?

Obſervatio II. A præcedentibus quidem differt calyce conſtanter ex purpura maculato, exigua corolla clauſa, colore variante, tubo albente, barba purpuraſcente extus, ſed folia horizonti parallela ſunt, in omnibus inciſiones variant, os clauſum & apertum non adeo conſtans nota eſt. An vere differunt? an Melampyrum non poſſet coniungi Euphraſiæ, Rhinanto, Pediculari?

Calyce 5-fido, & multipartito.

553. TOZZIA. * Enumeratio * Elenchus.

CHARACTER. *Calyx* 5-dentatus. *Corolla* hypocrateriformis 5-fida. *Capſula* unilocularis globoſa monoſperma.

1) *Tozzia alpina.*
TOZZIA alpina lutea Alſines folio radice ſquamata. MICH. T. 16.
Dentaria buguloides radice globoſa: ſquamulis myontoideis alpina. MENZ. *pug.* T. 9. F. 3. 4.

Ex *Schneberg* HARTMANNUS attulit, ſed nolo ex ſicco exemplari deſcriptionem facere, eandem alia occaſione nitide daturus.

Nunc ex botaniſatione huius anni 1768 deſcriptionem addo.

Fragilis omnino & tenera planta eſt.

Radix, minimus bulbus fibris admodum intricatus; ſquamæ nonnullæ ſurſum aſcendentes paulo ſupra bulbum, ſed quæ ad radicem non ſpectent. Radicem MICHELII non vidi nec illam MENTZELII.

Caulis inclinato-erectus, quadrangulus, albidus, piloſus, pedem medium, aut unum & ultra altus, ramoſus: ramis oppoſitis & folioſis: foliis itidem oppoſitis.

Folia radicalia non vidi, caulina ſeſſilia, oppoſita chamædrys forma dentibus obtuſis ſecta, nervis poſterius exſtantibus in inciſuras finitis. Cæterum pallide viridia.

Rami naturæ caulis, primo nudi, dein folioſi in ſummitate floriferi.

Pedunculi ex foliorum alis breves, fere filiformes, oppoſiti ſeu binati, uniflori.

Calyx monophyllus tenerrimus naturæ plantæ, viridis, plerumque quadridentatus, aliquando quinque dentatus perſiſtens.

Corolla lutea: tubo calyce aliquantulum longiore: fauce inflata. Eſt hæc cæterum bilabiata: labio ſuperiore bifido, ſegmentis longioribus: altero trifido, minus longis, ſed latioribus, omnino margine rotundatis parum ciliatis.

Stamina quatuor, corolla parum longiora flavo albentia: antheris didymis baſi ariſtatis, ſpadiceis, minime ſubrotundis, ut dicit LINNAEUS.

Piſtillum antherarum longitudine, etiam longius diu perſiſtit: ſtigmate ſimplici non capitato, ut dicit LINNAEUS.

Capſula infundibuliformi calyce incluſa, globoſa eſt.

Semina adeſſe, dicit HALLERUS, LINNAEUS unum, matura non vidi & nolo hariolari.

554. ANTIRRHINUM.

CHARACTER. *Calyx* quinquefidus. *Corollæ* ringentis baſis deorſum prominens, aliquando manifeſtiori calcare inſtructa. *Capſula* irregularis bilocularis.

Obſervatio. Dantur caudatæ, & ecaudatæ ſpecies.

1) *Antirrhinum alpinum.*

Antirrhinum caule ad radicem debiliore, procumbente, foliis ſubquaternis linearibus; floribus racemoſis, calcare recto.

Antirrhinum caule procumbente foliis verticillatis quaternis; floribus racemoſis. HALL. *Helv.* 614.

Linaria III. Stiriaca. CLUS. *hiſt.* I. p. 321.

Linaria pannonica II. CLUS. p. 309. *bene.*

Linaria quadrifolia ſupina. C. B. *bonum nomen.*

Inter lapides in *Schneberg*, in *Breyn*, & aliis alpibus.

Radices repentes, ramoſæ, ſibi ipſis implexæ, teneræ, albidæ, fragiles, leni aliquando purpura tinctæ, quæ iam inter lapides extra terram vegetant & tenellis foliorum rudimentis cinctæ.

Caules

Digitized by Google

Caules adſcendendo craſſiores, & ubi craſſiſſimi etiam radices, e quibus enati ſunt, craſſitie ſuperantes, ut vix firmo ſtare talo valeant, ſed in ſaxa, ſabulum decumbere neceſſe habeant. Hi vix dodrantales, inferne leni aut atro rubore magis, quam ſuperne perfuſi.

Folia rationem caulis ſervant, inferne, ubi is debilior eſt, minora, ſuperne, ubi craſſeſcit, longiora longe viſuntur; adhæc inferne etiam quandoque alterna, adſcendendo ſeſe ita ordinant, ut in verticillis approximatis quaterna, terna, raro ſolum duo ſibi opponantur; cæterum glauca ſunt, carnoſa, linearia, & utrimque acuta, baſi tamen fere magis. Caulis dein aliqua longitudine nudus eſt, donec confertiorum florum quaſi ſpicam generet.

Pedunculi foliis ſuffulti, firmi, ſæpe ex cæruleo colorantur.

Calyx monophyllus, baſi globoſa ſæpe albente, laciniis longis ellipticis lanceolatis inferiori margine etiam albentibus, cætera ex viridi cæruleſcentibus ſubæqualibus.

Flos omnino pulchellus. Labium utrumque violaceum, mento aurantio.

Calcar longiſſimum recta dimiſſum, acuminatum.

Galea recta incumbens longis auriculis bifida.

Barba inſigni eminente ſulcato aurantioque mento lata explicata trifida eſt, media portione minore, omnibus ſæpe, conſtantius tamen lateralibus emarginatis.

Antheræ oblongo didymæ flavæ hærent in fauce piloſa.

Obſervatio. Verticillos foliorum remotiſſimos, & calycum unam laciniam longiorem in ſuis ſpeciebus perhibuit LINNAEUS, nec unum, nec alterum in Auſtriacis obſerves. Vidi tamen nunc in *Breyn* etiam aliter, infimum par laciniarum minimum, proximum grandius, maiore impare.

2) *Antirrhinum Geniſtifolium.*

Antirrhinum corollarum labio ſuperiore maxilla deſtituto, panicula virgata flexuoſa.
Linaria geniſtæ folio glauco, flore luteo. HERM. *parad.* DILL. *elth.*
Linaria flore pallido rictu aureo. C. B. *pin.*
Linaria pannonica I. CLUS. *hiſt.* I. p. 321.

In aſperis ſiccis *Kaltenbergerdorffe* ſupra muros vinearum, paſſim eundo *Clauſtroneoburgum*, in montibus *Mödlingenſibus* inter rupes rarius.

Digitized by Google

Caules aliquot virgati, erecti, aut ſaltem ſuberecti, rotundi, glabri, glauci, duos cum dimidio, etiam tres pedes alti, admodum folioſi, e medio ramoſi ramis virgatis, longis, glaucis, iisdem foliis præditis, & iis adhuc ſubramoſis.

Folia alterne ſeſſilia, glabra, glauca, carnoſa fere, enervia, utroque fine acutiora, medio latiora, lanceolato-acuminata geniſtæ tinctoriæ foliis ſatis ſimilia.

Racemus florum alternorum in paniculam diſpoſitus, virgis in florentibus plerumque rectis, in fructificantibus de calyce in calycem fere flexuoſis.

Pedunculi tenues, non erecti ad caulem.

Calyx in 5 lacinias ſectus, pedunculorum aut capſulæ fere longitudine.

Corolla ſulphurea, caudata, tubo baſi quaſi calyci ſuperpoſita: hæc reliqua parte anguloſa.

Pro *Galea* ſolum eſt conflexum vexillum anteriori facie bifidum, & deeſt maxilla ſuperior, quæ in aliis invenitur Antirrhinis.

Mentum notabile eſt, convexum, proſiliens, interne multum villoſum aureum, & propendens in barbam trifidam: ſegmentis lateralibus maioribus, medio minore plerumque prominente, diviſum.

Capſula gentis.

Obſervatio. Sæpe obſervo ab eo, quo ſtirpes exactius deſcribo, tempore, eſſe nonnullas a congeneribus magis diſtinctas, quam a ſe invicem ſint genera ſibi vicina, an ergo illa non contrahenda.

3) *Antirrhinum Linaria.*

Antirrhinum foliis linearibus adſcendentibus congeſtis, ramis (quaſi umbellatis) ſpica florali terminatis. HALL, *Helv.*

Oſyris. CAM. *epit. icon* p. 930.

Linaria. RIV. T. 82. Lutea vulgaris. BLAKW. T. 115. Sed quid cauſæ eſt, quod utiles BLAKWEL figuras, ne uno quidem citet loco LINNAEUS? an etiam animis vegetabilibus iræ?

In campeſtricis ſylvaticis *Simmering* abunde. In aſperis viæ Regiæ *Nusdorff* in *Brater*, aliis &c.

Caulis pedem unum & ultro altus, rotundus, coloratus, leni pube aſperſus, folioſus, & in ſummitate ramoſus & quaſi ſubumbellatus.

Folia

Folia linearia, lanceolata, canaliculata, elliptica, ſubalterna, adſcendentia.

Flores in ſummis ramis in breves & denſas ſpicas congeſti, magni, diverſis partibus diverſimode colorati.

Pedunculi albentes, pube donati ſuſtinent calycem in quinque lacinias fere æquales profunde ſectum, hi calyce & bractea longiores ſunt.

Tubus obtuſus, dorſo acutus, lateribus compreſſus.

Calcar exterius deorſum protenditur, incurvum, conicum, pedunculo & calyce multo longius, & evidentius citrinum.

Galea auriculis quaſi erectis & ad ſe invicem quaſi plicatis facta, hinc conflexa, vexillum refert, anteriori facie, qua plicatum, longe ſectum; atque id ochroleucum eſt.

Mentum circumvallatum, in medio quaſi aurantium eſt, ora ſuperiori qua galeam tangit, villoſum, villo aurantio.

Barba a mento dependens lata longaque, ſubciliata, trifida medio ſegmento minore, ſurſum reflexo.

Capſula gentis.

4) *Antirrhinum minus.*

Antirrhinum foliis obtuſe lanceolatis, caule diffuſo ramoſiſſimo; calcare brevi. Nota, caulem quandoque minus diffuſum & ramoſum eſſe.

Linaria arvenſis minima. RIV. T. 84.

Antirrhinum tertium. CAM. *Epit.* p. 922. icon.

In ruderatis arcis Mödlingenſis, in ædificio maieſtuoſo S. CAROLI BOROM. tum in aſperſis glareoſis ad margines vinearum *Leopoldiberg*, etiam inter ſegetes paſſim.

Planta mire varians cum ſolo orontio confundi poſſet, ſed facile diſtinguitur.

Radix parva alba fibroſa.

Caulis erectus ex rotundo leviter anguloſus diverſæ altitudinis, raro ſpithama maior, totus villoſus, quandoque inferne ex purpura coloratus, admodum ramoſus & ab infimis geniculis, ramis oppoſitis & brachiatis, dein vero alternis; primis etiam ramoſis naturæ caulis villoſis.

Folia longa, nervo percurſa, lanceolata obtuſe aut ex ovatis acuta, prima oppoſita, ſuperiora alterna dorſo frequenter purpuraſcunt, craſſula, ſæpe reflexa.

Flores

Flores in longis, etiam villoſis pedunculis ex foliorum alis egredientibus unifloris, exigui.

Calyx 5-partitus laciniis naturæ foliorum villoſis viridibus.

Corollæ tubus ſeſſilis, ex huius anteriori facie exiguum prodit calcar, & ipſa ampliatur anguloſa tumensque faux.

Galea incumbens emarginato-cordiformis,

Barba maxilloſa tripartita laciniis profunde ſectis; guttur floris ex violaceo rubet, galeæ dorſum etiam, coloratum eſt & piloſum, cætera alba ſunt.

Capſula ovalis calyci inſidens leniter villoſa.

5) *Antirrhinum orontium.* * Enumeratio * Elenchus.
Antirrhinum corollis ecaudatis ſubſeſſilibus, calycibus digitatis corollis longioribus.
Antirrhinum arvenſe. RIV. T. 81. optima.
Antirrhinum ſylveſtre phyteuma. DOD. *pemp.* 212. icon bona.

In arvis *Helzendorff* paſſim, ut & illis *Waring.*

Radix præcedenti longior, magisque fibroſa, cæterum alba ſimilis.

Caulis ex curvitate erectus, rotundus, viridis inferne glaber, ſuperne hirſutus ſcaber, ramoſus inferne, ſuperne ſimplex, pedem & ultra altus.

Folia prioribus ſatis ſimilia, ſed longiora multo molliter hirſuta, facie viridia dorſo magis glauca, nervo eminente, & margine poſtrorſum craſſiore, fere ut in Teucrio *montano.*

Calyx longiſſimo folio, ſuffultus, breviter pedicellatus, ut fere crederetur obiter examinanti ſeſſilis, in quinque ellipticas, easque longiſſimas lacinias flores ſuperantes ſectus eſt, harum duæ inferiores magis diſtant & minores ſunt, ſuprema media longiſſima: omnibus poſtrorſum patentibus, hirſutis.

Flores erecti ex albo leniter purpuraſcentes alterni, ſolitarii, ecaudati.

Tubus ventricoſo ortus principio lateribus anguſtatur.

Labium ſuperius incumbens hirſutum, lineis purpureis pictum, emarginatum in medio & in lateribus adhuc fiſſum anguloſum, modo reflexum lateribus, modo tegens.

Labium inferius maxilloſum convexum lineis purpureis ſtriatum, e quo barba dependeat trifida plerumque, reflexa deorſum ad guttur conca-

concavum, ut hoc variat & aliquando lacinia media reflexa eſt aliis extenſis.

Antheræ aurantiæ.

Capſula dehiſcens animale cranium refert.

6) *Antirrhinum ſpurium.*

Antirrhinum foliis rotunde obcordatis caulibus procumbentibus.
Veronica femina. CAM. Epit. p 462. icon. DOD. *pempt.* 42.
Linaria ſegetum nummulariæ folio villoſo. TOUR. *bonum nomen.*
Elatine. RIV. T. 85.

In arvis illis Enzersdorff, Zeiſelmauer abundantiſſime.

Caules humi ſtrati, ramoſi, folioſi admodum hirſuti & ex ſingulis foliorum alis florigeri.

Folia exiguo hirſutoque petiolo nixa, rotundo-acuminata & quaſi baſi plena, non ſecta, obcordata, hirſuta mollia, in caulibus alterna.

Pedunculi in alis foliorum florigeri hirſuti inferne foliis minores, ſuperne fere maiores.

Calyx quinquephyllus foliolis ovatis tribus ſuperioribus galeæ incumbentibus, duabus infimis magis dehiſcentibus.

Flos frequenter inverſus tubo, vix ullo præditus, qua in re minime characteri generico LINNAEI convenit.

Galea incumbens bifida lateribus exiguis erectis atro purpureis.

Maxilla minus, quam in aliis manifeſta barbam notabilem trifidam habet, ſegmentis lateralibus maioribus medio obcordato & ſuperiori loco duobus tuberibus aucto.

Stamina piloſa erant, antheris nigris.

Calcar incurvum ſubulatum.

Capſula.

Digitized by Google

556. PEDICULARIS.

CHARACTER. *Calyx* bifidus, aut quinquefidus. *Corolla* ringens. *Capſula* bilocularis mucronata, obliqua. *Semina* tunicata.

1) *Pedicularis verticillata.*
Pedicularis caule ſimplici, foliis quaternis verticillatis; calycibus piloſis.
Pedicularis alpina floribus purpureis ſpicatis, foliis pinnatis verticillatis. HALL. *Helv. icon.* T. XVII. F. 1. *optima.*
Filipendula montana altera floribus purpureis. C. B. *pin.*

In omnibus alpibus Auſtriæ frequens, ſtatim in adſcenſu *Breyn alpen* loco meridionali terra glareoſa, in *Geſletzleiten*, in alpe *Zirophandel*, *Breynerin* &c. etiam in *Schneberg*.

Radix flava, brevis, quandoque furcata, paucis fibris inſtruitur.

Caules ex eo ſurgunt plures tres, quatuor, vidi etiam ſeptem; nec tamen diſſimulandum eſt, quandoque etiam unicum ſolum apparere. Cæterum hi nunquam ramoſi ſunt, ſed ſimplices, & ita ſtriati, ut anguloſi ſint; leni præterea villo obducuntur, & inter verticillos folioſos longe nudi ſunt, diverſæ altitudinis, modo quatuor digitos, modo ſpithamam & ultra alti.

Folia alia radicalia ſunt, longe petiolata, in loco pingui Schneberg creſcentis plantulæ longiora, in aliis locis minus: alia caulina, quæ verticillos plerumque duos, raro enim tertius adeſt, in caule moliantur, differenti in diverſis plantis loco; in minoribus enim ſpeciminibus digitum altis, verticillus primus paulo ſupra radicem eſt, inde totus caulis ad ſpicam floralem nudus, ſub ſpica florali alterum verticillum recipit, in altioribus, ut illa eſt figura HALLERI, quaſi defectuoſus unus inferiori loco verticillus ſedet, medietatem caulis principalis ille obtinet & ſub ſpica de more ordinarius eſt; in illis vero ubi unicus tantum altior caulis eſt, verticillum illum principalem paulo infra floralem ſedentem video, eſtque inter hæcce horum verticillorum folia exigua hæc differentia, quod illa inferiorum petiolata magis ſint, petiolo latiuſculo hirſuto canaliculato, ſenſim tamen in ſupremo emoriente & nullo, dum ipſa folia iam latiori baſi ſub floribus ſedent. Cæterum pinnata ſunt folia, pinnis ellipticis, ſerratis & fere lanceolatis.

Flores

Flores primi verticillum, ſed non ſatis diſtinctum, primo formant, dum verticilli folioſi inſident in orbem poſiti, hi vero brevi denſiores, & in ſpicam fere ſurſum lateſcentem, & quaſi capitatam confluunt, diſtincti tamen foliis, ſed floribus brevioribus. Cæterum læte purpurei.

Calyx ventricoſus, inter petiolum & caulem oblique poſitus, poſtrorſum quaſi elatior, antrorſum demiſſus, magis oblique antrorſum apertus, ſuperius dentes tres habet: medio minore: præter hos in plurimis nullum alium, aliquando tamen, licet id rariſſime contingat, obliqua deorſum ora finditur, tumque cum prioribus tribus duo alii apparent dentes, & in univerſum quinque. Cæterum ex albo purpuraſcit calyx, & venoſus eſt, venis viridantibus, aut ex viridi purpuraſcentibus, admodum piloſis, pilis albidis, fine purpureis: ora maxime purpurea & piloſa.

Tubus brevis, antrorſum in faucem inferne compreſſam inflexus.

Galea compreſſa clauſa purpurea aliquantulum tantum aut vix roſtrata.

Barba tribus ſegmentis latis ſecta, medio anguſtiori ampla læte purpurea, venoſa venis profunde coloratis.

Antheræ nigræ ſunt aut olivaceæ, polline albido.

Stamina ſub antheris modice piloſa aliqua, non omnia, vidi etiam aliis annis hæc pube carere.

Obſervatio I. Stirps hæc ſæpe adeo depreſſa eſt, ut ſolum caput e terra extollat.

Obſervatio II. Admiratione dignum eſt, *Cl.* Virum LINNAEUM in pedicularium ſynonimis tanta cura pediculares CLUSII plantas, quas in aliis eſſentialibus locis omittit, citare, dum tamen pediculares CLUSII nequidem arte magica divinari poſſint.

2) *Pedicularis folioſa.*
Pedicularis caule ſimplici, floribus hirſutis inter folia congeſtis, corollæ galea obtuſiſſima integra.
Pedicularis alpina foliis alternis, pinnis pinnatis foliis ex ſpica florigera longe eminentibus. HALL. *Helv.* T. XVII. F. 2. *ſed ſtamina exſerta propendentia nunquam vidi, ſynonima alia addere non poſſum.* LINNAEUS iterum, ut alias HALLERI, omiſerat, nunc tandem habet tuberoſæ nomine.

Digitized by Google

Abunde in omnibus alpinis pratis illo *Gans*, *Schneberg*, & nuper in alpibus *Breyninis*.

Radix ex caudice bi- aut trifurca, furcis incurvis terræ parallelis, unum plerumque, quandoque duobus capitibus duos erigit caules.

Caulis ſpithamæus, pedalis, & altior longe, rectus, craſſus, purus aut rara pube obſitus, ſæpe nudus aliquando tamen uno alterove petiolo alterno folioſus, nec ramoſus nec fiſtuloſus.

Folia quæ vel ad terram, vel in caule pauca fuere, ſub ſpica & inter flores aggregantur, petiolis modo hirſutis, valde etiam latis, ſeſſilibus, alternis, egreſſa, modo vero glabrioribus nixa, ſub ſpica manifeſtius pinnata ſunt, pinnis pinnatis triangulariter iuxta nervum decreſcentibus, pinnis vero ad exortum petioli, caulem decuſſantibus recte, ut ſua icone expreſſit HALLERUS.

Pinnæ pinnatæ, alternæ nervum in diverſis exemplaribus durum non folioſum in aliis iterum plurimis folioſum alatum habebant. Superiora folia pinnatifida, nunquam inveni, ſed longe nudo canaliculatoque petiolo & hirſuto exorta ſimpliciter pinnata, *non ſeſſilia*. Cæterum erant omnia dorſo hirſuta, cum pallido virore, pinnulis denticulo inſtructis.

Spica craſſa, foliis longe eminentibus comatur, dum flores ſinguli in concavis & denſis foliorum petiolis ſedent.

Calyx cylindro lato, turgido factus, anguloſus angulis piloſis extantibus in quinque dentes terminatis, quorum unus eminentior ſit, aliquando dentium ſinubus valde piloſis.

Corolla ochroleuca. Ex tubo anguſto, lata ſatis faux.

Galea fere recta aſcendit, piloſiſſima, & antrorſum obtuſe deſcendit clauſa, tum ubi patet, labiis conniventibus quaſi membrana, ut in Umbellatarum petiolis ſæpe obſervamus, aucta eſt, non amplius piloſa: hæc anteriori facie deorſum deſcendens longe in trianguli aperturam fluctuat, & ipſam etiam faucem tegit, tum eius laterales angulos, e quibus barbæ laterales partes emergant, conſtituit.

Barba ampla, in tres lacinias ſecta: duabus lateralibus ellipticis fere, ſæpe & amplioribus: media rotundata leviter concava, & quaſi ex duobus aggeribus oblique in faucem decurrentibus, exorta depreſſior,

&

& ſub lateralibus abſcondita. Barba etiam ochroleuca eſt, ſed non piloſa. Guttur eius inferne canaliculatum.

Filamenta ſub antheris flavis longe villoſa ſunt, non exſerta.

Piſtilli ſtylus ſolus extra galeam eminet, non ſtamina.

Obſervatio I. Adeo obtuſa galea eſt & clauſa, ut nulla antherarum, quæ cæterum coercitæ hærent in galeæ fornice, educi poſſit flore non dilacerato, unde nec acuta nec emarginata dici poteſt galea.

Obſervatio II. In enumeratione *Stirp. Agri vindob.* interrogatur an hæc noſtra ſtirps, ſit *comoſa* LINNAEI? LINNAEUS quaſi totam plantæ deſcriptionem non cæpiſſet, in *nova ſpecierum editione* nec ad *comoſam* nec ad *tuberoſam* retulit, plantamque auſtriacam intactam reliquit; dicam, quid ſentiam, plantas LINNAEUS ex ſiccis ſpeciminibus hariolatur, & in imponendis cognomentis ſatis infelix eſt, nam nunc in ſecunda ſpecierum editione *comoſam* vocat plantam, quæ ſpicam floralem foliis vacuam nudam non comatam habeat, ut docet icon ALLIONE: dum tamen tum Helvetica, tum Auſtriaca planta, quam egregie & ad naturam HALLERUS pinxit unice comoſa eſt, unde etiam *ſpica folioſa* definitionis LINNAEI repugnat, & iconi & deſcriptioni Cl. ALLIONI, qui adeo non *comoſæ* L. confert, ut dicat, referre potius *recutitam* L. quam præter LINNAEUM nemo *comoſam* vocabit; ergo delendum eſt ALLIONE ſynonimon in *comoſa* L. & manebit comoſa L. vel planta ficta, vel ex exſiccato aridoque auguriolo male admodum definita; LINNAEUS certe in hac planta minime ſincere egit, vide enim, ut *pedicularem* comoſam *caule ſimplici ſpica folioſa corollis galea acutis emarginatis*, *calycibus 5-dentatis* ſolum creſcere faciat in alpibus Helveticis in *editione prima*, & in *editione ſecunda* eandem pedicularem comoſam faciat creſcere in alpibus ſolis Italicis, quia, qui illum tueatur, patronum quærit ALLIONIUM, qui ſemper negat, pedicularem ſuam *comoſam* L. eſſe, non enim monet, *galeam emarginatam* eſſe, *floribus folia non interponi* manifeſte ſcribit. Ultimo potuiſſet ſuperſedere Enumerator criſi iconis CLUSIANAE, planta ALLIONE habet *plures oblongos pulbulos*, ut ipſe fatetur Clariſſ. Autor. Nec ſatis certum eſt, cur ſibi quæ vineat, monſtra fingat, cum nec LINNAEUS nec HALLERUS CLUSII plantam in ſynonimon adduxerint.

Obſervatio III. Omnino ridiculum eſt, LINNAEUM plantam Helveticam & Auſtriacam, comoſam nempe HALLERI, quam antea in ſynonimon

ſtræ comoſæ adduxerat, in editione ſecunda quaſi fictitiam in integrum omittere nulla huius mentione facta, & comoſæ Helveticæ, non comoſam Italam comoſæ tamen nomine ſubſtituiſſe, quaſi nobis liberum non eſſet, æque ac illi fictas revera multas eiicere Lapponicas.

3) *Pedicularis obſoleta.*

Pedicularis radice tuberoſa; ſtaminibus floribus minoribus obſoletis maioribus.

Pedicularis alpina foliis alternis pinnatis, floribus ex atro rubentibus in ſpicam denſam congeſtis HALL. *Helv.* p. 623. T. XVI. F. 2. icon bona, hic etiam primus deſcripſit.

In *Grünſchackeralpen* ad deſcenſum *Kolberg* in foſſis cum veratro albo & ſolidagine *alpina.*

Radix conflatur aut uno, aut pluribus, ſi ſucceſſuri adhuc alii caules ſint, tuberibus, ligneis fere, fibroſis.

Caulis unicus ſectionis huius non ramoſus, craſſus ſatis, glaber, obſcure angulosus aliquando leviori purpura afflatus, inferne plerumque nudus dein multum ſolioſus, foliolis ſuperne congeſtis & ſub ſpica multis. Hic cæterum pedalis cubitalis rectus viſitur.

Folia radicalia multa longis carnoſis ſeu craſſiuſculis, canaliculatisque petiolis orta adſtant; caulina paulo infra mediam caulis altitudinem egrediuntur, mox pinnis ornata, non adeo, ut radicalia, longe nuda ſunt; utraque pulchre pinnata ſunt pinnis omnibus iuxta eminentem foliorum nervum confluentibus: ipſis etiam nervoſis, utroque latere dentatis, carnoſis, ſtatim ſeſe corrugantibus, facie ſaturate viridibus, dorſo magis pallidis pinnarum pariutu 13. ad 16.

Flores ex alis ſuperiorum foliorum ſolitarii ſeſſiles ſæpe, dein in denſum conglomerantur latumque caput; ſpicam adeo longam, ut HALLERI icon eſt, non vidi. Cæterum hi ſunt obſoletæ rubedinis, ex gummi lacca, totius familiæ minimi & maximi rictus, dum galea fere rectiſſima in noſtris minime, ut in icone HALLERIANA inclinata & forte ex exemplari ſicco deſumpta, & ipſa barba angulo recto exeat.

Calyx bracteola fulcitur ſæpe ex atra purpura colorata bi-tridentata, ſæpe etiam integra, & inter flores conferta, quaſi folioſa. Is glaber, turgidus, in quinque lacinias ſuperne plerumque ſectus (eſt enim ubi etiam

Digitized by Google

etiam ſolum quatuor videas) quatuor oppoſitis una impari. Sunt hæ laciniæ ſæpe margine coloratæ & piloſæ.

Corolla ringens tubo circulo albo orto, brevi vividiori purpura colorato, ſtriato, tum inflato & paulo poſt iterum coanguſtato.

Galea complicata obtuſa parum ſuperne emarginata longiſſimum piſtillum ad angulum acutum ſatis deorſum flectit; laterales galeæ margines primo viridant, ut & galeæ emarginatio.

Barba ex fauce interne piloſa duos habet elevatos aggeres, inter quos cavum interiaceat, hæc trifida eſt, ſegmentis lateralibus minoribus vix crenatis: medio maiore ex aggeribus paulo ante dictis pendulo fovea in medio impreſſa ornato; eſt tamen, ubi etiam contrarium videas, lateralia ſegmenta maiora medio minore, omnibus crenulatis. Barba inter omnes minima eſt, viridans.

Stamina primo in flore plicata, dein explicata exſerta dependent galea longiora ſuperne ad inſertionem antherarum etiam maiori longitudine piloſa.

Antheræ bicapſulares & inferne hiantibus finibus quaſi ſagittatæ virides polline flavo.

Piſtillum duplo fere galea longius ad angulum, ut dixi, ſatis acutum in barbam reflexum, quod in aliis non adeo memini me vidiſſe.

Capſula baſi complanato-ventricoſa, apice obliqua.

Obſervatio. CLUSIANA icon Hiſt. II. p. CCX. Alecterolophos alpina de planta noſtra nihil habet, nec quoad radices, folia, flores, quos galea crenata pinxit. In vegeta florente planta tuba ſæpe non adeo longe prominet & ſtamina nunquam exſerta ſunt nec videntur, ut hæc in definitione omittere neceſſe ſit.

4) *Pedicularis roſtrato-ſpicata.* * *Enumer.*

Pedicularis caule ſtrigoſo recto, ſpica oblonga caneſcente; floribus roſtrato-acuminatis.

Pedicularis alpina purpurea, ſtrigoſior, ſpica oblonga incana floribus alternatis & per intervalla poſitis. BURS. *Act. ſuec.* optime, ex natura.

In alpium Breyninarum coſtis vix vero in pratis. In Schneberg iam dudum collegeram.

Radix ligneum fere tuber, ex quo exiguæ fibræ flave horizonti parallelæ fere proficiſcantur.

Caput

Digitized by Google

Caput radicis præcedentium annorum folioſis emarcidisque & nigris vaginis veſtitur.

Radicalia folia aliqua longis nudisque petiolis cœpta, pinnata, pinnis ſemipinnatis confluentibus, longe plus, quam in ſequente diſtantibus, etiam maioribus & longioribus, aliquando dentatis & obſcurius in utramque folii partem verſis, ſeu oblique ſolum retroverſis.

Caulina numeroſa ſunt, totam caulis longitudinem veſtientia ſæpe quinque &, ubi plurima numeravi, etiam octo; cæterum omnia ſemper alterna ſunt & radicalibus ſimilia, niſi quod ſenſim adſcendentia decreſcant, quod moneri non debuiſſet.

Caulis plerumque unicus, rariſſime duo, is anguloſus rectus pede minor, aliquando tamen etiam hoc maior, ſtrigoſus, ex purpura coloratus, in longa florali ſpica evidentius purpureus & conſtanter alba lanugine incaneſcens viſitur, hacque nota iam a longa diſtinguitur, ut mirum alpinos id prætervidiſſe viros, neminem plantam vere examinaſſe aut diſtinxiſſe, quaſi ſuffeciſſet, roſtratam eſſe, ut roſtrata LINNAEI diceretur.

Bracteæ florales a foliis vere degenerant, eæ enim firmo cavoque petiolo & colorato ortæ pedicellum cauli apprimunt plerumque trifidæ, lacinia media longiſſima, petiolo laciniisque hinc inde piloſis. Aliquando etiam brachiatim multifidæ ſunt.

Pedicelli ad caulem erecti non longi in ſequenti longe maiores.

Spica florum longa primo rara, dein, ut fieri ſolet, conſertior, aliquando etiam quaſi in parvum capitulum ultimo collecta, ubi parva fuit decem, ubi longior 19. numeravi idque plus quam in viginti, quæ nunc coram habeo, exemplaribus omnibus recentibus & ex alpibus tum a me, tum ab aliis delatis, & cum deſcripta iam planta collatis.

Calyx ex viridi purpuraſcens, ſubhirſutus aut potius villoſus, anguloſus, ſtriatus, ventricoſus, in quinque lacinias ſolvitur non criſtatas. Sinus laciniarum fere toti pubeſcunt.

Flores alterne ſpicam ſcandunt aut ex albido purpurei, aut integra purpura læti.

Tubus pro portione floris exiguus, incurvus; albidus aut roſeus plerumque.

Faux fere cliſa, & compreſſa, complicata.

Galea

Galea compreſſa, in initio anguſta, medio ventricoſa, ſine longe roſtrata eſt, roſtro barbæ incumbente hancque in unum alterumve latus obliquante. Roſtri apex modo in duas, modo in tres partes finditur, modo in labra ſolum duo bi-tridentata, per quæ tuba purpurea apice viridi inſtructa emineat, ſolvitur. Galea diverſi in diverſis partibus coloris eſt, modo enim viridior eſt, modo ex viridi albens aut herbacea, quæ dein obſcuriori purpura perfundatur, dum roſtrum roſeum eſt, aut amœnius purpureum.

Barba ampla eſt, plerisque floribus oblique depreſſa, cordata, trifida, ſegmentis lateralibus maioribus, medio a prioribus abſcondito, minore, vomeriformi, ora antrorſum elevata. Medius ex fauce canalis, duobus aggeribus elevatis factus, in medium ſegmentum ducit.

Stamina abſcondita villoſa non inveni.

Antheræ gentis.

Obſervatio. Non aliæ in tota ringentium gente ſtirpes mihi maius faceſſebant negotium, quam hæc *ſpicato-roſtrata*, & ſequens *capitato-roſtrata*. Quo ad hanc quidem quod inter numeroſa exemplaria ad examinandum cœpta, inter alia cum radice, ut in hortulo meo creſcat, eradicata, & inter omnia alpina viſa, non occurreret unum, quod caule eſſet ramoſo, hinc ſub pediculari

Caule ſubramoſo, corollis galea roſtrato-acuminatis, calycibus ſubhirſutis,

militare non poſſet. Neque ſane maius lumen affundebat aut icon, aut definitio HALLERI *Helv.* p. 621. *Spec.* 2. T. 16. F. 1. cum nec calyx criſtatus ſit in noſtra, ut pingit, minus adhuc flores ſparſi ſint & pedunculi ex foliorum alis longi, ipſæ etiam breviter eſſent retroverſæ & imbricatæ foliorum pinnæ, quod, ut nec alia plura, de hac planta nemo perhibuiſſet. Dolui ſemper in pedicularibus & cytiſis deſcribendis dormiviſſe CLUSIUM, & poterat LINNAEUS herbario BURSERI utens plantas auſtriacas multas melius cognoſcere & definire.

Nunc vero his omnibus iam ita per annum conſtitutis, pervenit ad manus CAROLI ALLIONII Pedem. Stirp. ſpecimen primum, in quo T. XII. F. 2. meam hanc plantam ex habitu cognoſco, hac inſuper inſcriptione ſuperaddita.

Pedicularis foliis alternis pinnis ſemipinnatis floribus roſtratis laxe & longiſſime ſpicatis.

In deſcriptione vero inter ſynonima.

Eritne pedicularis alpina purpurea, ſtrigoſior ſpica oblonga incana; floribus alternatis & per intervalla poſitis BURSERI. *omnino.*

Cæterum icon ALLIONII commoda eſt, ſed voluiſſem caulem ſtriatum anguloſum, caulis florigeram portionem villo incaneſcente obductam, calyces villoſos, & folia non ita compreſſa, quaſi ex herbario ſicco eſſent picta, bene vero expreſſit calcographus foliorum formam bracteas ramoſas trifidas omnino bene, ut & formam calycis & florum, ſed quod calcographo defuit, uberrime ſupplevit Egregius ALLIONIUS; meretur conferri deſcriptio ALLIONII cum mea.

Hanc vero Cl. ALLIONII ſtirpem LINNAEUS fere ſuam *incarnatam* facit hac adiecta ſimplici nota, quod *calyces acutiores & villoſi* eſſent, & ſic ſunt, &, ſi unquam, ut non dubito, incarnata LINNAEI debeat migrare ad noſtram hanc ſtirpem, tum clarum erit ſimplex BURSERI nomen *ſpica oblonga incana*, hanc plantam exactius indigitare, quam vel totam LINNAEI definitionem, vel quinque linearum adiectam deſcriptionem.

5) ***Pedicularis*** **roſtrato-capitata.**

Pedicularis foliis in utramque paginam verſis criſpatis; ſpica capitata folioſa; floribus roſtrato-acuminatis.

Pedicularis foliis pinnatis, pinnulis obtuſis dentatis, galea roſtrata. HALL. Helv Spec. 3. T. VIII. ut certo cognoſcatur, licet ſicca picta ſit.

In alpibus Breyninis cum præcedente copioſa.

Planta diverſa facie obſervabilis, modo vix duos digitos ſupra terram eminet tribus tantum floribus collectis conſpicua, modo altior eſt aliquantulo plures habens, modo pedem medium & ultra aſſurgit & poſſidet plures inter folia poſitos.

Radix fere ſemper præmorſa eſt, aliquando exiguum format caudicem, cui radicula aureſcat, in omni caſu longis teretibusque conſtat aut ochroleucis aut magis albidis 3. 5. nunquam tuberoſa eſt, vidi etiam in uno ſpecimine craſſam carnoſam, dein bifurcam.

Caput radicis ſquammis obovatis 3. 4. 6. pluribus obſidetur, quæ folia radicalia caulesque enatos coerceant.

Radi-

Radicalia folia omnino numeroſa, hæc longis, canaliculatis, & ſæpe purpuraſcentibus petiolis inſtructa, pinnata, pinnis confluentibus, utrimque obtuſe dentatis dentibus reflexis & in utramque folii partem verſis. Folia hæc quaſi cincinnata ſunt, carnoſa, rigidula tamen, & innocue pungentia attacta, ſuntque non in faciem, ſed ſurſum verſa, ſeu ut male retroverſa, imbricata, vocant.

Caulina eodem modo ſe habent, in his vero eſt hæc animadverſio tenenda, quod pauciora ſemper ſint quam in præcedenti planta, tum modo alterna, modo viſantur oppoſita, oppoſitionibus ſæpiſſime duabus ſolum, aliquando vero tribus; hæ vero ita ſe habent, ut mox in exortu caulis vaginæ petiolares caulem amplectantur, quæ tamen ſæpe deſint, dum ſupra caulis medietatem, ut & ſub capitulo oppoſitiones ſint conſtantiores. Folia in his oppoſitionibus fere ramoſa viſuntur, dum in alternis id non niſi ſub capitulo obſervetur.

Caulis unus, aliquando duo ex eodem capite vaginis cœpto oriuntur, diverſæ, ut iam dixi, altitudinis, in ſpecie minima quaſi caulis in pedicellos ſolvitur, ut in icone *Flor. lapp.* T. IV. F. 3. in aliis rarius hinc inde edit florem caulinum ſolitarium longo pedicello inhærentem, ut fere in icone HALLERI *Helv.* T. XVI. F. 1. plerumque tamen capitulum florum folioſorum ſuſtinet. Caulis paulo maior ſemper incurvatus, parum villoſus, purpureus.

Florum ſubverticillatum magis retuſum, quam in pediculari verticillata, caput involucratur & quaſi roſula comatur. Folia hic naturam foliorum ſervant & pinnis quaſi ramoſo-pinnatis gaudent; ſunt cæterum ſpecioſi flores præcedentibus ſimiles colore & roſtro, & mihi aliquantulum maiores apparent.

Pedicelli tenues purpurei in prima ſpecie minima non folioſa adeo, quia plerumque ſolum tres flores ſunt erecti, in capitato-folioſa a foliis magis depreſſi, in noſtratibus longiſſimi.

Calyx anguloſus, ſtriatus, amplus omnino & longus, etiam in minima variatione parum, aut vix hirſutus, ſuperne in quinque portiones criſtatas diviſus, quæ ſolum in ſectionum ſinubus villoſæ ſint.

Tubus incurvus albens præcedenti duplo longior.

Galea præcedenti maior nigro purpurea ubi ventricoſa; non vidi viridantem, ut in priori, ſed æque barbæ roſtro ſuo oblique incumbentem.

tem. Eſt etiam roſtri finis, ut in priore, bifidus, tuba pariter colorata eminet aliquantulum,

Alia fere prioris ſunt, niſi quod ſtamina aliqua manifeſtius hirſuta ſint.

Obſervatio. Illuſtris vir HALLERUS in opere Helvetico duas iam propoſuerat *roſtratas* purpureas pediculares, quarum etiam icones adiecerat & deſcriptiones, ſed quaſi una diſplicuiſſet LINNAEO e foro botanico eiecit nec floræ etiam in altera editione ſpecierum inſcripſit, ſed quo usque tandem! . . . . & patrios . . . . in cineres?

Videtur ſane LINNAEUS neutram harum ſtirpium vivam vidiſſe; de hac poſteriori evidens eſt, cum in ſpeciebus omnibus non habeat, de priori roſtrata dicta æque certum dum quaſi dubitaret exiſtere, in ſecunda ſpecierum editione KRAMERI noſtri auctoritatem adderet in hunc modum,

3. *Pedicularis roſtrata.*
Pedicularis caule ſubramoſo, corollis galea roſtrato-acuminatis, calycibus ſubhirſutis. KRAM. *auſt.* 183. n. 3.

& in prima ſpecierum editione eandem definitionem nudam proponeret, nulla auctoritate muitam; verum enim vero quam noſtrarum ſtirpium indigitare KRAMEUS voluerit, dici non poteſt, ſufficiebat roſtatam eſſe ut roſtratam diceret, probe gnarus (& quod unanimiter omnes ſexuales fatentur) adeo laxas & tergiverſatiles LINNAEI definitiones ſpecificas eſſe, ut ſunt Genericæ; & certe Agri Vindobonenſis ſcriptores utramque confudere.

Et nunc adhuc alio argumento probari poteſt, neutram harum ſtirpium vivam a LINNAEO viſam, dum nec floræ Laponicæ, nec floræ Suecicæ inutiles definitiones ſæpe, roſtratæ ſubiicit, & ſolum in *Helvetia* &*Auſtria* creſcere dicit, ergo definitionem ſuæ plantæ dedit e ſpecimine ſicco, & ſic multi proximum ſuum decipiunt, vividam plantæ vitam ex arida morte pingentes, ſic ex obſoleto laceroque ſpecimine nova genera, novasque ſpecies hariolantur, ex excuſſo ſtamine decandria fit enneandria, ex tuba, monœcia &c. & botanicos in difficultates inſuperabiles coniiciunt; at illi, botanici nomen venentur, ego ſolum id cupio exacti honeſtique ſcriptoris, dum quam recentem non poſſum deſcribere plantam potius in faſciculis meis omittam.

Volo

Digitized by Google

Volo tamen adhuc ſuppeditare alias utriusque ſtirpis definitiones ut facilius cognoſcantur.

4. *Pedicularis roſtrato ſpicata.*
Pedicularis radice tuberoſa floribus galea roſtratis.
Pedicularis calycibus non criſtatis: floribus galea roſtratis. et

5. *Pedicularis roſtrato-capitata.*
Pedicularis radice ſubpræmorſa; floribus galea roſtratis.
Pedicularis calycibus criſtatis amplis: floribus galea roſtratis.

Et ita quidem has plantas, ut non amplius confundi poſſint, ſatis diſtinctas reor.

Obſervatio II. Improprie omnino clariſſimi viri eas pediculares ramoſas, aut ſubramoſas vocant, quæ in elongato aliquantulum pedunculo ſolitarium gerente florem ramoſititatem caulis ſolum habeat, nam ſi inde caulis ſubramoſus dicendus, an non ſexcentæ ſpecies aliorum generum erunt male admodum a LINNAEO definitæ? viderit LINNAEUS.

Obſervatio III. Siquidem *Ill.* vir LINNAEUS hanc noſtram plantam primam, ſcilicet pedicularem roſtrato-ſpicatam, ſuam fere incarnatam faciat hinc a *roſtrata* propria alienam neceſſe eſt, ſiquidem duæ hæ roſtratæ ſolum noſtris in alpibus inveniantur, & Auſtriarum plantarum ſcriptores roſtratam LINNAEI recenſeant, neceſſe, inquam, eſt, ut hæc poſterior roſtrata LINNAEI ſit.

Sed nunc non eſt in hac ultima caulis certius ſubramoſus, quam in prima, nec calyces certo ſubhirſuti ſunt, dum in numeroſiſſimis exemplaribus vix ſubhirſutum videas, ut iam ex definitione *roſtrata.* L. vix divinari haece planta poſſit aut roſtrata dici.

Secundo ſub roſtratæ ſynonimis citat *Ill.* Vir LINNAEUS *Pedicularem alpinam foliis alternis pinnulis inciſis floribus ſparſis roſtratis purpureis.* HALL. *Helv.* 621. T. 16. F. 1. at hæc radicem manifeſtius tuberoſam habet, quæ noſtræ talis nunquam ſit, ergo roſtrato-capitata, roſtrata LINNAEI eſſe non poteſt, & roſtratam ex roſtro ſolum dixere.

Ultimo hoc ſciat LINNAEUS, noſtræ plantæ *flammeæ* ſuæ definitionem etiam convenire

Digitized by Google

Caule ramoſo.

6) *Pedicularis paluſtris.*

Pedicularis caule ramoſo erecto; calycibus bifidis 4 fidisque, laciniis fimbriatis.

Pedicularis caule ramoſo erecto, calycibus bifidis crenatis. HALLER. *Helv.* 621.

Pedicularis caule ramoſo, calycibus calloſo-punctatis; corollis labio obliquis. LINN. quæ etiam in aliis viſuntur.

Pedicularis. RIV. T. 93. bona.

Pedicularis paluſtris rubra elatior. RAI. TOUR. VAILL.

Pedicularis danica maxima. LOB. *illuſt.* 147.

In prato uliginoſo *Hamettel* infra *Guttenbrun* eundo in *Crembs*, & abunde in locis reſedes aquas habentes ſtagni *Himberr.*

Radix, gentis parva, craſſula, flava.

Caulis modo unicus, modo plures: uterque ab infimis geniculis ramoſus ramis mediam & ultra altitudinem attingentibus. Cæterum rectus fiſtuloſus, craſſus, anguloſus, ſuperne ex purpura coloratus pedem unum, aut unum cum dimidio aſſequitur.

Rami anguloſi, ſtriati, ſuperne purpurei quandoque uno alterove latere, quod tamen minime perpetuum ſit, leniter villoſi.

Folia, ut recte pinxit RIVINUS, petiolo carinato nixa, pinnato-ſerrata, dura, extremis pinnis confluentia, ramis & pedunculis ſuppoſita.

Calyx pedunculo ad caulem erecto aut parum ſolum ab eo remoto nixus, in ſummitate etiam ſeſſilis, maximus eſt, recte ut pinxit RIVINUS, nec memini me in aliis adeo ventricoſum vidiſſe, ſtriatus, rugoſus, purpura inſolatus, perpendiculariter bifidus, quandoque adhuc transverſaliter ſectus quadrifidus, ſegmentis omnibus ſectis, mediis longiſſimis criſtatis, infimis & ſupremis minoribus.

Flos ex albo rubens: galea viridante piſtillo non exerto: barba trifida ſegmentis lateralibus latioribus ſuperne purpureis, inferne albidis aut roſeis, medio minimo.

Galea ætate ex viriditate purpuraſcit & ſtriatur.

Barba latiſſima eſt, inferiori ſegmento minore exſtante, lateralibus latioribus divergentibus. Ipſa barba ſemper ad galeam appreſſa eſt obliquum ſitum habens.

Piſtillum in deflorato flore prominet, quod in florente non videtur.

Capſula

Capſula ex fundo calycis exſurgens bifidum calycem in loco fiſſuræ ſcindit obliqua, apice dente cornuto inſtructa, bilocularis.

Semina immatura amœne purpurea ovato-acuta, tunicata poſtulat LINNAEUS, non vidi, niſi exteriorem ſeminum epidermidem per abuſum tunicam vocet, quo caſu omnia ſemina tunicata ſunt, & ſpecifici nihil habent.

560. SCROPHULARIA.

CHARACTER. *Calyx* 5-fidus. *Corolla* ſubgloboſa, reſupinata 5-fida. *Capſula* 2-locularis, 2-valvis.

1) *Scrophularia nodoſa.*

Scrophularia foliis cordatis baſi transverſis; caule & ramis ſpica nuda paniculata terminatis.

Scrophularia nodoſa, fætida. C. B. *pin.* TOURN.

Scrophularia CAM. *Epit.* 866. icon. RIV. T. 106. commoda. BLACK. T. 87.

Ad aquas & in ſucculentis frequens, ita ſupra *Ottackring*.

Radix tuberoſa multiformis.

Caulis pedes duos, quatuor, & ultra altus, quadrangulus angulis ſatis acutis, quandoque linea membranacea auctis non recte alatis, ex obſcura nigraque purpura coloratus, ſtriatus, ramoſus, ubi apice etiam in ramis piloſus, pilis glandulis ſeu ampullulis oleoſis inſtructis.

Petioli firmi erecti leniter alati colorati.

Folia imperfecte cordata, quia baſim transverſam non ita in cordis formam exſectam habent, erecto-patentia, rugoſa, venoſa, ſerrata, longa, contrita fætida, minime trinervata.

Bracteæ exiguæ, pedunculos longos fulciunt, primæ ex laciniatis lanceolatæ ſunt, aliæ lanceolatæ aut lineares.

Pedunculi piloſi, pilis in fine globulis oleoſis præditis, colorati.

Calyx 5-fidus conicus viridis.

Corolla globoſo ventre calyci inſidens, viridis hinc inde ex ſordida purpura colorata.

Galea recta incumbit medio in duos lobos diviſa, color hinc ſuperne ſordide, interne profunde purpureus in puncto diviſionis, interne adhuc labrum habet itidem purpureum.

Digitized by Google

Laciniæ duæ laterales, erectæ, viridant.

Barba rotundata deflexa eſt viridis.

Antheræ flavicant ſtaminibus latis & in fine quaſi complanatis.

Obſervatio. LINNAEI definitio foliis cordatis *trinervatis* caule acutangulo, admodum mala eſt, dum etiam eius diſcipuli caulem obtuſangulum eſſe, qui tamen non ſit, perhibent.

2) *Scrophularia aquatica.*

Scrophularia foliis cordatis obtuſis, decurrentibus; caule membranis alato: racemis nudis terminalibus.

Scrophularia femina CAM. *Epit.* 867. icon.

Betonica aquatilis DOD. p. 50. bene. aquatica BLACKW. T. 86.

Scrophularia aquatica maior caule fimbriato LOES. pruſſ. *bonum nomen.* p. 248. icon T. 13.

Ad ſtagnantes aquas *Lieſing.*

Radix aquaticarum more multum fibroſa, ſæpius radicata, quaſi fluitans.

Caules plures diverſæ altitudinis plerumque alti, hominis etiam ſtaturam æquantes firmi, quadranguli, angulis alatis, alis membrana ſæpe ex purpura colorata cinctis, admodum folioſi, etiam ramoſi.

Folia petiolo lato craſſo ſæpe purpuraſcente, marginibus alato orta, obtuſo principio cordata ex ellipſi lente extenuantur, venoſa, ſerrata quandoque ſubtus purpuraſcunt purpura per venas aut nervos gliſcente.

Pedunculi caulis naturam ſervant, quadrangulis alis ex alis prodeuntibus bracteisque in exortu fulciuntur; ſunt hi ramoſi, oppoſiti, multiflori novisque bractearum laciniis fulti, quæ etiam ſingulis pedicellis particularibus ſupponantur. In centro duorum racemorum plerumque pedunculus unus ſolitarius ante omnes alios florens conſpicitur.

Alia prioris.

HABI-

Digitized by Google

HABITUS DELIQUESCENTIS
I. GYMNOSPERMAE.
DIANTHERAE ſ. TETRANTHERAE.

577. LYCOPUS.

CHARACTER. *Corolla* 4-fida: lacinia unica emarginata: *Stamina* diſtantia. *Semina* 4. retuſa nuda.

1) *Lycopus Europæus.*
Lycopus foliis pinnato & ſinuato ſerratis.
Marrubium aquatile. DOD. p. 595.
Pſeudomarrubium paluſtre. RIV. T. 21.

Ad aquas in pratis *Ottackling*, in ſylvis *Dornbach* ad easdem ubique.

Caulis quadrangulus firmus, ſtriatus, ſubhirſutus, rectus pedalis, bipedalis & ultra, modo ſimplex, modo ramoſus.

Folia oppoſita petiolo alato pinnato inſtructa frequenter, ovato-oblonga lente decreſcentia ſinuato ſerrata, aut laciniata, glabra aut hiſpida; hoc enim multum variare ſolet.

Verticilli in caule ad foliorum alas ſeſſiles lanceolatis bracteolis ſuffulti.

Calyx tubulatus ſemiquinquefidus, laciniis quaſi ariſtatis.

Corolla monopetala inæqualis ſubringens, alba maculis purpureo cæruleis picta, quadrifida.

Faux ventricoſa barbata.

Labium ſuperius latius exſectum, inferius lateralibus maius; non ut LINNAEUS minus: omnibus punctatis ſæpe, inferiore vero magis.

578. VERBENA.

CHARACTER. *Calyx* 5-dentatus uno dente præmorſo, angulofus. *Corolla* 5-fida ſubæqualis tubo curvo. *Stamina* 2-4. nuda. *Semina* 2-4.

1) *Verbena officinalis,*

Verbena ſpicis anguſtiſſimis paniculatis, foliis multifido-laciniatis; caule ſolitario.

Verbena BLACK. T. 41. RIV. T. 56. in horto culta.

Verbenaca MATTH. p. 1052. icon. CAM. Epit. 797.

Ad aquas Rodaun etiam ad vias.

Caulis erectus quadrangulus, ſulcatus, glaber, diverſæ altitudinis a pede uno ad quatuor in hortis altus, etiam non tamen ſemper brachiatus, brachiis purpuratis.

Folia lato longoque petiolo orta laciniata, admodum primis laciniis latioribus, aliis non ita regularibus, ultima longiori hinc inde obtuſe ſerrata. Hæc cæterum nervoſa ſunt rugoſa, ut fere ſcabra inveniantur. Superiora fere tripartita, & ultima aliquantulum minus ſecta: omnibus undulatis, criſpis fere.

Pedunculi ſpicarum purpurei hiſpidi.

Spicæ longæ gracillimæ.

Calyx ſtipula ſuffultus hirſuta tubulatus angulatus denticulo uno præmorſo.

Corolla monopetala inæqualis rotate ringens: tubo cylindraceo longo: fauce aperta: limbo ſemiquinquefido laciniis ſubæqualibus patentibus, aliquando crenatis.

508. MENTHA.

CHARACTER. *Corolla* ſubæqualis 4-fida: lacinia latiore ſæpe emarginata. *Stamina* erecta diſtantia.

1) *Mentha ſpicata.*

Mentha floribus ſpicatis foliis oblongis ſerratis, viridibus.

Mentha anguſtifolia ſpicata C. B. nomen anguſtifoliæ noſtræ plantæ non convenit.

Ad foſſas.

Radix

Radix longe lateque ſerpens.

Caules plurimi, tetragoni, ſæpe ex purpura colorati, admodum ramoſi.

Folia exiguo petiolo pene ſeſſilia, admodum venoſa, rugoſa, ſuperne ex atro virore ſplendentia, acutis dentibus margine ſerrata, ex ovalibus longe lanceolata.

Spicæ in ultimis ramis ex verticillis ſenſim confluentibus, quorum primi diſſiti evidentiores & inciſas latas bracteas poſſident, dum ſequentes iam minores fiunt, ſolis ſere bracteis lanceolatis.

Calyx pedicellatus, tubulatus, conicus, coloratus, angulоſus in quinque dentes ſolvitur profundius coloratos.

Tubus calyce maior, eodem modo factus, albidus, conicus.

Corolla in 5. ſegmenta ex albo cærulea ſecta, patens.

Stamina ſegmentis longiora.

2) *Mentha gentilis.*
Mentha floribus verticillatis, foliis ovatis acutis ſerratis, ſtaminibus corolla brevioribus.

In *Brigittau.*

Obſervatio. Si a ſequente vere diverſa eſt: differet caule magis ramoſo, foliis pallidioribus, ſtaminibus non exſertis, cæterum idem utriusque plantæ odor calaminthæ montanæ, alia etiam eadem.

3) *Mentha verticillata.*
Mentha floribus verticillatis, foliis utrimque ovato acutis ſerratis, calycibus caneſcentibus hiſpidis, ſtaminibus corollam longe æquantibus.
Mentha verticillata. RIV. T. 48. *optima.*

Ad aquas *Maurbach*, in locis aquas reſedes habentibus *Brigittau* abunde cum odore calaminthæ montanæ.

Radix ſerpens.

Caules aliquot tetragoni inferne colorati non adeo ramoſi, pedem unum & ultra alti aſperi, pube obſiti.

Digitized by Google

Folia longo ſatis petiolo orta, ex acutis lateſcunt, dein vero iterum anguſtantur, hinc ex ovatis utrimque acuta, pilis albidis rigidulis leviter aſperſa, a petiolo ciliata integra, dein pro magna parte manifeſtius ſerrata ad apicem, ſingulos verticillos longe ſuperant, exſtantia.

Verticilli confertiſſimi, etiam hirſutis ſquamis lanceolatis aucti.

Pedunculi atro purpurei, tenelli, calycis fere longitudine, raris pilis adſperſi.

Calyces toti hiſpidi, hirſuti, tubulati, in 5 lacinias coloratas ſecti, quarum una ſæpe bifida ſit.

Corolla gentis, ſed extus ut intus in fauce hirſuta, in quatuor ſegmenta diviſa ex albo profundius cærulea, uno alterove ſegmento latiore & eo quandoque ad huc fiſſo, ut quinque ſegmenta adeſſe appareant, aut ſaltem emarginata.

Stamina corollam ſuperant, aut æquant.

Obſervatio. Mira confuſione definitiones LINNAEANAE laborant. *Verticillatam* in ſyſtemate naturæ dixerat, quam in nova ſpecierum editione iterum omiſit, quod cum *arvenſi* denuo confunderet hac adiecta nota, *caules diffuſos eſſe*, quod in noſtris non adeo frequens eſt; tum *verticillos laterales eſſe*, quod obſervare non potui, in aliis diverſum eſſe, & ſtamina certo longe ſuperant limbum corollæ in noſtris & exſtant.

4) *Mentha candicans.*

Mentha ſpinis oblongis, foliis oblongis ſubtus tomentoſis ſerratis ſubſeſſilibus, ſtaminibus corolla longioribus.

Mentaſtrum. RIV. T. 51 nullum habitum habet.

Menthaſtrum ſpicatum folio longiore candicante. I. B. III. RAI. ob incertitudinem ſynonima alia omitto.

Ad aquas ex ſylvis defluentes prati *Ottackling*, *Caltenbergerdorff* &c.

Caules quadranguli, erecti, ſtriati, hirſuti, ad pedes tres & ultra alti admodum ramoſi.

Folia exiguo craſſoque petiolo nixa fere ſeſſilia ſunt, ex oblongis longe acuminata, inæqualibus dentibus ſerrata, facie neglectæ viriditatis, dorſo incano-glauca, molliaque.

Rami

Digitized by Google

Rami ſupra caulis medium numeroſi caulis naturam ſervant, etiam folioſi foliis eiusdem ac in caule conditionis.

Verticilli ut in ſpicata primi evidentioribus & longioribus bracteis diſtincti, alii ſolum lanceolatis, vix verticillos æquantibus.

Calyx familiæ ſed ſubhirſutus.

Flos familiæ extus hirſutus.

Stamina corollam longe ſuperant.

5) *Mentha pulegium offic.*

Mentha floribus verticillatis, foliis ovatis obtuſis ſubcrenatis caulibus proſtratis exalbidis ſtaminibus corolla longioribus.

Mentha galea integra.

Pulegium CAM. *Epit.* 471. icon. RIV. T. 22. BLAKW. T. 312.

Ad foſſas reſedes aquas habentes *Hernals.*

Caules omnino multi proſtrati repentes fere & hi admodum ramoſi, quadranguli, angulis non adeo eminentibus aut acutis, exalbidi.

Folia ad ramorum exortum maiora ſunt, longe ſatis petiolata ex ovatis obtuſa, nervoſa, triſte viridia, obiter dentata, etſi unquam hirſuta; alia longe minora ſunt canaliculato-conflexa.

Verticilli denſi non nudi ſunt in noſtris, ut in ſuis vidit HALLERUS, ſed veris ſubiectis foliis non bracteis ſuffulti.

Calyx familiæ etiam tubulatus, 5-fidus, hirſutus.

Corolla perinde ut in aliis plurimis hirſuta ex albo purpuraſcens.

Galea integra non emarginata.

Stamina corolla & piſtillo longiora.

Obſervatio. Prædeceſſores a menthis pulegium excluſere, quod officinalis eſſet, ex habitu menthis LINNAEUS coniunxit, in charactere vero generico excluſit, quem errorem, licet illi dudum indicaſſet HALLERUS, nec correxit, nec revocavit.

6) *Mentha aquatica.*

Mentha ſpicis capitatis, foliis ovatis ſerratis petiolatis; ſtaminibus corolla longioribus.

Mentha foliis ovato-lanceolatis, verticillis paucis ſupremo maximo. HALL. *Helv.* bona dictione, ſed pro ut iacet.

Mentha aquatica. BLAKW. T. 32. paluſtris ſpicata. RIV. T. 49. *bona.*

β. Mentha aquatica ſeu ſyſimbrium hirſutius. I. B. RAI. MOR.

Ad aquas e ſylvis defluentes per prata *Ottackling.*

Mentha ſtolonibus reptantibus verticillis paucis ſupremo capitato?

Stolones in mea planta vere reptantes.

Caules plures pedales cubitales & ultra quadranguli colorati, hirſuti, aſperi, ramoſi, folioſi.

Folia longo petiolata lata ex ovatis acuminata, varia tamen ſubhirſuta ſæpe maculata.

Verticilli terminales duo, tres, ultimo maiore capitato.

Calyx familiæ tubulatus, ſtriatus, 5-fidus, hirſutus.

Corolla ex albo cæruleo purpurea familiæ ſtaminibus longe exſertis & galea inciſa.

Obſervatio. Plantam glabram facit LINNAEUS, quæ tamen modo glabra, modo hirta reperiatur HALLERUS. Sed idem vir clariſſimus HALLERUS ſtamina corolla breviora facit, & barbam bifidam, quod minime ſit huius menthæ.

II. AN-

Digitized by Google

II. ANGIOSPERMAE.

Calyce 2-vel 4-fido.

584. VERONICA.

CHARACTER. *Coroll.* monopet. irregularis, vel rotata, vel ringenti-orchidea: ſegmento infimo minore. *Capſula* bilocularis calyce perſtante complexa. Planta bianthera.

Spicatæ.

1) *Veronica Orchidea.*

Veronica corolla orchidea, bilabiata; floribus ſpicatis ſeſſilibus; caule ſimpliciſſimo.

Veronicaſtrum HEIST. *Cata.* Hort. *Helms.*

An? Veronica ſpicata. LIN. videtur.

An? Veronica foliis obtuſis caule non ramoſo ſpica nuda terminato. HALL. *Helv.* p. 531. Sed neuter ad florem attendit a rotalis Veronicæ corollis aliis abludentem.

In virgultis montanis *Ottakling.*

Radix horizonti parallela, fibroſa, caule vix craſſior.

Caulis ſtatim inclinatus erigitur, ſimpliciſſimus, duos cum dimidio pedes altus, leniter villoſus, longis intervallis geniculatus, foliis oppoſitis & ibi leniter anguloſus, cæterum rotundus.

Foliorum breves petioli caulem quaſi involucrantes.

Folia acutiori utrimque fine: infima magis elliptica, ſuperiora lanceolata magis utrimque in lateribus ſerrata, ſuperne ſplendentia, venoſa, pulchre viridia, non rugoſa, inferne diluta magis, nervis & margine leviſſime ciliatis; hoc vero ſuperna habent, quod etiam facie magis villoſa ſint.

Flores in ſpicam longam diſpoſiti, bractea fulciuntur, calycem, non florem excedente.

Calyx monophyllus, profundiſſime in quatuor ſegmenta breviſſima hirſuta & ciliata ſectus.

Corolla

Digitized by Google

Corolla violacea, ſeſſilis, ringenti-orchidea, qualem ante hæc in alia veronica non vidi, tubo tubuloſo compreſſo craſſo albido, calyce longiore.

Galea longiſſima, ut duas antheras proteget, dilatata, inde conflexa aſſurgit fine convoluto aut revoluto bifido vel integro, vidi enim in una eademque planta ſatis utrumque. Hæc galea dilute cærulea eſt, venis magis cæruleis adhuc picta.

Faux piloſa recondit ſtamina duo profunde violacea, quibus antheræ longæ didymæ inſiſtant, dilute violaceæ.

Barba multo latior in tres lacinias divaricatas, fere ad faucem usque diviſa eſt: lacinia media anguſtiore lateralibus amplioribus, & ſuperiori latere etiam galeam complectentibus. Apices trium horum ſegmentorum revoluti ſunt & quaſi cincinnati; ipſa barba horizonti parallela eſt, ut in orchide alpina.

Obſervatio I. Ita quidem 1760. in loco natali, quod novam crederem ſpeciem, plantam hanc deſcripſi cum ſingularibus his animadverſionibus; corolla non eſt rotata 4-fida, ſed bilabiata orchidea, ut aliud genus fere poſtulet, nec ſane maiori iure a veronicis exulat Pederotto LINNAEI; ſtamina duo deflorato flore ſubito extenduntur & ipſo etiam piſtillo longiora fiunt.

Varietas minor ſpica ſimplici.

Veronica ſpicata minor. VAILL. T. XXXIII. F. 4. OED. *dan.* LII.

Hæc in paſcuis aridiſſimis ante Incersdorffwalde abunde & alibi.

Varietas minor ſpica duplici.

Eodem loco quaſi biſurcato caule orta. An igitur eſt vere diſtincta a *longifolia*, quam etiam habeo ſpica terminali ſimplici? nec diſſentit clar. OEDERI icon.

2) *Veronica longifolia* * Enumeratio.

Veronica ſpicis terminalibus foliis oppoſitis lanceolatis ſerratis acuminatis. LIN.

Duplex eſt, latifolia & anguſtifolia.

a. Veronica prima erectior latifolia CLUS. I. p. 346. icon bona.

b. Veronica II. erectior anguſtifolia. icon ibidem. bona.

In *Türkenſchantz*, *Baden* & alibi.

Radix craſſa multum fibroſa.

Caul

Caulis unus vel plures pedales & ultra rotundi, ſolidi, duri, parvo aſperoque villo obducti, in ſummitate plerumque ramoſi, ubi vel unam, vel duas, vel tres ſpicas edunt, licet tamen hinc inde ex alis foliorum etiam enitantur.

Folia ſtricto canaliculatoque & ſemiamplexante petiolo cauli, quem craſſiorem reddant, hærent; ex hoc proficiſcuntur oppoſita folia admodum longa nervo duro in arcum fere profecto conflexa, tota longitudine ſerrata, ſine brevi magis acuto terminata. Sunt cæterum hæc craſſa ſatis triſte viridia, retro ſuperne magis aſpera, aliquando purpuraſcentia.

Spicæ in pedunculis firmis caulis naturam ſequentibus, longe ſtriatæ denſæ; hæ in initio oppoſitas bracteas ſæpe habent.

Calyx ſquamula hirſuta ſuffultus, ſeſſilis eſt & ad caulem erectus, familiæ quadrifidus, duobus ſegmentis minoribus, aliis maioribus, omnibus hirſutis.

Corolla violacea familiæ.

Tubus exiguus ventricoſus albus.

Galea latior, conflexa, incumbens.

Barba anguſtior deflexa.

Stamina piſtillumque longe exſerta.

Capſulæ familiæ hirſutæ.

5) *Veronica ſpuria* * Enumerat.
Veronica ſpica terminali foliis ternis æqualiter ſerratis.
Veronica ſpicata anguſtifolia. C. B. pin. 246.
Veronica mas ſurrecta elatior. BARR. icon. 155. T. 891.

Inter *Dornbach* & *Weinhaus* circa viam in aggeribus.

Caulis unicus, plures, glaber, teres, fiſtuloſus ultra tres pedes altus, inferne ad genicula coloratus, ſuperne ad ſpicam pubeſcens.

Folia ad ſingula genicula, terna, petiolata, pendula glabra, lanceolata tota longitudine ſerrata, inferne nervoſa magis pallida, ſuperne triſte viridia concava canaliculata.

Spica floralis terminalis unica, aliquando plures, pubeſcens.

Calyx familiæ, pedunculo hirſuto colorato ſuffultus, hirſutus & purpuraſcens, in 4. lacinias ſolutus.

Digitized by Google

Corolla longo ſatis tubo ex cæruleo purpuraſcens, fauce ſquamis piloſis clauſa labio ſuperiori emarginato.

Capſula colorata, turgens, cordiformis.

Obſervatio. Ut in ſuis ſolum ſpicas terminales vidit LINNAEUS, ita in noſtris ſolum ſpicam terminalem unicam vidi.

4) *Veronica officinarum.*
Veronica ſpicis axillaribus pedunculatis; foliis oppoſitis; caule procumbente.
Veronica CAM. Epit. 461. bene. RIV. T. 92. mas. BLAKW. T. 143.
Eſt omnino Veronica repens, ex alis ſpicata foliis rotundis, firmis glabris ALL. *Pedſ. Spec.* I. utique aliquid durioris habent.

In ſylvis frequens maxime vero in ſylvula illa ſterili ſupra *Grinzng*, in *Mauerbach* &c.

Caules ceſpitis in modum procumbentes, hirſuti, rotundi, duri, ſæpe obſcure rubentes.

Folia opoſita exiguo firmoque & hirſuta petiolo erecto-deflexa, ovato-oblonga aut magis ovata, rotunda, firma omnia & hirſuta ſubaſpera, crenata,

Spicæ florales ex foliorum alis firmulæ hirſutæ ſuberectæ.

Calyx monophyllus 4-fidus familiæ, duabus laciniis maioribus omnibus hirſutis.

Flores varii, in meis palide cerulei.

Capſula Thlaſpeos hirſuta hiſpida.

Corymboſo racemoſæ.

5) *Veronica aphylla.*
Veronica alpina pumila ſcapo ſubaphyllo.
a Scapo nudo corymbo terminali.
Veronica parva ſaxatilis cauliculis nudis SEGUIER Ver. I. T. 3. F. 2. foliis ſpathulatis.
Veronica foliis ovatis radicalibus, caule nudo ROY. *prod.*
b Veronica ſcapo bracteato pedunculis duobus unifloris.
Veronica alpina pumila caule aphyllo BOCCON. *Muſ.* T. 1. *commode*, & 9. eadem icon ſcapis duobus.
Teucrium minimum CLUS. I. p. 350. deſcriptio.
c. Veronica ſcapis bracteatis unifloris.

In omnibus alpibus etiam in *Schneberg*.

Hæc

Hæc ſtirps admodum variat & nullum alpinum virum omnes eius varietates, quæ difficulter una definitione complecti poſſunt, notaſſe, valde miror; igitur mihi notas exigam ad 20 exemplaria.

Radix modo plus, modo minus ſerpens.

Scapus ex radice modo unicus, modo duo; hicque nudus in ſummitate vel corymboſus flores 4. 6. plures ſuſtinens, vel in duos pedunculos bracteis exiguis oppoſitis fultos dividitur, qui uniflori ſint, vel demum etiam ſimplex eſt uniflorus.

Eſt etiam, ubi ex radice caulis folioſus admodum erigitur, e quo ſolum emergat ſcapus, eodem modo ſe habens, ut antea dixi. Cæterum ſcapus erectus 1. 2. 3. pollicaris hirſutulus.

Folia circa radicem aut caulem, e quo erigitur ſcapus, conferta, in roſulam fere diſpoſita, varia ſunt, modo magis rotunda, modo ex rotundis magis acuminata, modo ovata magis, omnia circumſerrata hirſuta & ciliata, breviter petiolata.

Bracteæ, ſi in medio caule adſint, ovatæ, ovato-acutæ oppoſitæ; ſi vero pedunculis, quos fulciant, ſupponantur, lanceolatæ magis.

Pedunculi primi in corymboſis ſatis longi hirſutuli alterni.

Calyx hirſutus familiæ.

Flos proportione plantulæ magnus, amplus, pallide cæruleus.

Capſula Thlaſpeos aliquantulum hirſuta.

6) *Veronica Teucrium Etſcher.*

Veronica corymbo terminali, foliis caulinis oppoſitis, pene glabria; calycibus fructibusque hiſpidis.

Veronica caule non ramoſo, floribus congeſtis terminato, foliis ovatis, pene glabris HALL. *Helv.* 531. T. XII. F. 2. pro una varietate, optima.

An? veronica caule floribus terminato foliis ovatis crenatis. *Flor.* Lapp. T. 9. F. 4. vix habitum habens, in ſummitate ſolum villoſa petaliſque anguſtioribus omnino fere fictitiis, aut ſi hæc ſit, vere varietas eſt.

Veronica alpina cæruleæ bellidis folio, non ita craſſo, vix crenato, caule folioſo? BURS. *act. Suec.* bono nomine; cur BURSERI herbarium non inſpexit LINNAEUS?

Teucrium Etſcherianum CLUSII *Pann.* 616. qui primus invenit & deſcripſit. OEDER. *dan.* T. XVI. follis, quam in noſtris plantis, remotioribus, & calycibus, quod contra naturam ſtirpis eſt, glabris.

Inveni in *Etſchero*, ubi olim CLUSIUS, in *Schneberg*, & fere omnibus alpibus, in *innere Breynerin* ad caſas, locis lapidoſis, pingui terra tectis.

 Radix

Digitized by Google

Radix, ut præcedentis, fibroſa ſerpens.

Caulis, ut præcedenti, ſæpe inferne terræ incumbens, dein erectus, duorum, trium pollicum, etiam palmaris & maior. Hic ſimplex, nunquam ramoſus nec diviſus, plus minusve hirſutus, admodum folioſus eſt.

Folia variant radicalia, exigua ſunt emarceſcentia, caulina oppoſita ſunt, & licet tamen hinc inde nonnulla alterna intercurrant, plerumque conferta, vel magis rotunda, vel ovata magis, aut etiam ovato-acuta, qualia HALLERUS pinxit & exacta ſpecimina duo habeo, aliorum vero plura.

Hæc parum hirſuta ſunt, imo etiam vidi glabra nitida, ut *ſerpyllifoliæ* veronicæ fere adnumerarem, ni corymbus fuiſſet terminalis calycesque hiſpidi; crenis nullis aut paucioribus inciſa, ſuperne fere ſeſſilia, nec eo, ut in inferioribus, petiolo donata, plerumque magis tenera, licet tamen & craſſiorum ſpecimina habeam.

Flores in corymbo brevi latiuſculo capitato, in noſtris quidem alpibus vix numeroſi, 4. 6. plures, duodecim nunquam inveni, nec eum, quem OEDERUS pinxit, numerum.

Corymbus non elongatus, ut icon *Flor. Lapp.* ſed denſus pedunculis brevibus hirſutis quandoque coloratis, bracteis ſuffultis, in noſtris fere omnibus vel latioribus foliis involucratur, vel numeroſis bracteis; ſecundum OEDERUS expreſſit, primum nemo notavit.

Calyx familiæ, etiam valde hirſutus ſ. piloſus, ſæpe cæruleſcens.

Corolla præcedente minor ſegmentis ſubrotundis, non, ut LINNAEUS pinxit, acutis alterius veronicæ florem ſuæ appingens, læte cæruleis.

Capſula hirſuta admodum non, adeo, ut in præcedente, exſecta atro cæruleſcens; & omnino facilis nota eſt, qua ab omnibus in noſtris quidem alpibus exemplo diſtinguatur.

Veronica caule ſimpliciſſimo folioſo; fructu hirſuto atro cæruleſcente.

Obſervatio I. In Enumeratione Helvetica quæſivit HALLERUS, an non eſſet Veronica petræa ſemper virens PONAE Baldi & recte reſpondit, non eſſe, adderem adhuc, folia nimis inciſa eſſe, hæc a caule nimis divergere; ſed cur plantæ PONAE nullam unquam iniecit mentionem LINNAEUS?

Obſer-

Obſervatio II. In ſynonimon huius plantæ cooptat LINNAEUS *veronicam ſaxatilem* I. B. 3. p. 284. quam ad *ſerpyllifoliam* PONAE revocavit HALLERUS, ſed certum eſt, LINNAEUM erraſſe, qui nec figuram veronicæ *fruticoſæ*, quam hæc planta I. B. refert, vidit, nec eiusdem viri deſcriptionem, licet illa CLUSII longe imperfectiorem, an *veronica corymbo terminali foliis oppoſitis calycibus hiſpidis* LINNAEI habet caules ramoſos, flores ex alis foliorum & longis pedunculis ſparſos, ut icon I. B? LINNAEUM propria icon *Floræ lapponicæ*, propria verba eiusdem floræ *rami nulli* refellunt. An veronicæ eius *alpinæ* flores adeo magni, ut dicit I. B. *maiuſculos eſſe chamædryos ſpuriæ vulgaris floribus ſimiles*, quos acutos LINNAEUS pinxit & rotundatos OEDERUS.? certe ſi in ſynonimon ſuæ plantæ adduxiſſet veronicam IO. HALLERI & elegantem eius iconem, quam tamen ſemper neglexit, melius feciſſet, iam coniunxit recte OEDERUS, licet tamen etiam hic vir clariſſimus non bene addat Veronicam minorem alpinam ſerpylli folio PONAE, quæ verius ad ſequentem ſpectet.

7) *Veronica fruticans.*

Veronica corymbo ex pedunculis axillaribus longis terminali; corollarum ſpecioſarum umbilico purpuraſcente.

Veronica caulibus fruticuloſis fructu ovato-compreſſo integro.

Veronica III. fruticans CLUS. I p. 347. icon adultioris plantæ bona & hic plantam primus deſcripſit & delineavit, illum tamen LINNAEUS non excitat. OEDER. *flor. dan.* T. CCCXLII.

Veronica ſaxatilis I. B. 3. p. 284. icon commoda, cum miſera deſcrptione.

Veronica ſerpyllifolia omnium minima PONAE *Baldo.*

Veronica alpina cærulea ſerpylli folio minor. BURS. *act. ſuec.* 1724. p. 508.

Veronica alpina fruteſcens. C. B. *pin.* ex CLUSIO & primus BAUHINUS bene *ſerpyllifoliam* PONAE huic coniunxit.

a. Veronica foliis ovatis crenatis; fructu ovali; floribus in ſummo caule purpuraſcentibus. HALL. *Helv.* T. IX. icon.

In omnibus alpibus herbidis ſaxoſisque locis, & abunde in *Schneberg.*

Radix lignoſa & multas fibras ſpargens: quin ipſi (caules) proxime radicem atque etiam longius a radice, ſi paululum terra operiantur, ad ſingulos nodos fibras & radices agunt, ita CLUSIUS, & bene, cæterum ramoſa eſt horizonti fere parallela repens.

Caules veteres ſcabioſi ex deciduis foliolis, nudi ſupra terram proſtrati aut inclinati iacent, & ex ſummitate ſurculos novos, modo cruciatim, ſi quatuor pluresve adſuerint brachiatos primo in terram inclina-

tos, dein ſuberectos educunt; feruntur modo longioribus virgis, pedalibus, duris, lignoſis, lentis & flexibilibus, humi ſparſis & diffuſis atque veluti cinctis frequentibus nodis, unde ex adverſo ſemper utrimque ramuli enaſcuntur vireſcentes. CLUSIUS bene. Virgæ novæ viridi-albeſcentes, quæ nunc florentium caules ſint, aut totæ proſtratæ, aut ſuberectæ, ſimplices rotundæ, vix adeo conſpicue hirſutæ, ad ſummum leviter ſubhirſutæ inferne, ſuperne evidentius.

Folia circa exortum viridi-albentium novorumque caulium confertiora multo & denſiora, quaſi in roſulam diſpoſita & minora, recte ut CLUSIUS in uno ramo pinxit, oppoſita licet hinc inde etiam alterna intercurrant; hæc dein rariora fiunt maiora vel ex acutis-ovata, vel ex ovatis oblonga obtuſo vel acuto fine. Sunt cæterum omnia fere laurina aliquantulum ſplendentia, levia, nervo in medio depreſſo exarata, quandoque integra, quandoque obiter ſerrata, ita quidem in noſtris; in varietate enim HALLERI & maiora ſunt & multum circumdentata.

Pedunculi ex foliorum ſummorum, quibus longiores conſtanter ſint, alis oppoſiti in noſtris, licet & hinc inde alternus unus obſervetur, quos alternos omnes HALLERUS pinxit, CLUSIUS non vidit, nec ego obſervavi; paulo magis hirſuti, uniflori, aliquando colorati, quod etiam cauliculis accidit.

Flores in ſummo caule laxius ſæpe ſpicati, ſæpe corymboſi, imo etiam racemoſi duos ad ſex vidi, CLUSIUS octo, 12. HALLERUS, ſunt hi pulchre cærulei, carneos tamen vidit HALLERUS.

Calyx familiæ, leviter hirſutus, ciliatus, aſper.

Corolla omnium noſtrarum ſpecioſiſſima patens profunde cærulea & ſemper, ut exactus obſervavit CLUSIUS, nec ego unquam aliter vidi, pallente umbilico & rubro circulo eum ambiente, ſeu umbilico ex ſanguineo-purpureo, centro herbacee ochroleuco. Segmenta corollæ purpureis lineis picta non adeo, ut in aliis diverſa; infimum enim, quod inſigni ratione in aliis minus, in hac ſtirpe parum ſolum recedit; ſunt cæterum omnia ſubrotunda obtuſiſſima. Stamina in medio craſſiora & quaſi triangula vidi & cærulea, antheris & ſtigmate albidis.

Capſula herbacee albida primo & ob id brevi albidâque hirſutie non adeo inſignis, quæ tamen eadem plurimum inſtruatur & valde aſpera ſit, dein

Digitized by Google

dein ligneum colorem ut aliæ acquirit. Eſt hæc ovalis utrimque ſulcata, ſurſum utrimque intropreſſa, integra, non exſecta aut emarginata.

Obſervatio. Planta palmaris, ſpithamea & maior differt a Veronica præcedente, non, ut LINNAEUS in nota adiecit, *caule erectiuſculo*, quod præcedenti magis, quam huic competit, ſed plerumque proſtrato ſubereċtiuſculo lignoſo magis, nec *calycibus glabris*, qui certo hirſuti ciliati aſperi ſint; ſed non debent dici differentiæ poſt exactiores deſcriptiones & definitiones, nec ſane unquam poſſunt confundi & ſolus inter omnes confuderat, quod HALLERUM non legeret, LINNAEUS, in prima ſpecierum editione, ex ſynonimo C. B. *Veronicæ* ſcilicet *alpinæ fruteſcentis*, & nunc in ſecunda confundit ex ſynonimo I. B. *Veronicæ ſaxatilis*, & hæc quidem fata ſunt botanicorum ex emarcidis ſiccisque ſpeciminibus, quaſi ex ſpeculo, hariolantium. Heu quale chaos americanarum plantarum ſede ſua excideret, ſi viva ſolum ſpecimina deſcriberentur! & quam non facile eſt, *neglecto habitu* ex delapſo ſtamine tetrandram facere, quæ pentandra ſit, hoc utique novere ſexuales.

Obſervatio II. Hanc ſtirpem in eum ponendum Veronicarum ordinem, qui in pedunculis unifloris ſuam geſtaret fructificationem, facto & exemplo docuerat HALLERUS, & quidem bene, tamen non ſecutus eſt LINNAEUS, ego non magnos limites video, quoties aphyllam contemplor, nec adeo decretorios in veronicis hos ordines ullus habere poteſt, tamen certum eſt, ſerpyllifoliam a LINNAEO male huic ordini inſcribi, quæ inter *ſpicatas* & *pedunculis unifloris* magis ambigat.

8) *Veronica Beccabunga offic.*
Veronica caule repente, foliis ovatis, planis, racemis lateribus.
Beccabunga RIV. T. 99.
Anagallis aquatica. DOD. *pemp.* 523. BLAKW. T. 48.
Anagallis aquatica maior minorque. C. B. *pin.*

In rivis aquisque purioribus.

Caulis in radicem abſumitur pro parte & per fibrarum manipulos luto radicatur, dein quaſi decumbens erigitur, inferne leniter purpuraſcens, ſuperne viridis, nitidus, rotundus, ſucculentus.

Folia oppoſita latis brevibusque petiolis orta, ſæpe ſubtus purpuraſcentia inferiora, ſuperne nervo venisque albis percurſa, ovato-oblonga levia

Digitized by Google

levia, undique circummſerrata, beccabungæ minori RIV. T. 101. convenientia in iis, quæ deſcribo ſpeciminibus; vidi tamen etiam longe latiora.

Racemi longi rari in foliorum alis.

Pedicelli bracteola ſuffulti lanceolata.

Calyx gentis.

Corolla etiam, ſed calyce maior læte cærulea.

9) *Veronica anagallis aquatica.*

Veronica caule erecto, foliis lanceolatis ſerratis, racemis lateralibus.
Betula maior. TABERN. 1094.

Ad foſſas inundatas etiam ſæpe cum præcedente.

Caulis ſæpius præcedenti rectior.

Folia ſeſſilia adſcendendo amplexicaulia; inferiora magis ovata ſunt, ſuperiora oblongo lanceolata, omnia ſerrata.

Racemi, quam in præcedente, longiores corollis magis pallentibus & quaſi ſubcarneis.

In reliquis non multa differentia eſt.

10) *Veronica ſerpyllifolia.*

Veronica racemo terminali ſubſpicato; foliis ovatis glabris crenatis.
Veronica pratenſis DOD. p. 41. bene.
Veronica minor ſerpyllifolia. LOB. icon. p. 472.
Veronica erecta ſylveſtris. RIV. T. 92.

In pratis udis, etiam alpinis.

Radix diffuſa, ſerpens, fibroſa plantæ ceſpitoſæ.

Caules hinc inde diverſi, inclinati ſupra terram ſedentes ramoſi & ad ramos fibris terræ affixi, dein eriguntur rotundi ex viridi albentes.

Folia primo oppſita petiolata, dein ſeſſilia & ſubamplexantia, ovalia glabra, argute ſerrata aut dentata, in ſummitate alterna: bracteis pedunculis maioribus.

Pedunculi ex foliorum alis parvi, foliis minores.

Calyx quadrifidus.

Corolla ampla ſatis albens, petalo ampliore, cæruleis ſtriis magis picto, oppoſito minimo toto albo, ita in noſtris.

11) *Vero-*

Digitized by Google

11) *Veronica ſubbiſcutata* * Enumer. * Elenchus non habent.

Veronica racemis lateralibus pauciflorls; calycibus hirſutis, foliis petiolatis ovatis crenatis; caule debili.

Alyſſum Dioſcordis montanum. COLUM. *Ecphr.* I. p. 289. T. 288.

Chamædry ſpuriæ affinis rotundifolia ſcutellata. C. B. *pin.*

Veronica rotundifolia ſcutellata aut biſcutata hederæ folio. MOR. II. p. 321. *veron.* 15. T. 23. *ſect.* 3. F. 15.

Veronica ſupina teucrii folio. TOURN.

Veronica procumbens HALLERI. *Hort Gotting.* qui RIV. T. 92. citat, quam ego in ſpecioſo meo exemplari non invenio, ut deeſſe debeat, item. ZINN. *Hort. Gotting.*

In ſylva *Maurbach* ad aquas defluos.

Radix aquaticarum plantarum in morem ſerpens & tenuiſſimis hinc inde filamentis luto radicata, ſæpe longiſſima.

Caulis unicus aut hinc inde plures, admodum debiles, palmares, pedales & ultra, per terram ſtrati atro-purpuei, hirſuti, etiam hinc inde ex geniculis radicati.

Folia ex petiolis oppoſitis, anguſtis, hirſutis, ſatis longis orta hederacea, triſte viridia, crenata venoſa & parum hirſuta aliquando, aliquando magis.

Pedunculi ex mediis, ut et ſupremis foliorum alis filiformes & petiolo folioſo & folio longiores, pauciflori, hirſuti.

Calyx gentis, hirſutus, ciliatus.

Corolla rotata, cærulea, exigua, lacinia ſuprema ampla.

Fructus, quam in aliis, maior compreſſus ſcutorum forma, ſed biſcutatus, dum ſepto medio & exſtante piſtillo gaudet, margine ciliatus.

12) *Veronica Scutellata.*

Veronica racemis lateralibus pedicellis pendulls foliis linearibus integerrimis.

Anagallis aquatica anguſtifolia ſcutellatata. C. B. *prod.* p. 119.

Anagallis aquatica anguſtifolia. I. B. III. p. 791. icon.

Veronica aquatica anguſtifolia minor, polygoni inſtar. MOR. II. p. 323. T. 24. F. 27.

Veronica paluſtris anguſtifolia. RIV. T. 95.

In foſſis horti Schönbrun.

Caulis procumbens radiculas hinc inde agit, dein erigitur tenuis glaber.

Digitized by Google

Folia anguſtiſſima linearia oppoſita mucrone acuto. Vidi tamen etiam latiora, ut icone MORISONUS expreſſit, glabra ſplendentia, fere lanceolata.

Pedunculi ex foliorum alis ramoſi tenues, foliis longiores: racemis laxe floriferis: fructificantibus pendulis.

Calyx gentis exiguis ſegmentis.

Corolla ex rubello albida rotata, petalis tribus maioribus rubellis lineis pictis minore albido.

Fructus compreſſus ſcutellatus.

13) *Veronica pratenſis.*

Veronica racemis lateralibus denſis; foliis duris lanceolatis ſerratis; caulibus ex proſtrato-erectis.

a. Foliis oblongis lanceolatis anguſtis.

Veronica minor anguſtifolia ſ. Chamædrys ſpuria anguſtifolia I. B. III. p. 287. cum icone. MOR. II. T. 23. ſect. 3. F. 16. folia *bene.*

Chamædrys ſpuria minor aguſtifolia. C. B. *prod.* p. 117.

aa. Huius varietas foliis laciniatis.

Veronica Cappadocica foliis laciniatis. TOURN.

Chamædrya Auſtriaca foliis tenuiſſime laciniatis. C. B. pin. 248.

Veronica Auſtriaca LIN.

Veronica tenuiſſime laciniata ſ. chamædrys ſpuria tenuiſſime laciniata I. B. MOR. II. T. 23. F. 17.

b. Foliis magis ovatis & prioribus magis latis.

Teucrium V. CLUS. I. p. 350. icon.

Teucrii IIII. tertia ſpecies CLUS. I. p. 349. Icon & bona.

Veronica ſupina facie teucrii pratenſis LOB. icon. p. 473. ex CLUSIO.

V. Teucrium pannonicum. TABERN. p. 771. icon CLUSII.

Chamædrys ſpuria maior anguſtifolia. C. B. pin. 248.

Veronica proſtrata LIN. quoad definitionem.

Veronica Teucrium LIN. quoad ſynonima, non definitionem.

In pratis, paſcuis hinc inde obvia non difficilis inventu in *Braderau Tabor.*

Variabili facie planta pro ut diverſo ſolo creſcit lætior, altior, latioribus anguſtioribusque modo magis ſerratis, modo laciniatis magis foliis.

Radicem

Digitized by Google

Radicem habet duram ligneam fere, non profundam fibroſam.

Caules ex eadem plerumque tres, quatuor, etiam pauciores humi primo proſtratos, dein erectos, aliquando tamen minus, duriuſculos ſuffruticoſos fere ſubrubentes rotundos, tenui denſoque villo, qui in exſiccatis magis obſervabilis fit, quod incaneſcat, obſitos, quatuor quinque ſeu etiam transverſos digitos longos, in vertice racemoſos, racemorum pedunculis naturæ caulis.

Folia in diverſis ſpeciminibus & varietatibus varia, modo oblongis lanceolatis, modo magis ovato-lanceolatis recte, ut auctorum icones indicant; modo his ad medietatem caulis ovato-oblongis, dum ſuperiora anguſtiora ſunt, modo inferioribus oblongis magis, dum primis racemis ſubiecta magis ex ovato-oblonga ſunt; his iterum ad medietatem foliorum ſerratis fine integro; illis argutius & tota longitudine ſectis, aliis iterum magis laciniatis. Hoc omnia habent, quod ſint oppoſita ſeſſilia & fere ſubamplexicaulia, ſi inferiora maiorum ſpeciminum excipias, ſint etiam ſerrata ſerris oppoſitis. Nulla ſunt ovata obtuſiuſcula, ut in definitione *Teucrii* dicit *ill.* LINNAEUS, nec folia ima cordata habent, ut perhibuit *cl.* HALLERUS, quæ ſynonima ad aliam plantam ſpectant.

Racemi laterales amplis floribus ſubſpicati, aliquando longi ſæpiſſime denſi & ſubovati, minime longiſſimi, ut dixit LINNAEUS, quæ vox chamædri & latifoliæ ſolum convenit, non noſtris plantis, ſæpe colorati, ſemper breviſſima pube inſtructi.

Calyx firmo, colorato, hirſutulo nixus pedunculo laciniis 4. aliquando 5. inæqualibus, ciliatis omnibus & coloratis finditur. Pedunculi bracteola elliptica fulciuntur.

Corolla ex albo cærulea, venis cæruleis lineata, ampla ſatis.

Antheræ cæruleæ, ſagittatæ gentis.

Obſervatio. Primam LINNAEUS non habet; eiusdem varietatem laciniatam in ſpeciem ſingularem *auſtriacæ* evenit; ſecundam *Teucrium* vocavit & poſt illum omnes, quæ illius definitioni minime, nec cognomento HALLERI conveniat, & ultimo huius varietatem exſiccatam incanam magis & iacentem, dixit *proſtratam.* Veritas in eo eſt, plantam, quam LINNAEUS ex ſua definitione *Teucrium* vocat, *chamædrys* vel latifoliæ veronicæ varietatem eſſe, LINNAEUM tantum plantas ex exemplaribus ſiccis ſæpe definire, & hic certo plantas confudiſſe, quæ iudicioſior

 ſepa-

Digitized by Google

ſeparaverat C. BAUHINUS, is enim chamædri ſuæ XII. ſpuriæ maiori alteræ ſive fruteſcenti (quod ſynonimum Teucrio ſuo inſcribit LINNAEUS,) Teucrium quartum CLUSII p. 349. icon & quarti ſpeciem ſecundam adſociat; ſed Teucrium quartum CLUSII eſt veronica *chamædrys* vel *latifolia* ominum conſenſu, ergo *Teucrium* LINNAEI eſt *chamædrys* vel latifolia LINNAEI, adde etiamnum definitionem a LINNAEO datam *Teucrii*, recte Teucrio IIII. CLUSII ſeu chamædri convenire: *racemis lateralibus longiſſimis foliis ovatis dentatis obtuſiuſculis caule erecto.* Ita pariter convenire ſatis definitionem HALLERI a LINNAEO adductam: *foliis imis cordatis ſuperioribus anguſtioribus;* & pariter convenire definitionem *latifoliæ* LINNAEI eidem.

Alterum, quod C. BAUHINI iudicium, LINNAEI vero errorem commonſtrat, definitio eſt chamædrys XIV. BAUHINI in hæc verba: *chamædrys ſpuria maior anguſtifolia*, quam iterum in ſui *Teucrii* ſynonimon male cooptavit LINNAEUS, dum bene notavit BAUHINUS, hanc ſtirpem a ſua XII. ſ. Teucrio IIII. CLUSII diſtinctam eſſe, alia etiam ſynonima adducens, quæ adhuc evidentius ex ſequentium hiſtoria patebunt.

14) *Veronica Chamædrys.*

Veronica racemis lateralibus, foliis cordato-ovatis, ſeſſilibus, dentatis; caule ſtria oppoſita piloſa incana.

Veronica angulis caulis oppoſitis, ciliatis, incanis.

Difficillimæ plantæ & nullius verbis rectæ adumbratæ ſynonima pauca, quod dubia, addam.

a) Planta maior ſylveſtris pedunculis floralibus elongatis longiſſimis.

Veronica foliis cordatis, ſuperioribus maioribus, acutioribus ex alis racemoſa. HALL. *Helv.* 529. quæ verba etiam conveniunt Teucrio II. TABER.

Quod veronicam latifoliam potius, quam chamædrym refert. 9. ſpecifica non ſunt.

Teucrium pratenſe & Teucrium ſpurium chamædrioides LOB. icon. p. 490. bona meo exemplari conveniens. Eadem icon MOR. II. T. 23. ſect. 3. F. 12. ſed glabra male & cum malo nomine.

Chamædrys ſylveſtris CLUS. I. p. 352. icon, ſed etiam nuda eſt.

Teucrium III. minus. TAB. p. 771. icon eum foliis longitudine iam magis æqualibus, & bene.

Veronica racemis lateralibus, foliis ovatis ſeſſilibus, rugoſis, dentatis; caule debili. LIN. quod aliquibus

Chamæ-

Digitized by Google

Chamædrys ſpeciebus, non omnibus convenit. 9. nec hæc ſpecifica definitio eſt.

aa) Varietas altera eiusdem tenuiſſime laciniata, qualem ſub æſtatis finem in Auſtriæ ſylvis frequens.

b) Planta multicaulis 4. 5. pollicum altitudine, foliis pulchre circumſectis.

> Veronica racemis lateralibus, foliis ovatis ſeſſilibus rugoſis, dentatis, obtuſiuſculis, caule recto.
>
> Veronica *Teucrium* LINN. certo.
>
> An? Veronica tetragona recta minima COLUM. MOR. II. T. 13. *Sect.* 3. F. 14. meo ſpecimini multum conveniens, quod tamen magis laciniatum ſit & virgas ſimpliciores, non ramoſas habeat.

bb) Aliquantulo minor, foliis non adeo chamædryos laciniatis.

> An? Teucrium V. CLUSII I. 350. icon, ſed glabra eſt & faſciam oppoſitam, ut mea, non habet, cæterum meis ſpeciminibus ſatis convenit.

a) Sylveſtribus locis frequentiſſima, ſed etiam herboſis aliis invenitur frequentiſſima in *Brader*, *Caltenberg*, *Dornbach*, ubi etiam aa).

b) Statura a priori tota diverſa, foliis exiguis, magis nitidius & pulchrius circumſerratis, locis aſperis ad ſylvarum margines in *Brigittau* non frequens.

bb) In aſperis apricis ad ſylvarum margines in *Ottakling*.

Omnibus nunc deſcriptis meis hoc proprium eſt, angulis oppoſitis villoſas eſſe ſ. ciliatas.

Radix maiori plantæ longa, ſerpens, horizonti ſæpe parallela, per intervalla radicata, fibroſa.

Caules ex decumbenti-erecti, debiles, angulis oppoſitis ciliatis, pube conferta barbatis, diverſæ altitudinis.

Folia oppoſita ſeſſilia ex ovatis aut ſubcordatis rugoſa venoſa, nervis inferne villoſis, margine ciliata, dentata, ſerrata, & aliquando profundiſſime ſecta laciniata.

Pedunculi laterales villoſi, colorati longiſſimi, ſæpe elongati, laxe ſpicati, brachiati.

Pedicelli colorati, ſæpe bractea ſuffulti, erecti.

Calyx gentis.

Digitized by Google

Corolla rotata ampla, læte cærulea, venis atro-cæruleſcentibus, umbilico ex atro nigreſcente, centro ex albo vireſcente. Corolla etiam quandoque dilutior eſt.

b) *Radix* multiceps fibroſa pulchræ plantulæ.

Caules plures, longitudine pratenſis & colore atro purpureo, ſed angulis ciliatis, incanis, duriores & quaſi fruteſcentes.

Folia conferta oppoſita æqualia magis & vere chamædryos & laciniata fere.

Racemus quandoque terminalis ſimplex, ſunt etiam in aliis laterales non longiſſimi, recte ut in pratenſi.

Corolla eadem ampla, ſed dilutior.

bb) Siccioris aliquid habet, caulis rubicondior eſt, quandoque ſimplici racemo terminatus, quandoque lateralibus & pro plantula longis, hæc habitum primæ magis refert.

15) *Veronica latifolia* * Enumeratio.

Veronica racemis lateralibus longiſſimis, foliis cordato-mucronatis, venoſis, rugoſis, dentatis; caule ſtricto.

Veronica caule craſſo, duro, pedunculis ſtrictis, calycum laciniis & florum racemis longis.

Veronica pratenſis omnium maxima BUX, *Cent.* I. p. 23. T. 34.

Veronica magna, folio quercus. DALECH. MOR. II. T. 23. *ſect.* 3. F. 18. bonum nomen.

Veronica ſpuria maior latifolia. C. B. *pin.* 248.

a. Foliis admodum laciniatis, quale ingens ſpecimen habeo.

In fruticetis *Simmeringwalde*, *Incersdorffwalde*, ubique & per totam Auſtriam.

Radix cauli ſingulo ex multis geniculis fibroſa.

Caules plures ad terram plus minusve inclinati, dein eriguntur, cubitales, brachiales ſplendentes ſæpe, hinc inde colorati, duri, firmi, hirſuti.

Folia oppoſita iam in medio caule ſeſſilia, fere cordata, lata, admodum venoſa, rugoſa hirſuta, dentata, longe mucronata, urticæ maioris fere forma, in arcum ſæpe reflexa.

Pedunculi longi, duri ſtricti, villoſi ex foliorum ſuperiorum alis ſuſtinent ſpicam florum ſatis laxam.

Pedicelli

Pedicelli exigui hirſuti modo bractea hirſuta ciliata longiores, modo breviores.

Calycis laciniæ longæ, licet inæquales.

Corolla albo violacea, calycibus maior, umbilico magis colorato.

Obſervatio. Iuvenis inter digitos contrita fœtet; variat ſtatura. Laciniata varietas flores habet ampliſſimos ex rubro violaceos, racemi laciniis calycis longis conſpicui & dirimentibus flores.

Obſervatio II. Flores parvos facit HALLERUS in Helveticis.

Pedunculis unifloris, aut floribus ſolitariis.

16) *Veronica Agreſtis.*

Veronica foliis cordatis inciſis, pedunculis fructificantibus longioribus cernuis; calycibus baſi gibberis.

Veronica folio chamædrys RIV. T. 96. bene, qui etiam nutantes fructus obſervavit.

Alſine foliis triſſaginis. TAB. p. 1089. icon.

Alſine ferrato folio glabro. I. B. III. p. 366. icon, quæ, licet mala, tamen habitum plantæ habet.

In arvis circa *Belveder* verſus St. Marcum, & alibi frequens.

Radix exigua, caudice capillorum conflata, multiceps.

Cauliculi horizonti paralleli dein in aliquibus eriguntur, ipſi primis geniculis admodum ramoſi: ramis oppoſitis, piloſi, obſcuriore colore perfuſi, non virides, nec læte purpuraſcentes.

Folia in noſtris quidem ſpeciminibus oppſita, non alterna, ut habet LINNAEUS, licet in ſummitate cauliculorum unum alterumve raro alternum viſatur. Hæc denſe ramos obſident craſſiuſcula, ſaturate viridia, glabra ſerrata, obcordata, chamædrys forma, exiguo petiolo hærentia, & in ſummitate huius deorſum verſa flexa.

Pedunculi uniflori & rari, ex foliorum alis orti, folia longitudine multum ſuperant, naturæ ramorum ſubcolorati, piloſi.

Calyx baſi gibberus, fere ut in cruciformibus, quatuor factus laciniis obſcurius cordiformibus in florente apice reflexo, in deflorato complanato inſtructis.

Corolla fere calyces ſuperat, ſaturate cærulea.

Capſula modo piloſa, modo glabra, perſtante ſtylo ſatis longo thlaſpideo-teſticulata.

17) *Vero-*

Digitized by Google

17) *Veronica arvenſis.*

Veronica foliis oppoſitis, cordatis, crenatis, floribus in caule virgato ſeſſilibus.
Veronica foliis ſubrotundis, crenatis, petiolis calyce brevioribus. HALL. *Helv.* p. 533 *bene.*
Alyſſon. COLUM. *Phytob.* p. 26. Icon.
Alſine ſerrato folio hirſutiore, floribus & loculis cauliculis adhærentibus. I. B. III. 367. icon ex COLUM.

In pratis *Braderau*, locis ſiccis.

Radix unica, non multum fibroſa.

Caulis ex hac unicus, genu in terram inflexus, dein erectus, virgatus quaſi, palmam ſpithamam altus, non ramoſus in meis, inferne coloratus, ſæpe piloſus.

Folia oppoſita cordata, ſubrotunda aliquando hinc inde, non multum tamen inciſa, brevi aut nullo petiolo ſeſſilia, hirſutula, inferne aliquando purpurea. Floralia magis elliptica ſunt minus inciſa.

Flores in elongata quaſi virgula diſpoſiti minimis pedunculis ſeſſiles in alis foliorum.

Calyx gentis.

Corolla cærulea aut ex cæruleo cineraſcens, minima,

Capſula cordiformis,

Obſervatio. Habeo ſpecimina rariorum in caule foliorum & pedunculorum foliis multo longiorum. Vidi etiam in aliis ſpeciminibus folia multum crenata hirſutula, margine ciliata; ultimo vidi etiam ramoſos caules.

18) *Veronica Hederifolia.*

Veronica foliis cordatis planis, calycis ſegmentis ſagittatis, ciliatis; fructu quadrangulo.
Veronica folio hederæ. RIV. T. 96.
Morſus gallinæ folio hederulæ. LOB. p. 463.

In agris hortiſque frequantiſſima primo vere.

Radix exigua capillacea.

Caules procumbentes primo, dein eriguntur villoſi & ad prima genicula oppoſitis brachiis ramoſi, obſcura lenique purpura perfuſi.

Folia plus minusve longe petiolata varia, modo uno alterove dente tantum inciſa, minime quinqueloba, modo 3-5-loba, modo ampliora, modo minora ex exortu ramorum opoſita, dein ſemper alterna, ciliata,

liata leniter, villoſa, floribus longiora ſubglauca, aliquando inferne purpura tincta.

Pedunculi ut rami leniter colorati, piloſi.

Calyx 4. factus foliolis diſtinctis cordatis ciliatis, quatuor ſinuum angulis exſtantibus & in pyramidem conniventibus.

Flos modo calyce minor, modo maior, modo ex albo pallide cæruleſcens, modo cæruleus magis.

Capſula bigloboſa, tetracoccos, quadrangula, lateribus intropreſſis.

Semina umbilicata.

19) *Veronica triphyllos.*

Veronica foliis digitato-partitis; floribus ſolitariis in folioſorum capitulorum roſulis congeſtis.

Veronica parva erecta folio alſines hederaceæ, ſed rutæ modo diviſo. LOB. icon 464. bona.

Veronica folio rutæ. RIV. 95. bona, licet maior.

Prima iam in aprili florens planta in mœnibus.

Radix parva, parum fibroſa alba.

Caulis erectus, ſubrubens, hirſutulus.

Folia oppſita hirſutula, infima petiolata parum, in alia fere ſeſſilia, ſubtus ſæpe rubentia, ſanguinea, ſuperne triſte viridia: infima anguloſa laciniata ſunt, dum ſuperiora magis trifida aut 5-fida laciniis ſatis longis media longiſſima viſuntur.

Pedunculi quaſi rami, modo ex ſolo vertice inter roſulas foliorum egrediuntur, modo iam media altitudine oriuntur & flores gerunt ſolitarios; cæterum ſunt aphylli, licet foliis in exortu ſuſtineantur.

Calyx profunde quadrifidus, laciniis aliquando laciniatis, hirſutis, ciliatis, coloratis.

Flores præcedentibus ampliores, læte cærulei, cum lineis profundius cæruleis, umbilico ex albo virente.

Capſula Thlaſpeos, ſed villoſa, colorata, turgidula.

Obſervatio. Cum pedunculi ſæpe inveniantur foliis breviores, falſam ſuam definitionem corrigat LINNAEUS, qui cæterum in Veronicis multoties erravit.

20) *Veronica Dillenii.*
Veronica foliis digitato-partitis; floribus ſolitariis ſpicatis, ſeſſilibus.
Veronica humilis erecta montana, flore parvo cæruleo. DILL. *append.* 38.

In ſummis montibus *Durrenſtain* locis aridis apricis, & paſcuis frequentiſſima.

Radix annuæ plantæ exigua, capillamentis donata.

Caulis unicus, mox ſupra terram in genu inflexus, dein erectus, modo ſimplex indiviſus multa veronicæ arvenſis ſimilitudine, modo id vero rarius ramoſus, ramo uno ſatis longo virgato ab unica ad dimidium pedem, etiam unum altus, rotundus, villoſus, aliquando inferne rubens, aliquando minus, ſuperne in longam ſpicam florigeram villoſam ſolutus.

Folia inferiora oppoſita, ſuperiora ſpicæ alternæ. Primum caulinorum par breviter petiolatum ovatum, uno alterove dente inciſum tridentatum, etiam crenatum eſt; aliud, quod ſequitur priori plerumque, ſimile vel magis iam & evidentius inciſum laciniatum; tertium fere ſemper ad caulis diviſionem manifeſtius pinnatum aut digitato-partitum lacinia media longiore latiore lanceolata aut ex ovato acuta. Inferiores floralium bracteæ uno alterove dente inciſæ adhuc ſunt, dum ſuperiores integræ viſuntur lanceolatæ, villoſæ.

Pedunculi in infimis breves nunquam foliorum floralium longitudine brevi in ſpica ſatis longa decreſcunt, ut flores in ſpica ſeſſiles habeantur.

Calyx quadrifidus gentis foliolis lanceolatis non parvis.

Corolla pallide cærulea, venis cæruleſcentibus picta.

Antheræ nigræ, polline flavo fœtæ.

Capſula cordiformis, calycis lacinias non excedens.

Et hæc poſt DILLENIUM prima deſcriptio eſt.

Obſer-

Digitized by Google

Obſervatio. LINNAEI veronica floribus ſolitariis foliis digitato-partitis pedunculo longioribus æque triphyllos ac huic convenit, & multus dubito, DILLENII plantam a LINNAEO viſam, quanquam, etiam in Suecia inveniri, ſcribat. Si enim vidiſſet faciles differentiæ notas adiecifſet.

588. LIMOSELLA.

CHARACTER. *Calyx* 5-fidus. *Corolla* campanulata 5-fida æqualis. *Stigmati* capitato minores in quadrato antheræ quatuor ſubiectæ. *Capſula* unilocularis 2-valvis polyſperma.

1) *Limoſella aquatica.* * Enumeratio de genere non meminit.
Limoſella foliis longe petiolatis ſine ſpatulatis.
Plantaginella. DILL. *nov. gener.* p. 113. RUP. HALL. *ien.* 23. T. 6. F. 2.
Alſine paluſtris repens, foliis lanceolatis PLUCK. *alm.* T. 74. F. 4.
Alſine paluſtris exigua foliis lanceolatis. MENTZ. pug. 2. T. 7. F. 6.
Spergula perpuſilla lanceolatis foliis. LOES. pruſſ. T. 81.

Radices tenues luto immerſæ repentes.

Folia longiſſime petiolata, maiora, ſine ſpatulata, minora fere ovata, tenera, glabra, parum carnoſa, quæ omnia in principio diverſis locis, mediantibus vaginis petiolatis cohæreant.

Scapi e foliorum vaginis parvi erecti, florem in fine ſuſtinent unicum, exiguum, muſcoſum; hi vix dimidiam petiolorum longitudinem aſſequuntur.

Calyx monophyllus quinquefidus, obiter ob nervos anguloſus, maculis purpureis pictus; calycis laciniæ erectæ, ſine cucullato incraſſato.

Corolla monopetala, quinquefida, foliolis ovato-acutis, calycinis laciniis aliquantum maioribus, erectis, albis & ex purpura leniter coloratis.

Stigma capitatum latum, ad quatuor angulos tanquam in quadrato antheras minores, æquales, nigras, ſtantes habet.

Capſula ovata.

 Obſer-

Digitized by Google

Obſervatio. Hanc ſtirpem plantaginellæ nomine pentapetalis vaſculiferis RAI. & ranunculis HERMANNI, primus exemit DILLENIUS, ſed cur didynamiis, dum nulla hic ſubordinationis potentia viſitur, inſcripſit LINNAEUS? cur alii ringentibus? & ultimo perſonatis, qui manifeſtiori errore eius folia oppoſita argutulataque facit, & flores ſolitarios axillares, centunculum *minimum* cum Limoſella *aquatica* confundens ADANSONUS? nihil ſane ego inveni in hac planta aut ringentis aut perſonati, nec video, in claſſe deliqueſcentium ſtare poſſe omni iure cooptationis vacuam, quare etiam numerum eius delevi, & ſub ſcabello Plantaginis Plantaginellam DILLENII, ut ipſe fecerat, locavi. Character Generis, a LINNAEO traditus, intelligi non poteſt.

594. DIGITALIS.

CHARACTER. *Calyx* 5-partitus. *Cor.* campanulato-ventricoſa, obtuſa, 4-fida. *Capſula* ovata 2-locularis. 2-valvis, polyſperma.

Obſervatio. Corollam 5-fidam ponit GLEDITSCHIUS, quam omnes alii ſolum 4-fidam vident.

1) *Digitalis lutea.*

Digitalis caule ſimplici; calycinis foliolis lanceolatis; corollæ ſegmentis acutis: ſuperiore emarginato.

Digitalis flore venoſo, maculoſo & puro. HALL. Helv. 617. qui non bene ſeparat.

Digitalis. RIV. T. 104. & 105. minor.

In foſſis ſabuloſis vinearum *Caltenberg*, *Nusdorff* &c.

Caulis pedem cum dimidio & quandoque ultra altus, rectus, lanuginoſus, folioſus, anguloſus in loco natali, non ramoſus.

Folia ſeſſilia & quaſi ſemiamplexicaulia, conferta, alterna, longe lanceolata, modo erecta, modo in arcum flexa, modo plus, modo minus argute ſerrata, nervoſa, nervis poſtica parte villo obductis.

Bractea

Digitized by Google

Bractea folioſæ ſub primis floribus longæ, ſæpe flore longiores, dein minuuntur ovato-lanceolatæ, concavæ, foliorum naturæ.

Flores in ſpicam raram uno verſu ſæpe diſponuntur, aliquando magis in racemum componuntur; ſunt cæterum villoſi ex herbaceo-luteoli, intus modo maculis ſanguineis picti, modo his abſentibus puri.

Calyx laciniis 5. longis, lanceolatis ſactus hirſutis, ciliatis, ſuperiore aliquando minore, cæterum ſubæqualibus.

Tubus ex globo fere calyce cœpto coanguſtatus lateſcit deorſum ventricoſus.

Limbus quadrangulo-oblongus in quatuor lacinias ſectus aliquantulum reflexas in maturis, & acutas; triangulares duæ laterales cum inferiori ſunt, nec notavit RIVINUS, qui plantæ in horto educatæ iconem dediſſe videtur; ſuprema, quæ pro galea ſit, magis obtuſa in loco natali modo inſenſibiliter emarginata, modo tamen evidentius exſecta.

Antheræ crucis in modum ſub galea ſibi appoſitæ, idque per paria recte, ut in glecomate. Stamina incurva arcuata anguſtato tubo inarticulata, coniunctioni loculorum inſerta, ut dicit HALLERUS, non invenio, nec triquetram tubam.

Obſervatio I. In Enumeratione poſita fuerat digitalis *purpurea* pro *lutea*, quod dein correctum fuit, hac adiecta in *Obſerv. Botan. part. II.* nota „quoad LINNAEANAM quidem determinationem, ſed forte a LINNAEANIS huiuſce ſynonimis diſtincta planta, ita, ut plures ſint digitales luteſcente corolla, quæ diverſæ a purpurea, inter ſe etiam ſpecie differant„. Nunc reſpondeo, folia calycina ovata a foliis calycinis lanceolatis certe eſſe diſtinctiſſima ad oculum, & in hac re LINNAEANAM determinationem valere, *ſed labio ſuperiore bifido* in noſtra non deprehendi, hinc neque quoad LINNAEANAM determinationem *Luteam* eſſe, ſynonimis vero LINNAEI convenire.

Digitized by Google

Obſervatio II. Antheris, per paria in formam crucis conniventibus cum calyce quinquefido, eſſentialem & *inalterabilem* Glecomati notam iniuſſit LINNAEUS, nunc viderit ipſe an digitalis *lutea* non ſit Glecoma. Ego ſolum obſervo.

Obſervatio III. In ſylvula *Gatterholtz* nunc recte invenio digitales altiſſimas, pedes fere tres æquantes, quarum caulis albente villo hirſutiſſimus ſit, flos interne magis coloratus, lineis abruptis pictus, calycina folia ſemper lanceolata, ſed labium ſuperius floris leniter crenato-emarginatum, duobus in aliquibus, tribus in aliis denticulis exiguis inſtructum; bifidum hucusque non vidi, licet examinarem pene multas plantas diverſis in locis creſcentes.

INDEX

Digitized by Google

INDEX GENERUM.

RINGENTIUM PLANTARUM.

Antirrhinum	pag. 306
Betonica	255
Clinopodium	283
Digitalis	354
Dracocephalum	281
Euphraſia	298
Glecoma	247
Gratiola	289
Lamium-	257
Lathræa	293
Leonurus	245
Limoſella	353
Lycopus	327
Marrubium	272
Melampyrum	300
Meliſſa	285
Mellitis	284
Mentha	328
Nepeta	270

Origa-

Digitized by Google

Origanum - - -	282
Orobanche - - -	291
Pedicularis - - -	312
Pinguicula - - -	288
Prunella - - -	279
Rhinanthus - - -	296
Salvia - - -	236
Scrophularia - - -	325
Scutellaria - - -	275
Sideritis - - -	248
Stachis - - - -	264
Staehelina - - -	294
Teucrium - - -	249
Thymus - - -	277
Tozzia - - -	305
Utricularia - - -	290
Verbena - - -	328
Veronica - - -	333

STIR-

Digitized by Google

HENRICI IOA. NEPOM. CRANTZ

S. C. A. MAIESTATIS CONSILIARII, INSTITVTIONVM MED. ET MATERIAE MEDICAE VINDOBONENSIS PROFESSORIS PVB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. ET SOCIETAT. BOTANIC. FLORENTIN. LITTER. ROBORET. SODALIS

STIRPIVM AVSTRIACARVM

FASCICVLI V

EDITIO PRIMA

CVM FIGVRIS AENEIS

IMPENSIS IOANNIS PAVLI KRAVS
BIBLIOPOLAE VIENN.
MDCCLXIX

Digitized by Google

Digitized by Google



VIRO

CLARISSIMO

PETRO ASCANIO

HISTORIAE NATVR. ET BOTAN.

PROFESSORI DANO

HVNC SVVM FASCICVLVM

CONSECRAT



H. CRANTZ.

Digitized by Google

Digitized by Google

STIRPIUM
AUSTRIACARUM
PARS II

FASCICULUS QUINTUS

Aaa

Digitized by Google

PAPILIONACEAE
HABITUS ABSOLUTI.

STAMINIBUS OMNIBUS CONNEXIS.

STIGMATE IMBERBI.

609. GENISTA. *Cal.* 2-labiatus ⅔. *Cor.* vexillum ovatum reflexum. *Stigma* involutum. *Legumen* uni-multiloculare.

1. Germanica.
2. Piloſa.
3. Tinctoria.
4. Sagittalis.

612. ONONIS. *Cal.* 5-partitus linearis. *Vexill.* ſtriatum. *Stamina* in cylindrum connata. *Legumen* Rhombeum uniloculare.

1. Spinoſa.

613. ANTHYLLIS. *Cal.* ventricoſus villoſus 5-dentatus. *Legumen* ſubrotundum minimum tectum calyce.

1. Vulneraria.

STAMINIBUS NOVEM COALITIS, DECIMO LIBERO.

STIGMATE PUBESCENTE.

621. OROBUS. *Cal.* 5-dentatus, dentibus ſuperioribus brevioribus. *Vexill.* obcordatum apice lateribus reflexum. *Stylus* aliqua interiori longitudine pubeſcens. *Legumen* teres.

1. Niger.
2. Vernus.
3. Auſtriacus.
4. Tuberoſus.

623. LATHYRUS. *Cal.* 5-fidus laciniis ſuperioribus brevioribus. *Vexillum* maximum. *Stylus* ſupra villoſus, ſuperne latior.

1. Sylveſtris.
2. Pratenſis.
3. Tuberoſus.
4. Paluſtris.
5. Latifolius.

624. VICIA. *Cal.* ſemiquinquefidus. *Stylus* ad angulum rectum aſſurgens ſub apice barbatus.

1. Piſiformis.
2. Dumetorum.
3. Cracca.
4. Militans.
5. Gemella.
6. Sativa.
7. Sepium.
8. Lathyroides.
9. Pannonica.
10. Lutea?

STIGMATE IMBERBI.

LEGUMINIBUS UNILOCULARIBUS.

645. CYTISUS. Umbella. *Calyx* 2-labiatus vel 3-dentatus. *Carina* in ventre roſtrata. *Legumen* pedicellatum.

1. Nigricans.
2. Auſtriacus.
3. Hirſutus.
4. Supinus.

647. LOTUS. *Cal.* 5-fidus tubuloſus. *Alæ* longitudinaliter conniventes ſurſum. *Legumen* aut cylindricum, aut membranaceo quadrangulare.

1. Siliquoſus.
2. Corniculatus.
3. Dorycnium.

644. ERVUM. *Cal.* 5-part. æqualis. *Legumen* Rhomboidale. *Stigma* purum.

1. Hirſutum.

629. TRIFOLIUM. *Cal.* 5-fidus. *Legumen.* vix calyce longius mono-vel polyſpermum, calyce vel corolla tectum.

1. Melilotus *officinarum.*
2. Repens.
3. Arvenſe.
4. Rubens.
5. Alpeſtre.
6. Pratenſe.
7. Album.
8. Strepens.
9. Fragiferum.

LEGUMINIBUS SUBBILOCULARIBUS.

625. ASTRAGALUS. *Cal.* 5-dent. tubuloſus. *Vexill.* ſpectabile longius. *Legumen* gibbum loculis ad alterum latus magis flexis.

1. Cicer.
2. Glyciphyllos.
3. Onobrychis.
4. Auſtriacus.
5. Piloſus.

627 PHA-

Digitized by Google

627. PHACA. *Cal.* 3-dent. tubuloſus. *Legumen* inflatum uniloculare.

1. Ochreata.
2. Montana.

LEGUMINIBUS ARTICULATIS.

631. HEDYSARUM. *Cal.* 5-fidus. *Carina* apice transverſa. *Legumen* articulo uno vel pluribus diſcedentibus.

1. Onobrychis
2. Controverſum.
3. Humile.

632. CORONILLA. *Calyx* vix bilabiatus denticulis ſuper. approximatis. *Legumen* longiſſimum ad ſingula ſemina contractum.

1. Emerus.
2. Coronata.
3. Varia.

635. HIPPOCREPIS. *Cal.* 5-dentatus. *Legumen* incurvum, ſutura inferiore ſinuatum.

1. Comoſa.

636. MEDICAGO. *Cal.* 5-fidus. *Legumen* arcuatum ſ. cochleatum gyro ſimplici, pluribus.

1. Lupulina.
2. Sativa.
3. Falcata.
4. Minima

HABITUS DELIQUESCENTIS.

653. FUMARIA. *Calyx* ſubbifolius. *Cor.* mira. *Machina* ſtaminea conus per axim ſectus, ſingulo cono ſtamina tria.

1. Bulboſa.

652. POLYGALA. *Cal.* trifolius. *Cor.* mira. *Alæ* dux. *Vexillum* bifidum. *Carina* apice ventricoſa. *Stam.* connata.

1. Vulgaris.
2. Amarella.
3. Auſtriaca.
4. Chamæbuxus.

Digitized by Google

CLASSIS PAPILIONACEARUM.

CHARACTER in ſingulari floris ſtructura & papilionem plus minusve æmulantis figura obvius fundatur.

HABITUS ABSOLUTI.

STAMINIBUS OMNIBUS CONNEXIS.

STIGMATE IMBERBI.

608. GENISTA.

CHARACTER. *Cal.* bilabiatus $\frac{2}{3}$. *Cor.* papilionacea: vexillo ovato acuto a carina remoto toto reflexo: *Stig.* involutum. *Leg.* uniloculare ſæpe; aliquando etiam multiloculare.

Obſervatio. Non caſtæ ſunt tum LINNAEI, tum ADANSONII obſervationes, dum in charactere generico unilocularem naturam ſiliquæ adſcribunt Geniſtis.

1) *Geniſta germanica.*

Geniſta foliis ovato-lanceolatis, ſpinis in ramis ſeneſcentibus ramoſis. HALL. *Helv.* p. 593.
Geniſta ſpinis compoſitis, ramis floriferis inermibus, foliis lanceolatis. ROY.
Geniſtella ſpinoſa. CLUS. *Hiſt.* p. 104. *obiter.* RIV. T. 69. *bene.*
Geniſtella aculeata. TAB. 1102. *bene.* RAI.
Geniſta ſpinoſa minor germanica. C. B. *pin.* 395.

In *Gatterholtz* rarius, frequentius in cædua ſylva *Ottakling*, *Pötzleinsdorff* &c.

Radices, ut fruticum radices, duræ, lignoſæ.

Caules fruticoſi ramoſiſſimi in diverſam partem diffuſi; horum ſeniores rami aphylli, virides tamen, & ſpinis viridibus ramoſis ſæpe ſpinoſi

noſi: iuniores virides piloſi, alternis foliis ex ovato-lanceolatis, oram ciliatam & infernam faciem piloſam habentibus, inſtructi, in axillis nova naſcentis rami foliola, cum ſpinula in medio, herbacea adhuc, & inermi, gerunt.

Flores quaſi in ſpica ſeſſiles.

Calyx brevi firmoque pedunculo fultus, carnoſus, viridis, ora piloſus, bilabiatus: labio inferiori trifido ſegmentis longioribus, ſuperiori bifido.

Corolla papilionacea flava: vexillo verticaliter cordato, ſulcis exarato venoſis, & toto reflexo, carina multo breviore, longitudine tamen alarum.

Alæ breves, profundius coloratæ, concavo-inflatæ.

Carina longa, recta, cymbiformis puppa, leniter emarginata, multum piloſa, ut ob id ſubincana videatur, inter alas dehiſcens, mirum hoc habet, quod cum legumine, aliis iam emarcidis petalis, diutiſſime perſtet.

Stamina baſi connata, fere ad medictatem ſoluta: antheris ruſa flavedine tinctis.

Stylus aſſurgens: Stigmate ſimplici non ſemper involuto.

Legumen rhomboidale hirſutum, minime oblongum, obtuſum, ut præſcribit LINNAEUS.

a) *Geniſta piloſa.*
Geniſta floribus ſeſſilibus ſparſis, caule tuberculato decumbente.
Chamægeniſta prima. CLUS. *Hiſt.* p. 103. *bene.*
Geniſta humilior procumbens. RAI. Pannonica. TOUR.
Geniſta ramoſa foliis hyperici. C. B. *pin.*
Chamægeniſta foliis geniſtæ vulgaris. C. B. *pin.*

Ad ſaxa, rupes in montibus *Mödlingenſibus* ſtatim retro templum. Tum in *Badenſibus*, aliis, imo in alpes aſcendit, quam nunc deſcribo, ex *Schneberg* delata eſt.

Depreſſus humi & ſerpens fruticulus, caules undiquaque ſpargit exiguos, etiam ramoſos, minimis tuberculis, quæ foliorum delapſorum fulcra quondam erant, inæquales, ſtriatos, ſulcatosque, & ultimo demum ſuberectos.

Folia

Digitized by Google

Folia ex uno tuberculo, (quod tamen etiam variat,) plerumque tria, exiguo petiolo nixa, lente lateſcentia in obtuſiorem finem, qui tamen quandoque in acumen abeat; hæc nunc pura ſunt, nunc dorſo & margine albo ſplendente villo, quo ne caules quidem, dum ſtirps pubeſcit, eximantur, prædita viſuntur.

Flores alterni & ex foliorum alis ſolitarii, tamen ob viciniam tuberculorum, tam folia, quam flores gignentium, quaſi racemoſi; ipſi longo ſatis pedunculo villoſo ſuſtinentur.

Calyx exiguus, villoſus, 5-dentatus, dentibus 2 ſuperioribus magis diſtantibus profunde ſectis, inferioribus tribus minoribus: omnibus fere ciliatis.

Flos calycis rationem non ſervat, ſpectabilis aureus: vexillo lato reflexo: alis aſcendentibus: carina longitudine fere vexilli.

Siliqua utrimque attenuata, quaſi inæqualia triangula eidem baſi inſiſterent, a priori diverſa eſt, licet etiam villoſo-cana ſit.

Semen modo unicum, modo plura.

Obſervatio I. Legumen ſubrotundum in charactere generico requirit LINNAEUS, in noſtris Geniſtis id non obtinet.

Obſervatio II. Cytiſi characterem in legumine baſi attenuato fundavit LINNAEUS in *Syſt. Nat.* qui etiam noſtris conveniat geniſtis.

Obſervatio III. In illis ſpeciminibus, quæ 1767. ad lapidicinam *Dornbach* locis ſiccis legi, inveni Stamina quaſi in columnam iuxta ſtylum diſpoſita, ut in columniferis.

3) *Geniſta tinctoria.*

Geniſta floribus ſeſſilibus ſpicatis, ramis ſtriatis, teretibus, erectis.

Geniſta vulgaris. CLUS. hiſt p. 101. tinctoria. DOD. tinctoria germanica. C. B. *pin.*

Geniſtella. RIV. T. 67. *bene.*

In *Simmeringer Walde*, abunde in *Gatterholtz*, rarius in *Dornbach*, & alibi.

Folia rarius lanceolata, verius ex ovatis utrimque acuta, facie læte viridia, nitida, nervo tamen piloſo, totius folii margine albido ſplendente, rariori tamen villo conſpicuo; dorſo magis albida. Hæc exiguo petiolo cauli inſident, ut quaſi ſeſſilia appareant, multis in locis ad caulem, quem contegunt, erecta, alterna obiter canaliculata.

Caulis

Caulis erectus, virgatus, ſtriatus, pube levi obſitus, ſuperiori parte multum ramoſus, floribus ſpicatis pedunculis exiguis ex alis foliorum ſuſtentatis.

Calyx non longus, exigua pube obſitus, labio ſuperiori bidentato, inferiori tridentato.

Vexillum in actu fœcundationis a piſtillo ſtaminibusque ſurſum reactum, marginibus ad piſtillum ſtaminaque conflexis, cordatum.

Alæ & *Carina* in hac deorſum actæ ſunt, quod in aliis non adeo obſervo.

Legumen oblongum utrimque acuminatum, multiloculare, ad ſemina turgidulum, inæquale, nigrum.

Obſervatio. Iam monuerat HALLERUS, Helveticis Geniſtis ſemina aliquot eſſe, dum unum ſolum numeraret LINNAEUS, Geniſtæ *tinctoriæ* ſiliquam longiuſculam eſſe, & polyſpermam, dum ſubrotundam in charactere generico definiret LINNAEUS, & tamen errorem in hodiernam diem non correxit, nec characterem generis emendavit, quaſi ipſe privilegium, quo res naturales munitæ ſunt, conculcare poſſet, aut præter illum nemo obſervare valeret. Ergo legumen *ſubrotundum* male, *uniloculare* male. Euudem errorem ADANSONUS erravit & in eo adhuc peius fecit, quod adhuc novum genus ex illa faceret Carnioliæ nomine.

4) *Geniſta ſagittalis.*
Geniſta caule ancipiti articulato, petiolis decurrentibus, foliis ovato- lanceolatis.
Geniſtella altera caule foliato. GESN. *Coll.*
Chamægeniſta altera. CLUS. *hiſt.* p. 103. *bene.*
Chamægeniſta ſagittalis. C. B. *pin.* ſagittalis pannonica. CAM. *Hort. icon.* XIII. *optima.*

In pinetis apricis aridis *Breyn;* in pratis aridis *Simmeringer* Walde eundo ad paſcua ad dextram in via.

Radices lignoſæ ſerpentes, ramoſæ horizontales fere.

Rami florales plures, ſimplices, ancipites, vix pede altiores, alis decurrentibus folioſis, modo tribus maioribus elatioribusque, modo ſex depreſſioribus cincti, aliquando triangulares ſemper, dum inſidens ovatum aut ovato lanceolatum folium caulem contrahit, articulati; hi in pedunculum purpureum non folioſum, ſed hirſutulum ſolvuntur.

Digitized by Google

Rami non floriferi toti folioſi minime triangulares, ſed complanati, nervo ſolum bialato cum inſidentibus iisdem foliolis ovatis, aut ovato-lanceolatis.

Folia in uno ramo diverſa, numero tria ad ſex, ſupremis ſenſim decreſcentibus, omnibus ovato lanceolatis & dorſo leniter piloſis.

Florum in capitulis brevis ſpica.

Calyces dentibus tenuibus hirſutis, exſtantibus duobus fulciuntur præter bracteam brevem hirſutam coloratam. Hi ampli ſunt ventricoſi, ſatis flavicantes, bilabiati hirſuti 5-fidi.

Vexillum ampliſſimum rotundum longitudine alarum fere, aſſurgens, reflexum, flavum.

Alæ longæ non, ut LINNAEUS dicit, reliquis breviores, ſed vexilli & carinæ ferme longitudine.

Carina deorſum & ſurſum fiſſa, vexillo non longior, contra ac LINNAEUS habet.

Stamina connata.

Legumen ex ventricoſo compreſſum hirſutie incanum, ſæpe abortit.

Obſervatio I. Geniſtarum character a LINNAEO quoad noſtras ſolum ſpecies non recte definitus eſt; in ultima hac planta adeo alæ reliquis breviores non ſunt, ut etiam ſint carinæ longitudine, quod etiam iam olim HALLERUS obſervaverat, adhæc ſtigma involutum obſervare non potui.

Obſervatio II. Vexillum carina dimidio brevius in ſuis obſervavit HALLERUS, in meis numeroſis & vivis ſpeciminibus video alarum & carinæ longitudine.

512. ONO-

Digitized by Google

612. ONONIS.

CHARACTER. *Calyx* 5-partitus linearis. *Vexillum* ſtriatum. *Stamina* in cylindrum integrum connata. *Legumen* rhombeum turgidum uniloculare ſeſſile?

1) *Ononis ſpinoſa.*
Ononis floribus racemoſis; foliis ternatis, ramis ſpinoſis.
Anonis floribus pene ſeſſilibus, vaginis foliorum ampliſſimis, ramo quolibet in ſpinam terminato. HALL. *helv.* 559.
Anonis. RIV. Tab. 69. *bene.* BLAKW. T. 301.
Reſta bovis. TRAGI. p. 869.
Anonis ſpinoſa & non ſpinoſa flore albo, flore purpureo & aliis varietatibus. *conſentit* LINNAEUS.

Vulgatiſſimæ plantæ ad vias, in arvis, pratis in initio mites, dein evadunt feroces pungentes.

Radix lignea, fibroſa, nigra.

Caules multi, ſuberecti, fruteſcentes, ramoſi, ſtriati, rubentes, leniter villoſi, ſpinoſi.

Spinula ex omni geniculo exit, quæ vaginis petiolatis admodum latis, coloratis, bifidis, crenatis abſcondatur.

Folia ex vaginulis amplioribus orta, ternata, exigua ſunt, hæc ſerrulata ſunt, quandoque præmorſo, quandoque acuto magis fine; prima tamen quaſi pinnata ſunt tertio impare.

Flores in mea ramoſiſſima planta fere ſolitarii, axilares, pulchre rubentes.

Calyx ſuſtentatur vaginula, & inde dependente foliolo unico; is cæterum breviter pedicellatus, ſtriatus, leniter piloſus, in quinque dentes ſolvitur, quorum ſuperiores duo ſibi adiaceant.

Corollæ vexillum ampliſſimum, primo omnes partes involvit, dein aſſurgenti-reclinatum, dorſo hirto, rugoſo, lineato, lineis ex rubro magis coloratis, ungue exiguo albido inſtruitur.

Alæ albidæ convolutæ, vix carinæ longitudine, roſeo colore hinc inde perfuſæ.

Digitized by Google

Carina inferne usque ad angulum bifida, alba, dein longe adſcendit acuminata rubens.

Stamina connata antheris flavis.

Obſervatio. Calyx non eſt quinquepartitus, nec vexillum ſtriatum, ut perhibuit LINNAEUS, nec melior eſt eius adeo variata definitio.

Ononis floribus ſubſeſſilibus ſolitariis lateralibus, caule ſpinoſo. *Hort.* CLIFF.
Ononis floribus racemoſis geminatis, foliis ternatis, ramis ſpinoſis. *Spec. edit. priore.*
Ononis floribus racemoſis geminis; foliis ternatis: ſuperioribus ſolitariis; ramis inermibus ſubvilloſis *ſpec. edit. ultima.* quis tandem dicet, quid ſibi velit, vel in floribus vel in ſpinis LINNAEUS?

Obſervatio II. Huius varietatem habeo nunc noviter creatam, Ononidem *antiquorum* non adeo ſane diſtinctam a ſpinoſa, quam ononidem ſpinis carentem purpuream C. B.

Obſervatio III. Ononis *minutiſſima* ius incolatus auſtriæ reſpuit, illud littoralis Auſtriaci ſibi vindicat; ſpecimina & ſemina ex littorali auſtriaco primo adducta fuiſſe omnibus notum eſt; habeo etiam ego & potuiſſem deſcribere, ſed non opus habeo, exteras plantas noſtris ſociare, ut & fertilis & elegans harum habeatur enumeratio. Certo non creſcit in *Baden*, ni denuo ſparſo ſemine huic loco obtrudatur.

613. ANTHYLLIS.

CHARACTER. *Calyx* ventricoſus villoſus 5-dentatus. *Legumen* ſubrotundum minimum tectum calyce.

1) *Anthyllis vulneraria.*
Anthyllis herbacea foliis pinnatis inæqualibus capitulo duplicato.
Vulneraria foliis ad terram ſimplicibus, ovatis ad caulem pinnatis. HALL. *Helv.* p. 570.
Anthyllis. RIV. T. 18.
b. Vulneraria ſupina flore coccineo. DILL. *elth.*

In paſcuis omnibus, etiam montoſis *Baden*, *Maurbach* &c. tum in alpibus b. in *Rodaun.*

Caules proiecti ſimplices, rotundi, leni lanugine tecti, ad inſidentes flores incurvati.

Folia

Digitized by Google

Folia ima varia, ovalia, ovato-oblonga, ſimplicia, aliquando, ſed rarius evidentius pinnata, longe petiolata, petiolo una alterave ſpernenda pinnula ornato, omnia leni pube obſita. *Media* pinnata ſunt: extremo impari ampliore. *Floralia* digitata ſemi-3 aut 5-fida.

Flores lutei vigentes, deflorati aurantii in involucris folioſis ſedent, quaſi in umbellam congeſti, admodum multi in capitibus duobus.

Calyx inflatus ovato-oblongus, alba lanugine totus incaneſcens, in 5. dentes ſectus: ſupremis latioribus altioribusque, infimis ſubulatis minoribus.

Vexillum longius aſcendens lateribus reflexis, medio leniter ſectum, & venis aliquando ſaturatioribus percurſum.

Alæ carina longiores, contra præſcriptionem LINNAEI.

Carina longo ſatis roſtro.

Stamina connata ſine ultimo ampullacea alba antheras gerunt flavas.

Stigma obtuſum eſt.

Obſervatio I. Calycis laciniæ in montoſis rubent, & ipſum vexillum interne ſæpe lata purpura perfuſum eſt, quod etiam in adultiori carina vidi.

Obſervatio II. In montanis folia ſæpius pinnata video, & flores roſeos minores longe, ut in *Rodaun.*

Obſervatio III. Calycem anguſtum & brevem non bene facit ADANSONUS in cognitionem generis, quem omnes inflato-oblongum inveniant, & peius adhuc ex tribus ſpeciebus Anthyllis, tria genera excitat ex TOURN. ex *vulneraria* genus Vulnerariæ, ex *erinacea* genus Erinaceæ & ex barba iovis, genus Barba iovis.

Obſervatio IV. Anthyllis *montana* non dum in auſtria lecta eſt, licet in hac in monte Anas creſcere ſcribat LINNAEUS, ſed Mons Anas non in Auſtria, ſed Carniolia eſt.

Digitized by Google

STAMINIBUS NOVEM COALITIS DECIMO LIBERO.

STIGMATE PUBESCENTE.

621. OROBUS.

CHARACTER. *Calyx* baſi obtuſus 5-dentatus, denticulis ſuperioribus brevioribus. *Vexillum* obcordatum apice lateribusque reflexum. *Stylus* linearis latere interiori aliqua longitudine pubeſcens. *Legumen* teres.

1) *Orobus niger.*
Orobus caule ramoſo, foliis teriugis ovato-oblongis.
Orobus pannonicus II. CLUS. Hiſt. II. p. 230. *icon mala.*
Orobus ſylvaticus, viciæ foliis, ſiliquis propendentibus, floribus purpuraſcentibus. MORIS. II.
Orobus foliis viciæ. HIV. T. 60. *bona.*

Abunde in ſylvula *Gatterholtz*, in illa *Dornbach*, in *Caltenberg*, *Weidling* &c.

Radix tuberoſa fibroſa.

Caules plures recti, virgati, firmuli, anguloſi, hinc inde colorati, ramoſi, faciem foliorum ſuorum inflexis paululum ramis & foliorum coſtis offerunt.

Foliorum pinnæ 3. 4. ad 5. 6. paria ſine impari. Folia ſunt ex ovato-oblonga, ſine rotundo ſpinula terminato, ſuperne læte viridia, inferne glauca uno ſolum nervo percurſa. Coſtæ folioſæ plano caniculatæ exiguis auriculis, figuræ lathyri *tuberoſi* ſimillimis, & ſupremis ſolum lanceolatis non calcaratis auctæ in ſpinulam terminantur; adhæc etiam ſatis conſtanter in una alterave coſta ſuprema pinnas primas bracteorum forma abortientes videas, dum ſequentes iuſtæ ſunt dimenſionis.

Scapus coſtis conſtanter longior non foliis in longitudinem eductis, & hic ſubvilloſus eſt, ad coſtas leniter inclinatus, floribus in terram pendulis.

Racemus plerumque 5. pluribus paucioribusve componitur floſculis, ex vivida purpura coloratis.

Calyx

Digitized by Google

Calyx a pedunculo colorato villoſo dependet, coloratus, venoſus, leniter villoſus, obtuſus, ſuperna parte gibberus minor, inferna longior, dentibus vix adeo notabilibus inſtructus, maxime ſupremus.

Vexillum carinam late dimidiato cono cartilagineo ad carinæ angulum fere tegens, brevi erigitur emarginatum anteriori facie pulchre pictum, profunde roſeum, dorſo ſplendens.

Alæ longo pede albido rectæ, dein adſcendentes ex purpureo violaceæ ſummitatem carinæ non angulum obtegunt.

Carina ſpecialis ſtructuræ nec in aliis generibus ſimilis viſa, qua enim vexillum ſpectat & aperta eſſe ſolet ſpeciali membrana interiori articulationis vallo ſubtenſa, utrinque tecta eſt, preſſa tamen, apice, ut in aliis hians, aperte; cæterum parum a recto recedente angulo conflexa in apicem vexillum reſpicientem leviter ad angulum colorata eſt. Bipedes maniſeſtius huius generis ſpecies omnes contendit LINNAEUS, in hac nihil inveni.

Stylus ſurſum reflexus, planus, interna facie pubeſcens.

Legumen apice acuminato adſcendente, utrimque primo compreſſum, pendulum, dein vero erectum nigrum, recte ut RIVINUS pinxit, ſeminibus in medio incluſis.

Obſervatio. Pulcherrima hæc ſtirps facillime vitiatur, & nigredine aterrima ſeu in floribus, foliis, caule, ſiliqua ſphacelatur ita quidem, ut rarum ſit exemplar non vitiatum in herbario reconditum.

2) *Orobus vernus.*
Orobus foliis pinnatis, ovatis, acutis; caule ſimplici.
Orobus pannonicus I. CLUS. *hiſt.* II. p. 230. icon bona.
Orobus ſylveſtris vernus THALII. p. 80. icon VI. bona.
Orobus RIV. T. 58.

Primo vere in ſylvis, maxime illa *Dornbach*, dein *Pötzleinsdorff*, *Mariabrun*, *Caltenberg*, *Grinzing*.

Radix tuberoſa, lignoſa, nigra, admodum fibroſa.

Caulis unicus, quandoque tamen plures, fere pedalis, iunioris & nondum florentis plantæ debilior, inclinatus, florentis rectus, purpura coloratus, quadrangulus, ſtriatus, coſtas folioſas tres quatuorve exſerit in varium ſenſum deflexas.

Coſtæ

Coſtæ folioſæ petiolo canaliculato colorato inſtructæ, duo, tria, foliorum paria edunt ſine impari.

Folia ovato-elliptica, ampla ſatis, complicata, nervoſo-rugoſa, marginem in adultis ſæpe leniter coloratum habent.

Stipulæ caulem involucrantes quaſi, ſingulis folioſis coſtis adſtant auriculatæ, rugoſæ, auriculis quandoque imperfecte inciſis, quandoque, ſed raro, ſerratis. Hæ in inferioribus coſtis minores, in ſuperioribus fere ſemper maiores ſunt, & in ramis aliquando auriculis carent, aut harum ſolum rudimentis inſtruuntur.

Pedunculus unicus, & hinc inde alter in ramis, rectus, ſtriatus, anguloſus, ex purpura coloratus, flores 6. 7. 8. ſuſtinet pulchros, ſatis amplos: vexillo vegeto pulchre rubente, obſoleto vero ſordide cæruleſcente.

Calyx coloratus quinque dentatus, duobus dentibus ſuperioribus minimis, infimo longiſſimo: omnibus acuminatis.

Flores in nondum explicatis penduli, in explicatis erecti magis, pulchri, ut ante dixi.

Vexillum amplum amœne ex cæruleo-rubens, venis ſanguineis venoſum, margine poſtrorſum plicatum, emarginatum, &, ut carinam & alas complectatur & coerceat, ſingulari calloſa plica inſtructum.

Alæ vexillo longe minores, carina longiores ſunt; hæ ex albo rubent, dein ſordide cæruleſcunt complicatæ emarcidæ.

Carina ex albo ſubrubet aſcendens, lateribus, ut foveam habeat auricularem compreſſa.

Stamina unum & novemfidum.

Stigma, qua parte vexillum ſpectat, longe pubeſcit, & ad angulum fere rectum erigitur.

Siliquæ erectæ primo rubent, dein nigræ fiunt, ſemina 5. 6. continentes.

3) *Orobus Auſtriacus.*

Orobus foliis 2-3-iugis erectis longe lanceolatis, radicibus tuberoſis cylindricia. T. I. F. I.

Orobus pannonicus 3. CLUS. II. p. 231. bene, etiam cum brevioribus & latioribus foliis. I. B. EX CLUSIO.

Orobus foliis coniugatis ſubſeſſilibus lanceolatis, ſtipulis ſemiſagittatis integerrimis; radice faſciculata. *Elenchus* bene.

Orobus foliis biiugis ſublinearibus, ſtipulis lanceolato-linearibus, ſemiſagittatis; caule ſimplici. *Enumer.*

Invenit

Invenit magna copia in pratis non procul *Waltersdorff*, *Maurbach*, *Mödling*, *Baden*, etiam in montoſis ultra Danubium locis ad ſylvarum cæduarum margines induſtrius vir CLUSIUS. In pratis circa *Minckendorff*, *Salmersdorff*, KRAMERUS. Ego pratum ante *Atzkersdorff* ad dextram viæ regiæ hoc lotum conſitum vidi, in prato inter *Lieſing* & *Rodaun* rarius inveni, ut etiam in illo *Ottackling*.

Radices oblongi bulbilli in cylindrum fuſi, modo minores, modo longiores, foris nigricantes intus albi 3. 4. 6. plures; iuniores etiam extus albent, ut in figura expreſſum eſt.

Caulis plerumque ſimplex rectus, niſi quod a vento inclinatus creſcat, aut a floribus nutet, parvis in initio genieulis, aſcendendo vero longiſſimis diſtinctus; cæterum tenuis, rigidus tamen, compreſſo-angulosus pedem facile attingens, unum cum dimio non ſuperans.

Stipulæ ſemiſagittatæ caulem amplexantes, in extremitatibus ſæpe leniter coloratæ, lanceolatæ.

Petioli carinati, quibus folia mediante cartilagine tranſparente nexa ſunt; ipſi ſpinula cartilaginea exigua in fine gaudent, plerumque aliquantulum deflexa.

Folia modo linearia, modo, quod in diverſis ſpeciminibus multum variare obſervavi, latiora, plus minusve carinata, herbacea, longa, fine in acumen rigidum terminato. Hæc in inferioribus coſtis folioſis plerumque uno ſolum oppoſito pare inſtructa, uniiuga, in aliis vero duobus paribus gaudentia biiuga ſunt. Eſt etiam ubi in ſummis fere coſtis unum folium luxuriet, modo inter paria poſitum, modo inter ultimum par medium, ut quaſi tunc ultimum impar ſit.

Pedunculi firmuli longiſſimi ex alis coſtarum folioſarum ſuperioribus egrediuntur, diverſi numero, nunc enim in una planta ſolum unum, nunc duos, etiam tres videas: unum ſpecimen habeo, ubi quatuor ſunt. Sunt cæterum etiam hi, ut caulis, anguloſi.

Pedicelli exigui purpurei.

Racemus trium ad octo florum eſt, ante floreſcentiam ex albo viridium, aliquando etiam ſanguineorum, in floreſcentia vero niveorum cum leni hinc inde purpura.

Calyx monophyllus tubulatus baſi obtuſus, ex purpura coloratus: ore obliquo quinquedentato: denticulis duobus ſuperioribus minori-

 bus,

bus, arcu ſeparatis ſeſe tamen reſpicientibus finibus converſis: tribus inferioribus longioribus.

Corolla papilionacea: vexillo niveo in laterum angulis & margine leni rubedine perfuſo, carinæ toto ſuo ungue incumbente, & quaſi ephippio inſidente, alis reflexo & medio carinato & apice emarginato.

Alæ vexillo minores, carina tamen multo longiores, dorſum, non ventrem carinæ tegunt, hinc in tecti modum incumbunt.

Carina vix lineam bipes, cæterum ventricoſa, aſſurgens, roſtrata, poſtica parte impreſſiones habet, quibus inſidenti vexillo firmitatem conciliet.

Stamina decem connata *certo*, non ſimplex & novemfidum, ut in generis præſcriptione invita natura poſtulat LINNAEUS.

Stigma aſcendens latere vexilli multa longitudine pubeſcens.

Legumen primo enſiforme erectum lateritiæ rubedinis, tamen ſplendens, dein vero magis rotundum fit.

Obſervatio. Plantam hanc, quam CLUSIUS primus deſcripſit & delineavit, I. BAUHINUS CLUSII icone & deſcriptione mutuatis nobis conſervavit, omnes auſtriarum plantarum ſcriptores recenſent, in integrum neglexit LINNAEUS, ne minima quidem eius mentione iniecta, aut ſcriptoribus his fide adhibita; quare novam exactamque & naturalem plantæ iconem dedi finitamque deſcriptionem & ſtirpis ab aliis differentias, ut tandem videat, an cum *tuberoſo* orobo, ad quem absque omni dubio retulit, confundi poſſit.

Sed etiamnum certum eſt, ne orobum quidem *tuberoſum* præ manibus habuiſſe, ſed potius noſtram in foliis latioribus ludentem plantam, dum orobum *tuberoſum* definiret in hæc verba:

> **Orobus foliis pinnatis lanceolatis, ſtipulis ſemi ſagittagis integerrimis; caule ſimplici.**

Utique hæc naturam orobi noſtri Auſtriaci magis, quam orobi tuberoſi exprimunt! quas enim eſſentiales orobus *tuberoſus* habet differentias, has LINNAEUS non vidit, ex natura vero pinxere ita THALIUS, LOESELIUS, HALLERUSve: „Orobus tuberoſus tuberibus & filamentis inter tubera plurimis factus eſt, alis foliaceis caulis inſtruitur, folia ima ovata ſunt, flos purpureus„. Ergo non poterat definiri *foliis pinnatis lanceolatis, ſtipulis*

Digitized by Google

pulis ſemiſagittatis integerrimis; caule ſimplici, ſed contra *foliis imis ovatis ſuperioribus lanceolatis; caule alato ſimplici*, ſicque a noſtro Auſtriaco, qui radicibus longe aliis, caule nudo non alato, foliis omnibus iisdem & flore perpetuo albo gaudet, recte fuiſſet diſtinctus, ſed a nemine vult doceri LINNAEUS.

Obſervatio II. In ſtirpe locis montoſis ſiccis & ad ſylvarum margines *Caltenberg* creſcente, differentiæ nonnullæ occurrunt, quæ ſcitu neceſſariæ ſunt, ut ſpecie non diſtinguantur. I. Plantæ montoſæ radices longiſſimæ, & hæ conum inverſum, cuius baſis a caule remotiſſima apex vero in caulem confluat, conſtituunt, quandoque etiam inter duas anguſtatas extremitates cylindrulus farciminalis intercipitur, id enim variare ſolet. II. Caulis aliquando ramoſus, craſſior, firmior. III. Folia latiora ſtrictiora, ſæpe triiuga. IV. Flos pallidior.

4) *Orobus tuberoſus.*

Orobus foliis imis ovatis, ſuperioribus lanceolatis; caule alato ſimplici.

Orobus caule non ramoſo, foliis imis ovatis, ſupernis ellipticis acutis HALL. *Helv.* p. 603.

An orobus tuberoſus LINNEI & diſcipulorum? definitione nihil indigitante nec auſtriacum a tuberoſo diſtinguente.

Aſtragaloides. ſ. Aſtragalus ſylvaticus aſtragalo magno Fuchſii vel chamæbalano leguminoſæ affinis planta I. B. LINNAEANA determinatione certius nomen.

Orobus radice tuberoſa RIV. T. 59.

Aſtragalus ſylvaticus THAL. *herc.* 7. T. I. icon.

Lathyrus anguſtifolius rad. tuberoſa. LOES. *pruſſ.* 138. icon 37.

Supra Corneoburgum *Elenchus*, in ſylvis *Enumeratio* aſſignant, ſed ſylvæ multæ ſunt in Auſtria! commodius adhuc potuiſſet dici in herbario ſicco. Sed ſi vere eſt viſus, licet nec ego nec ullus meorum amicorum in Auſtria viderit, cur non emaculata fuit LINNAEI definitio? Quare de planta quidem HALLERI, & RIVINI, & THALII, & LOESELII ſatis certum eſt, de florarum autem & catalogorum ſcriptoribus vel maxime dubium.

623. LATHYRUS.

CHARACTER. *Calyx* 5-fidus laciniis 2 ſuperioribus brevioribus. *Vexillum* obcordatum maximum. *Stylus* planus ſupra villoſus, ſuperne latior.

1) *Lathyrus ſylveſtris.*

Lathyrus foliis binatis enſiformibus: internodiis membranaceis, pedunculis multifloris.

Lathyrus ſylveſtris maior. C. B. *pin.* OEDER. *flor.* dan. T. CCCXXV.

Lathyros ſylveſtris. CLUS. *hiſt.* 129.

Lathyrus ſylvaticus. RIV. *Tab.* 39.

Ex dumetis *Dornbach* Dominus WINTERL M. Doctor, botanices ſtudioſiſſimus, attulit.

Radix in adulta planta craſſa, conice ſenſim attenuata longiſſima, cute fuſca externe obſita: interne albicante dura ligneaque fere ſubſtantia prædita. Hæc plures ex ſummo capite ramos, eosque lentos, carnoſos, horizonti parallelos, & fiſſa cute ex fuſco & albo variegatos fundit.

Caules acutis angulis erumpentes multi, imbecilles hi & proſtrati iacerent, ni fulcro cirrhis prehenſo innixi erigerentur; cæterum toti herbacei profunde virides triangulo folioſo alati, a duobus ad quatuor pedes longi, admodum ramoſi implexi.

Cirrhi conſtantius triphylli, quos diphyllos definivit LINNAEUS.

Auriculæ pro plantæ altitudine tenues, exiguæ, vix lineares cum parvo recurvoque hamo.

Folia ex triangularibus alatisque & brevibus, licet tamen firmis petiolis elliptica, ipſis petiolis multis vicibus longiora (vidi enim vix non ſpithamam æquare ea, quæ eſſent longiſſima) non ſine aliqua latitudine tribus iisque magis conſpicuis nervis percurſa, ſine acutiora & in ſpinulam terminata.

Pedunculi firmuli obiter ſtriati, petiolis bis, ter, quaterve longiores, aliquando longiſſimi ſunt, etiam pedem æquantes, multiflori, tres, quatuorve flores geſtant mediæ in hac gente amplitudinis.

Calyx

Calyx ſcapo colorato purpureo incurvo nixus, coloratus, venoſus, brevis, amplus, ſuperiores breves, & in ſe conniventes dentes habet: inferiores longiores & magis diſtantes.

Vexillum amplum ſatis, aſſurgens, medio carinatum emarginatumque, lateribus reflexum & in meis quidem ſpeciminibus vivis tota ora cincinnatum; cæterum læte purpureum & lineis pictum.

Alæ in carinam, qua longiores, conflexæ, late purpureæ.

Carina admodum inflata roſtro recurvo virideſcit herbacea, ea vero parte, qua vexillum ſpectat, membranacea etiam leviter coloratur.

Stamina erant connata, & *Stigma* pubeſcebat lateribus utrimque ſulcatis.

Siliqua fere piſi, venoſa.

Semina nigra ſunt rugoſa.

2) *Lathyrus pratenſis.*

Lathyrus foliis binatis utrimque acutis pedunculis multifloris, floribus luteis.
Lathyrus ſylveſtris luteus foliis viciæ. C. B. *pin.* dumetorum. I. B. II. p. 304. *cum icone commoda.*
Lathyrus pratenſis. RIV. T. 43.

Abunde in pratis *Dornbach*, etiam ad margines ſylvulæ eiusdem pagi, in via regia ad *Clauſtroneoburgum*, ad *Weidling*; in aſcenſu montium Badenſium inter ſepes per totam auſtriam frequentiſſima.

Radicula tenuis omnino, lenta tamen & fibroſa.

Caulis unus alterve aut proſtratus aut cirrhis ſeſe attollens, admodum folioſus, quadrangularis angulis acutis, herbaceus, etiam ramoſus.

Stipulæ ad ſingulos nodos duæ, quæ ex lata baſi auriculas deorſum dimittant inæquales duas, ſibi nihilominus correſpondentes, ita quidem, ut anguſtior unius ſtipulæ auricula iungatur anguſtiori alterius, latior latiori, licet etiam in hoc ordine alternare ſoleant, ut modo anguſtiores ſiniſtram, modo dextram caulis partem occupent & contra. Hæ ſunt lanceolatæ & quaſi ſagittatæ latiori lobo quandoque ſecto & denticulo inſtructo.

Petiolus folioſus angulo ad caulem acuto cauli inſiſtens triangulus, interne plane canaliculatus, folia in fine duo promit longe lanceolata aut potius elliptica fine utrimque acuto, nervoſa nervo in dentem terminato reflexum, cauda petioli cirrhoſa, cirrho in aliquibus monophyllo, in aliis di-

 phyllo

phyllo, triphyllo etiam ramoſo; notandum eſt, in loco quo emergit petiolus foliοſus, aut pedunculus maculam purpureo violaceam conſpici etiam hos colorantem.

Pedunculus anguloſus leni villo aſperſus, firmus, altus, hoc ſingulare poſſidet, quod plerumque ſit unicus, & ſi etiam plures fuerint, unus ſolum alterno deflorato floreat.

Florum læte citrinorum aut ſulphureorum racemus numero varius fere in decem conſiſtit floribus, dum frequentius octo ſolum numerantur.

Calyx obliqua baſi, nulla cum Lathyro tuberoſo ſimilitudine, lanuginoſus, dentibus 5, longis, viloſis, ſuperioribus minoribus & ad ſe invicem accedentibus factus bracteis modo fulcitur modo minus.

Vexillum longo abſciſſo cono carinam tegens, parte latiori perpendiculariter erigitur lateribus reflexis in medio carinatum, vix emarginatum & qua carinam anteriori facie ſpectat, aliquot lineis herbacee nigris pictum, & eminentibus duobus cartilagineis angulis, quibus carinam amplectatur, notabile conſpicitur.

Alæ aſcendentes ſulphureæ nec aliæ pertinacius nexæ.

Carina recta, dein aſcendens herbacee lutea.

Stylus ſurſum erectus.

Stigma planum villoſum.

Legumen recto calyci inſiſtit, ut flos ſolebat, ſine acuminatum.

Obſervatio I. In Lathyrorum hiſtoria id ignorari non debet, definitionem ex cirrhis deſumptam ſæpe in errorem ducere, ducere etiam foliorum non ſatis expreſſam verbis formam. Equidem primo in Lathyro *cicera* cirrhos polyphyllos imo ramoſos ſæpe obſervavi, folia minime lineari lanceolata, ſed ex ovatis oblonga, qualia in *tuberoſo* ſunt, & planta tota hirta fuit & aſpera, internodiis membranaceis rigidis hiſpidis, petioli latere membranaceo ſeu ſtipulato, licet LINNAEUS in nota, ſpeciebus adiecta, abeſſe dicat. Vexillum rubrum ampliſſimum, alæ ampliſſimæ albæ carinam longe ſuperantes, licet contrarium LINNAEUS habeat, ſtylus complanatus, qua vexillum ſpectat, lanuginoſus. Secundo in hoc *pratenſi* modo monophyllos, modo 2-3-phyllos, imo etiam ramoſos obſervavi, & folia utrimque acuta, ut minus recte dicantur lanceolata, qua voce etiam *Cl.* Vir HALLERUS ſe uti non poſſe clare perſpexit. Tertio

tio demum eandem in *ſylveſtri* difficultatem occurrere, iam antea demonſtravi, ut non adeo ex cirrhis definitio ſpecifica deſumi debeat.

3) *Lathyrus tuberoſus.*
Lathyrus foliis binatis ovatis; radice tuberoſa; pedunculis multifloris.
Terræ glandes. DOD. *hiſt.* p. 550. *bene.*
Lathyrus arvenſis repens tuberoſus. C. B. *pin.*
Lathyrus arvenſis. RIV. T. 42.

Ad aggeres viarum publicarum inter ſegetes abunde, eundo in *Gatterholtz* frequenter videas.

Radices ex HALLERO *bene* longiſſima tubera habent, adnata fibris repentibus, ſpiræ in modum ſæpe convolutis albidis.

Caulis ſubquadrangulus aut ſaltem triquetrus duorum triumve pedum, plerumque proſtratus ſerpens, & tum ſolum erectus dum cirrhi vicinis plantis adhærent. Cæterum folioſus ramoſus duabus auriculis ad folioſarum paginarum exortum inſtruitur; auriculæ hæ tribus diſtinctis partibus conſtant, ſuperna longiore cono leporinæ auris ſecundum longitudinem ſecto ſimili: media petioli & caulis confinio hærente breviſſima & crure uno caulem ambiente, ut inde claviculam trifidam dicat HALLERUS.

Petiolus durus canaliculatus folia duo ovalia non emarginata, ſed dente ex poſtico nervo inſtructa educit, cauda in cirrhos triphyllos, & hos ſæpe ramoſos abſumpta, ut inde prior obſervatio firmetur, & LINNAEI definitio infringatur.

Scapi tubere duriore cauli hærent lateraliter & ad angulum fere cum caule rectum exorti, incurvi, longi.

Flores in unum latus verſi profunde roſei colore & odore, ipſi pedunculo incurvo, firmo tamen, hærent bractea ſuffulti.

Calyx campanulatus durior, venis herbaceis pictus, dentibus quinque; duobus ſuperioribus minoribus conſtat.

Vexillum magnum emarginatum ex ungue brevi cartilagineo reflexum perpendiculariter reliquis partibus incumbit.

Alæ latæ, obtuſæ ſurſum aſcendentes.

Carina tumens alis minor, ſed etiam ſurſum aſcendens.

Stylus ſurſum erectus, ſtigmate plano, anteriori facie villoſo.

4) *La-*

4) *Lathyrus paluſtris*, * Elenchus. * Enumeratio.

Lathyrus pedunculis multifloris, cirrhis 3-4-phyllis, ſtipulis lanceolatis: internodiis membranaceis.

Lathyrus paluſtris flore orobi nemorenſis verni. RUP. *bonum nomen* & p. 210. T. 1. *icon*.

Lathyrus peregrinus foliis viciæ, flore ſubcæruleo pallideve purpuraſcente flore. C. B. *pin*.

Ex Pannoniæ confiniis Greeſowski locis paludoſis creſcentem attulit; nuper etiam circa *Maurbach* invenit, & circa *Himberr* egregius Pharmacopeus Well botanicæ amantiſſimus, ubi & ego inveni.

Radix ſerpens tenuis longa.

Caules tenues ſuberecti vicinis ſuffulti, ex auriculis ex uno geniculo in aliud decurrentibus, tota longitudine alati ſeu membranoſi, membranis aſcendendo evidentioribus numquam tamen ea, qua conſpiciuntur in *ſylveſtri* latitudine, cæterum leniter anguloſi, ſtriati ſtriis albis.

Auriculæ lanceolatæ cum calcare lanceolato.

Petioli firmuli in capreolos longiſſimos polyphyllos abeunt, & folia exiguo ſpernendoque petiolo ſeſſilia fere habent, plerumque 4. rariſſime 6. pinnata.

Folia ex ovatis utrinque lanceolata; lata ſatis, ſuperna parte pulchre viridia, inferne glauca, nervoſa ſunt, nervis centralibus, qui in manifeſtum dentem abeant, fere parallelis, frequentiſſime biiuga, rarius triiuga. In illo *Himberr* ſemper triiuga anguſtiora lanceolata vidi in loco natali.

Pedunculi ſtriati ſubanguloſi & ſubhirſutuli duplo & ultra petiolis longiores, in firmis coloratisque fulcris flores gerunt Orobi nemorenſis verni ſimilitudine 4. 5. plures; in illa *Himberr* ſolum duos,

Calyx ſtriatus latus ſuperne baſi dentibus ſuperioribus obſcura purpura fere ſemper tinctus, in 5. ſegmenta ſolutus, quorum ſuperiora breviora obtuſa ſint, tria inferiora longiora, anguſtiora, medio longiſſimo. Tota calycis ora ciliata eſt,

Vexillum longo ungue carinæ impoſito aſſurgens, reflexum obcordatum, non evidenter emarginatum, ex purpura profundius violaceum.

Alæ carinam tegunt vexilli, fere longitudine carina langiores, aſſurgentes; ungues albeſcunt, dum limbus ut vexillum coloratur.

Carina

Carina recta protenſa fere ad angulum rectum aſſurgit, albida tota & infra apicem in dorſo leniter colorata.

Stamina diadelpha.

Stigma a medietate ſtyli ad apicem fere undique villoſum.

Legumen longum, compreſſum, latum, acuminatum, polyſpermum, bivalve.

Obſervatio. Eſtne hicce Lathyrus idem cum Lathyro paluſtri LINNAEI? de internodiis membranaceis memorat nihil, atqui hoc tamen manifeſtius in oculos ſignum incurrit.

5) *Lathyrus latifolius,*
Lathyrus pedunculis multifloris, caule alato, foliis & floribus maximis.
Lathyrus latifolius CLUS. II. CCXXIX. Icon. GARID. icon 108. bene.
Lathyrus maior latifolius, flore purpureo, ſpecioſior. I. B. II.

Et in pratis & in aſperis montoſis *Caltenberg* abunde in aſcenſu ad muros monachorum, ubique ad margines ſylvulæ *Simmering.*

Caules in diverſa vagantes, proſtrati tamen, etiam ſcandentes, alati alis ciliato-aculeatis.

Folia petiolo auriculato & alato orta bina oppoſita, lata hæc ovata, venoſa, pulchre viridia concava tota circumferentia aſpera ſunt & in fine ſpinulam exſertam habent; cæterum petiolo mediante globulo cartilagineo hærent.

Auriculæ maximæ ovato acutæ cum calcare ſimili, licet minore, tota circumferentia aſpero-ciliatæ.

Petioli, ut paulo ante dixi, dum dedere folia, abeunt nudi, rigidi, in capreolos ſemper triphyllos, aliquando ramoſos, licet diphyllos ſolum LINNAEUS dixerit.

Pedunculi ex auricularum & petiolorum ſinu exorti duri, rigidi, ſtriati, in curvam erecti plerumque, licet tamen id variare ſoleat, longiſſimi ſunt, aliquando pedem aſſequuntur. Hi in ſummitate minores peduncellos emittunt coloratos deorſum in arcum flexos ſubulata ſtipula hinc inde ſuffultos.

Calyx conicus, nitidus ſplendens, purpura nigra ætate tinctus, quaſi bilabiatus, labio ſuperiore bidentato, dentibus obtuſis: inferiore tridentato,

Digitized by Google

tato, dentibus longioribus lanceolatis patentibus. Tota calycis ora ciliata eſt.

Racemus ſpecioſus ad 13. 14. flores profunde roſeos amplos.

Vexillum brevi ungue carinæ ephippiato aſſurgenti-patens & retrogradum amplum, emarginatum, venoſum, læte coloratum, incumbens ſæpe.

Alæ carina maiores, vexillo minores, aſſurgenti-patentes, læte roſeæ, aliquando ex cæruleo vitiantur.

Carina in arcum aſcendens apice intorto ſæpe & contra ſe reflexo albide herbacea eſt.

Stamina, unum & novemfidum, antheris flavis.

Stigma in ſummitate undique villoſum.

Legumen.

Obſervatio. Definitio pedunculis multifloris, *cirrhis diphyllis:* foliolis *lanceolatis.* L. admodum mala eſt, in plantis omnibus in Caltenberg lectis, folia ovato obtuſa ſunt, de cirrhis iam ante dixi; nonne & HALLERUS iam dudum LINNAEUM monuerat, folia ovata eſſe?

Obſervatio II. Planta tota quandoque glauco colore perfuſa eſt brevi tamen detergendo, & flores omnes ante floreſcentiam nutant.

624. VICIA.

CHARACTER. *Calyx* ſemi 5-fidus. *Stylus* ad angulum rectum aſſurgens ſub apice barbatus.

Floribus longe pedunculatis.

1) *Vicia piſiformis.*

Vicia petiolis polyphyllis, foliis latiſſimis ovatis: infimis ſeſſilibus pedunculis multifloris.

Piſum ſylveſtre. CLUS. *hiſt.* 2. p. 229. perennne. C. B. *pin.*

Cracca flore ochroleuco. RIV. 52. *bona.*

In *Gatterholtz.* In *Kaltenberg* exitum ſylvæ *Leopoldiberg* ſpectante, ubi aquæ inter duos montes in vineas defluunt.

Radix tædioſe ſerpens huc illuc lata, longa paucis per intervalla fibris aucta fuſca.

Caulis

Digitized by Google

Caulis modo unicus, modo diverſis locis exorti plures aut proſtrati aut innixi & cirrhis ſurgentes, ſtriati, anguloſi, late diffuſi, expanſi, alis folioſis fere ad angulum rectum e caule egredientibus alternis inſtruuntur. Hæ alæ pinnarum quinque paria, quæ in ſummitate decreſcant, habent, primis pinnis ex origine petioli exortis obcordatis, caulem obtegentibus, latiſſimis, aliis ſenſim minoribus.

Folia latiſſima totius generis & fere gentis, foliis Aſtragali *glyciphylli* ampliora fere, ad ea *latifolii* amplitudine accedentia, obtuſe cordata, facie pulchre viridia, dorſo glauca & eminente ſpinula prædita ſunt; Cæterum pulchre venoſa venis ad ſolem tranſparentibus. Notari meretur folia ſæpe integra, ſæpe fine emarginata videri, quod ex collatione plantarum e diverſis locis erutarum obſervavi.

Stipulæ amplæ ſatis & latæ, at reſpectu foliorum exiguæ, a foliis non occultantur erectis; hæ auriculam habent 3-4-dentatam cum calcare oblongo, ſæpe piloſo.

Pedunculi ex folioſis alis in ſummitate emergunt erecti, ad caulem incurvi, longi alis folioſis, ex quibus flores dependent ochroleuci, fere pares; florentes ſenſim dimittuntur & fructificantes angulo recto e caule procedunt.

Calyx ochroleucus, in ſingulum dentem, quorum quinque ſunt, nervum viridem demittit: dentes inferiores ſuperioribus longiores ſunt & ſuperiores ad ſe invicem inclinant; etenim & hic gibbus calyx.

Vexilli unguis longus carinam late tegit, ipſum dein elevatur lateribus reflexis; cæterum vix carinam aut alas ſuperat, ut certe vexillum exigua ratione carina maius dici poſſit.

Alæ aſcendentes non latæ vix carinam tegentes.

Stamina unum & novemfidum.

Stigma barbatum.

Siliqua lata, longa, utrimque attenuata.

2) *Vicia dumetorum.*
Vicia foliis reflexis ovatis mucronatis, ſtipulis ſubdentatis, pedunculis multifloris.
Vicia maxima dumetorum. C. B. *pin.*
Cracca ſylvatica. RIV. T. 50.

Cum præcedente in *Caltenberg.*

Radix fibroſa non adeo ſerpens nec diffuſa.

Caules ex uno capite plures, aliquando etiam ex infimis geniculis ramoſi, manifeſtius quadranguli, angulis ipſis exſtantibus acutis parvaque pube obductis. Cæterum debiles ſeſe ſolum mediantibus cirrhis ſuſtinent maiores, dum minores firmuli ſatis ſubrecti ſunt, expanſis alterno latere foliorum alis, ad angulum fere rectum ex caule exortis.

Folia omnino poſt viciam *piſiformem* ampliſſima, cum quibus etiam multam ſeu in amplitudine ſeu teneritate ſeu colore venisve convenientiam habent, licet aliquantulum a figura recedant. Sunt vero hæc ex ovatis oblonga apice integro denticulo inſtructo, ſuperiori facie pulchre & læte viridia herbacea, inferiori glauca magis. Foliorum horum e petiolo anguloſo canaliculato hic exortus eſt, ut minus, quam in reliquis, pinnata ſint, ſed in inferiori pagina quinque ſint diſtinctis locis exiguis petiolis planis exorta, quinque itidem in ſuperiori reperiantur locis inter alia intermediis orta ad finem decreſcentia fine cirrhis polyphyllis ramoſis, quibus ſeſe ſuſtinere planta ſolet inſtructa. Cæterum folia ad caulem nulla ſedent, ut in vicia *piſiformi* aſſolent, ſed remota ſunt. Habet vero caulis, qui obſcure violacea macula coloratur, ubi petiolus exoritur, ſtipulas amplas, inæqualium laterum triangulas, multis & quaſi imbricatis dentibus præditas, calcare petiolum ſemper ſpectante tenuiſſimo.

Pedunculus vix non ad angulum rectum exſertus multiflorus eſt.

Calyx tubuloſus lateribus compreſſis, dentibus 5 exiguis in meis ſpeciminibus inſtruebatur.

Vexillum gentis, lineis grate purpureis pictum, medio plicatum, emarginatum, lateribus reflexis.

Alæ carina longiores ex violaceo purpureæ.

Carina ventriculo ſubinflato utraque extremitate contracto gaudet, ſuprema roſtriforma.

Stamen decimum arcte aliis applicatum, ut videatur connatum, tamen eſt ſeparabile diadelphum.

Stigma inferne barbatum.

Siliqua gentis.

Obſervatio. Et hic alæ carina longiores ſunt & ſtamen decimum apparuit connatum.

3) *Vicia*

3) *Vicia Cracca.*

Vicia foliis linearibus hirſutis pedunculis multifloris, ſiliquis ſubhirſutis, longis.
Vicia multiflora nemorenſis ſeu dumetorum. I. B. II.
Vicia multiflora. C. B. ROY. TOUR. VAILL.
Cracca. RIV. T. 49. optima.

Vulgaris ad ſepes, dumeta, maxime vero in *Incersdorffer* Walde.

Habitus triſte viridis villoſus.

Caulis quadrangulus ſtriatus villo obſitus, ſæpe tota longitudine florigerus, quandoque tamen ſolum ſuperiori parte, & ut aliæ viciæ folioſus; cæterum altus ramoſus.

Stipulæ hirſutæ auriculatæ ſunt, tribus partibus conſtantes: minima in confinio petioli & caulis hæret: altera calcare caulem ſpectat, quem ſæpe ambit: maxima erecta eſt; nulla dentata.

Petiolus folioſus, ſtriatus, anguloſus, pubeſcens, canaliculatus, paria foliorum 7. 8. habet; primis arcte ad caulem ortis: omnibus utraque pagina pubeſcentibus & dente, qui modo lanceolatum, modo rotundiorem finem occupet, inſtructis. Notari meretur, folia quandoque glabra & minus villoſa deprehendi. Cirrhi polyphylli ſunt.

Pedunculi ſtriati, lanuginoſi, aliquando etiam colorati multiflori, floribus ex violacea purpura in cæruleum deliqueſcentibus, imbricatis, pendulis.

Calyx tubulatus coloratus, in piloſa varietate piloſus, dentibus 5. conſtans: ſuperioribus duobus vix conſpicuis & ad ſe accedentibus: tribus aliis triplo longioribus viridibus.

Vexilli unguis longus conicus inferne etiam alas & carinam longe complectitur. Vexillum ſubcrectnm inſigniter emarginatum, facie duobus aggeribus & media vallecula inſtructum eſt: partibus vexilli omnibus ex purpureo-violaceis.

Alæ multo carina longiores, ut anteriores lobi haud in gratiam carinæ facti videantur; hæ cæruleæ ſunt & quandoque ex cæruleo albent.

Carina bipes roſtro exiguo maculato.

Stigma lanuginoſum.

Legumen tumidum pendulum dum maturum.

Obſervatio I. Figura RIVINI commoda licet ſtipulas non habeat, nec pubem, nec variantia folia, primas pinnas recte expreſſit.

Obſervatio. II. Alæ etiam hic carina & magna ratione longiores.

4) *Vicia militans.* * Enumerat. * Elenchus carent.
Vicia pectore convexo, foliis obovatis, ſubhirſutis, pedunculis multifloris, ſiliquis latis brevibus. T. I. F. 2.
Viciæ pulchrum genus habitu orobi nigri, ita olim ſemper vocavi.
Viciæ pulchrum genus multifolium ſive galegæ ſpecies quibusdam. r. n. II. p. 316. icon non adeo abludit.

In ſylvula *Gatterholtz* abunde, ut etiam alias ſtirpes quærenti incommoda moleſtaque ſit, licet viſui ſemper placeat, tum etiam in aliis ſylvis non infrequentem inveni, in illis *Grinzing, Dornbach.*

Radix tenuis, fuſca, ſerpens caules per intervalla educit.

Caules pedales, bipedales, brachiales anguloſi, inferne villoſi molles, ſuperne minus, aliquando ramoſi, ſæpe multiflori & foliosi.

Coſtæ folioſæ foliis factæ pluribus pinnatis, pinnarum, ab octo ad duodecim & tredecim, paribus, ſine impari, pulchre venoſis, pene ovatis, ſpinula ex nervo exeunte. Sunt cæterum hæc folia in infimis coſtis pube utrimque obſita, inferne vero magis; in ſuperioribus autem pura, nitida ad oculum magis, microſcopio vero etiam leniter ſericea. Habitum ex coſtis folioſis ſpecialem hæc elegans ſtirps habet, quod omnes coſtarum folioſarum facies quaſi convexa pectora aſpicienti obvertat, ut orobus niger ſolus id inter omnes nobis quidem cognitos orobos facit. Cirrhi polyphylli ſunt; & primæ pinnæ foliorum caulem ſæpe amplectuntur.

Stipulæ ut in vicia *cracca* tribus partibus conſtant, minima in caule & petiolo folioſo, altera deorſum procedens caulem ſpectat, quem ſæpe ambit, tertia eaque maxima erecta eſt, nulla dentata, ſed omni pube obſita, hamata.

Pedunculi ſeu ſcapi florigeri numeroſi ex omnibus fere alis, quod tamen non perpetuum eſt, ſed recenter collecta conferendo numeroſa ſpecimina, ſcribo, coſta folioſa minores, tres quatuorve digitos alti, in faciem coſtarum antrorſum exſtant, hi ſtriati, leniter villoſi ſunt, ſpicamque gerunt multifloram, florum 5. ad 14. ubi plurimos vidi, & denſam

Digitized by Google

ſam. Pedunculos ut etiam aliquando caulem primæ foliorum pinnæ conſtanter fere ampleſtuntur.

Flores modo faeie modo dorſo, oculo adverſi, purpureo violacei, viciæ craccæ ampliores exiguo coloratoque pedicello pendent.

Calyx tubuloſus, ex viridi purpureus, ſplendens, ad dentes ſtriatus eſt, dentes ſummi ad ſe converſi ſere minores ſunt, infimo longiore, omnibus acuminatis.

Vexillum longo ephippio eoque purpureo carinæ inſiſtit ſtrictum, lateribus violaceis ſtriis perourſum reflectitur, patens tamen & explicatum, anterius emarginatur carina aliſque longius.

Alæ carina longiores albidæ.

Carina alba, apice aliquando violaceo colore inficitur.

Stamen decimum ſeparatum, antheris flavis.

Stigma ex omni parte ſuperne pubeſcens.

Siliqua brevis, ſed lata rhomboidea, dependens, pene glabra. In maturis ſemen ſolum unum invenio nigrum rotundo-compreſſum.

Obſervatio. Mirandum omnino eſt, quod I. BAUHINI plantam, quam iam ſuo tempore tanquam ex orco vocatam reliquit SCHEUCHZERUS, nullam omnino memoriam iniecerit unquam LINNAEUS. Excitavit quidem etiam inter Helveticas, locavit ſtirpes elegantiori alia plantæ adiecta icone HALLERUS; ſed quaſi non placuiſſet ſexualium Numini, hominem alia, quam ſexus pietate inſignem, honeſtum veracemque credere, tanquam a ſe fictam obtruſiſſet plantam, & ſuæ ſexipotentiæ ius uſurpaſſet, in exteriora aulæ cum viciæ pulchro, genere etiam eum reiecit, ludibrioque dedit purpuratis.

5) *Vicia Gemella.*

Vicia foliis linearibus, ſiliquis obtuſis gemellis, ſeminibus globoſis quaternis.

Vicia foliis linearibus, ſiliquis obtuſis polyſpermis. HALL. *Helv.* 601.

Vicia ſegetum ſingularibus ſiliquis glabris, C. B. baſ. TOUR. OEDER. Faſc. II. T. XCV.

Cracca minor cum ſiliquis gemellis. RIV. T. 53. RUPP.

In agris rarius, inter ſegetes.

Caulis ſolitarius brachialis & ultra, tener, infirmus, ſubquadrangulus: angulis duobus magis depreſſis, duobus magis exſtantibus acutis, folioſus eſt, & ad coſtas folioſas parum inclinatus.

Stipulæ

Digitized by Google

Stipulæ ſimplices calcare caulem ſubamplexante inſtruuntur.

Coſtæ folioſæ pinnatæ pinnarum 4. 5. parium. folia ipſa pulchre viridia, glabra, anguſtiori principio coſtæ hærent, dein æqualis ubique latitudinis finiuntur coarctato in dentem fine; hæc cæterum linearia ſunt.

Pedunculi tota fere longitudine caulis enati internodiis caulinis ſæpe longiores, etſi filiformes, tamen ſtricti ſunt, & flores perpetuo binos ſuſtinent exiguos.

Calyx purpura coloratus ſuperne late inter dentes ſuperiores, qui inferioribus minores ſint, exſectus.

Vexillum omnibus floris partibus longius, venis purpureis pictum, dilute cæruleum, aut ex cæruleo albidum.

Alæ carina longiores ſordide albentes inflatæ.

Carina in fine roſtri violacea.

Stamina diadelpha.

Stigma parte anteriori aliquantulum pubeſcit antheris leviter aureis.

Legumen latum pendulum, obtuſum quatuor ſemina aut plura continens.

Obſervatio I. Solida ſane eſt apud botanicos exiguæ huius plantæ confuſio, ad Erva clariſſ. Vir LINNAEUS reduxit, hunc fere alii omnes exſcribunt, de ſede plantæ haud ſolliciti, dum tamen veteres botanici, BAUHINI, RAIUS, MAGNOLIUS, MORISONUS, TOURNEFORTIUS, VAILLIANTIUS viciis accenſerent & viciam *minorem*, *minimam*, appellarent. Noſtris temporibus ſolus HALLERUS viciis iterum intulit; & potuiſſet LINNAEUS monente HALLERO, aut ſtirpem iterum cum generico Ervi ſui charactere conferre aut viri auctoritate ſtare. Vicia eſt, non Ervum; nam nec perianthium eſt longitudine corollæ, nec eſt ſubæquale, nec legumen teres; etſi demum a Vicia ſolo ſtigmate Ervum differt, ut in obſervatione LINNAEUS ſcripſit, in propatulo eſt Viciam non Ervum eſſe, quanquam *novis ſpeciebus* notam plantæ adiecerit.

Obſervatio II. Et in hac Alæ carina longiores ſunt, & ſtamen decimum HALLERO viſum eſt connatum, quod in meis ſpeciminibus obſervavi ſolutum.

Floribus

Digitized by Google

Floribus axillaribus ſubſeſſilibus fere.

6) *Vicia ſativa.*
Vicia leguminibus ſeſſilibus ſubbinatis erectis; foliis retuſis; ſtipulis notatis.
Vicia ſativa vulgaris ſemine nigro. C. B. *pin.* TOUR. VAILL.
Vicia. RIV. T. 54. *bona.* BLAKW. T. 425.

Ubique, inter ſegetes creſcentem deſcribam.

Caulis anguloſus, ſtriatus.

Stipulæ alatæ, alis diſſectis dentatis, dentibus ariſtatis, poſtica parte petiolo proxima macula nigra aut fovea notatis.

Folia quandoque ſolum retuſa, quandoque etiam quaſi exſecta, dente inſtructa, facie nitida, dorſo villoſa, 6. 7. 8. parium. Cirrhi polyphylli.

Flos in foliorum alis ſeſſilis, unus, duo.

Calyx ſpectabilis, tubuloſus, longus, anguloſus, piloſus, dentibus quinque piloſis longis, in hac ſpecie fere æqualibus conſtat.

Vexillum amplum eſt.

Alæ quoque amplæ ſunt & colore variant, ſæpe pulchra purpura fœtæ.

Carina nigra apice maculata.

Stigma lanuginoſum.

Legumen ſtrictum.

Obſervatio I. Ex ſtigmate latere inferiore tranſverſe barbato character generis deſumitur, an bene? non ſemper invenitur. An in exigua carina macula vitiata genus fundari poſſit? invenio in adverſariis, nunc definire nihil poſſum ab his laboribus remotus.

Obſervatio II. Stipulas in aliis non adeo dentatas & alatas obſervo, ſed ſimpliciores & maculam exuſtam magis conſpicuam. Video etiam folia multum variare.

7) *Vicia ſepium.*
Vicia ſiliquis pedicellatis ſubquaternis erectis, foliis ex ovatis obtuſe decreſcentibus.
Vicia ſepium folio rotundiore acuto. C. B. *pin.*
Vicia ſepium. RIV. T. 56. *optima.*

Ubique in ſepibus, dumetis, ſylvarum marginibus.

Radix tenuis alba, ſerpens vaga.

Caules inferne anguſtiores colorati, medio craſſeſcentes herbacei, angulis exſtantibus quadranguli, cubitales, brachiales & ultra.

Auriculæ non in omnibus maximæ ſerratæ ſerris ſubariſtatis: ſuperiores ſimplices ſunt & foveam impreſſam coloratam gerunt.

Folia integra ex ovata figura diminuuntur in finem obtuſum 5. 6. plerumque coniugationum, læte ſatis viridia.

Scapus floralis ex alis foliorum brevis, obſcura purpura perfuſus.

Flores in ſcapo plerumque quatuor haud elegantes.

Ex purpura liveſcit *Calyx* venoſus, venis in dentes productis recurvos, quorum ſuperiores duo breviores ſunt tribus inferioribus notabilioribus.

Vexillum ex albo & cæruleo colore liveſcit & venis perfuſum eſt ſaturatioribus.

Alæ ſimiles ſunt cæruleæ, tamen magis & hinc inde violaceæ, ut & carina.

Stamina diadelpha.

Piſtillum ad angulum rectum aſſurgens ſtigmate parte anteriori undique plumoſe criſtato, ut etiam videatur bifidum, quod tamen non ſit.

Legumen brevius, ſed latum.

2) *Vicia Lathyroides.*

Vicia leguminibus ſeſſilibus, ſolitariis, erectis glabris, foliolis ſenis inferioribus obcordatis.

Vicia lathyroides purpureo-cæruleis floribus HERM. *parad.* 242. icon. OEDER. *Danic.* T. 58. optime.

Ex montoſis *Baden* exemplar famulus attulit, e ſylvis *Schneberg* alii.

Radix exigua non multum fibroſa.

Caules palmares & ultra, debiles ſuberecti, ut nunc video, quadranguli, ſtriati, leniter hirſutuli inferne, aliquando etiam ex nigro purpuraſcentes.

Auriculæ ſemiſagittatæ lanceolatæ, calcare inferiori ſæpe dentato; cæterum ſubhirſutæ.

Folia lanceolata ſine longe ariſtato ſere, triiuga frequentiſſime, aliquando bi-rariſſime quadriiuga, ſubhirſuta, cirrhis ſimplicibus aut diphyllis, & hæc caulina ſunt ſuperiora, inferiora vero, ut & radicalia, rotundata aut obcordata minima.

Flos

Flos ſolitarius in alis foliorum ſeſſilis purpureo cæruleus.

Calyx tubuloſus nervis exſtantibus fere anguloſus, in 5. longos dentes ſolutus, dentibus ſuperioribus conniventibus.

Vexillum alis carinaque longius, apice emarginatum, lateribus reflexum, cæruleum.

Alæ carina longiores multo, amplæ, incumbentes, magis purpureæ.

Carina albida magis. Alia gentis ſunt.

Obſervatio. OEDERUS cirrhos non habet, quos HERMANNUS pinxit & ego in mea planta video; folia caulina ad hæc, in utraque icone diverſa ſunt, & meæ plantæ nulla conveniunt.

9) *Vicia Pannonica.*

Vicia leguminibus ſeſſilibus reflexis, piloſis, ſolitariis, polyſpermis, corollæ vexillis hirſutis.

An Vicia ſylveſtris lutea ſiliqua hirſuta. C. B. *pin?* alia ſynonima ob difficultates inſuperabiles non addo.

Ex confinio Auſtriæ verſus Hungariam ad vinearum aggeres creſcentem attulit GRECSOWSKI, & eandem plantam ſpithamæ altitudine ex radice ſolum ramoſam cum floribus albis vexillo ſiliquisque hirſutiſſimis nuper ad aggerem *Belveder* inveni.

Caulis anguloſus cubitalis, quandoque brachialis, decumbens, etiam ramoſus, ramo in medio enato ſæpe pedali, firmo.

Stipulæ, ut in ſativa, ſimplices exiguæ macula ferruginea ſubtus notatæ.

Foliorum coniugationes plures, pinnarum ſex, octo, novem paria. Folia cæterum ſunt fere ovata, utrimque ſericea, dente ex nervo exeunte inſtructa, retuſi nihil habentia. In parvo exemplari cirrhi ſimplices aut diphylli; folia inferiora fere nitida erant, dum ſuperiora eſſent piloſiſſima.

Flores in foliorum alis fere ſeſſiles bini plerumque ochroleuci, in ultimis ramis nondum explicatis quaſi congeſti.

Calyx piloſiſſimus in 5. lacinias ſectus, quarum quatuor fere longitudine pares ſunt: infima minore. In parvo exemplari totus incanus.

Vexillum ſubrotundum maius, dorſo hirſutiſſimum, medio inciſum, anteriori & poſteriori facie venis fuſcis pictum, ſuberectum; in parvo exemplari lateribus complicatum.

Alæ vexillo minores, carina multo longiores.

Carina obtuſà ventricoſa compreſſa.

Stamina connata antheris polline herbaceæ flavedinis fœtis.

Piſtillum ad angulum rectum adſcendens, ſtigmate ſub apice barbato, referente conum per medium ſectum piloſum, quam notam in aliis viciis me vidiſſe haud memini.

Legumen & latum & longum dependens, acumine terminatum, piloſum 6. 7. 8. ſeminibus fœtum.

Obſervatio I. A Lutea LINNAEI differt corolla vexillis hirſutiſſimis & ſtipulis integerrimis, macula, ut in ſativa, ſphacelatis, foliis etiam non obverſe ovatis.

Obſervatio II. Ab Hybrida in eo recedit, quod nec folia retuſa habeat, ſtipulæ ad caulem fuſca macula notentur.

Obſervatio III. Si a lutea omnino diſtincta noſtra planta ſit, debet adhuc addi huic faſciculo

10) *Vicia Lutea.*
Vicia leguminibus ſeſſilibus, reflexis, piloſis, ſolitariis pentaſpermis; corollæ vexillis glabris.

Ad ſylvulam *Simmering* rarius KRAMER, unde etiam Enumerator in ſylveſtribus rarius.

II. STIGMATE IMBERBI.

LEGUMINIBUS UNILOCULARIBUS.

645. CYTISUS.

CHARACTER. *Folia* ternata. *Umbella* vel capitata vel axillaris. *Calyx* bilabiatus $\frac{2}{3}$ aut tridentatus. *Carina* in ventre roſtrata. *Legumen* pedicellatum in origine anguſtius in progreſſu craſſeſcit.

1) *Cytiſus nigricans.*
Cytiſus foliis ovato - oblongis, racemis ſimplicibus erectis.
Cytiſus glaber nigricans. C. B. *pin.*
Cytiſus IV. CLUS. *Hiſt.* I. p. 95. *icon bona.*
Cytiſus. RIV. T. 72.

Tota

Tota montium, quæ Danubium ſpectat, coſta, ad viam regiam *Clauſtro-neoburgenſem* abunde, in aſcenſu ex *Grinzing* in *Caltenberg*, & paſſim tota Auſtria.

Radix craſſa lignea ramoſa ceſpitem caulinum erigit in diverſa abeuntium ſuffruteſcentium ramoſiſſimorum & aphyllorum fere, ex his ſurgunt.

Virgæ plurimæ inflexo-erectæ pedis unius, duorum altitudinis, modo ſimplices, modo ramoſæ. Hæ lentæ fractu contumaces ex viridi albidæ & quaſi pulverulentæ cum leniori pube.

Folia gentis terna petiolo ſatis firmo ſuffulta, utrinque villoſa, ovato-acuta, nervo in dentem abeunte manifeſtiorem & reflexum; inde ſubtiliter plicata, prona, facie profunde viridia & quaſi ex viridi nigricantia: ſupina vero pallentia & leni depreſſaque ipſi etiam folio parallela barba variegata, quæ etiam digito in contrarium ſenſum folium oberranti aſpera ſit, nullo modo vero ſericea, ut id in numeroſis meis exemplaribus his locis lectis & examinatis mihi conſtitit. Adhæc ſunt hæc folia, quam in aliis noſtris Cytiſis, fere minora, & craſſiora.

Flores odori, odorem gratum mellis habent, racemoſi, racemis longis terminalibus, læte flavi; in herbariis ſæpe nigri fiunt & fœtent.

Calyx brevi pedunculo erectus, bractea ſuffulcitur inferne ſatis firma, eſtque cum pedunculo bractea duriori villo obſitus. Notatu dignum calyx habet, quod ab aliis noſtratibus Cytiſis multum deflectat, eſt enim admodum brevis & cartilagineus fere, baſi retuſus, ſurſum lateſcens, ore patente bilabiatus: labio ſuperiore (ſaltem ad ſenſum) unidentato, inferiore tridentato, dentibus plerumque ſphacelatis nigris.

Vexillum in nondum explicato flore aliis partibus longius aut ſaltem alarum longitudine: in expanſo reflexum & poſtrorſum longe præter familiæ morem reclinatum, & quaſi Geniſtarum exemplo a carina remotum. Cæterum alarum longitudine viſitur reductum, & carinæ laxe inſiſtens planum obtuſe cordatum lateribus nullo modo reflexis.

Alæ inflatæ utrimque dehiſcentes.

Carina admodum arcuata inferne alas longe ſecans, ſurſum acuminata, ſerpentinis maculis aliquando intus fœdatur.

Stamina connata non *diadelpha*, polline antherarum aurantio.

Stigma obtuſum.

 Siliqua

Digitized by Google

Siliqua iunior candicante villo prædita membranam ſtamineam ſphacelatam nigram diu adhuc ſervat ſibi ſubiectam, tum totum utrimque acuminatur legumen.

Semina reniformia ſunt.

Obſervatio I. Ergo Cytiſus nigricans præter definitionem ſpecificam ſeſe. 1. calyce bilabiato: labio ſuperiore quaſi indiviſo, aut dentibus ita confluentibus, ut unidentatum videatur. 2. Staminibus connatis & 3. ſiliqua utrimque acuminata non obtuſa, quæ omnia contra characterem genericum a LINNAEO præſcriptum faciunt, ab aliis alienat.

Obſervatio II. Iam olim vidi, Cytiſos Geniſtis componi poſſe, an in revoluto vexillo lateribus non reflexo manifeſtius aliquod ſignum, maxime dum ſtigma involutum haud in omnibus obtineat, an hæc ratio eſt, cur poſt Cytiſos Geniſtam ſtatim ſcripſerit HALLERUS *Helv?*

2) *Cytiſus auſtriacus.* * Enumeratio.

Cytiſus caulibus erectis, virgatis, foliis lanceolatis, floribus capitato-umbellatis.

Cytiſus floribus capitatis, foliis ovato-oblongis caule fruticoſo. MILL. *Dict.* T. 107. F. 2.

Cytiſus incanus, folio oblongo auſtriacus. C. B. *pin.*

Cytiſus V. CLUS. *hiſt.* I. p. 95. *commoda icone.*

In aſperis apricis circa ſylvam *Incersdorff*, *Simmering* copioſe, tum circa *Neugebaü*, & alibi per totam Auſtriam.

Habitus glauco-incanus, nec eſt illi ulla cum aliis ſimilitudo; poſt omnes alios ſerius floret.

Radix lignea, craſſa, fuſca.

Caules plurimi pedem etiam unum cum dimidio alti viminei, virgati, fractu haud contumaces, incani, aliquando admodum ramoſi, ramis virgatis aſcendentibus, non adeo paniculatis & flores in capitulis gerentibus.

Folia longo ſatis petiolo, incano, piloſo, leniter canaliculato terna, ea cum eodem petiolo a caule recedente angulum plerumque obtuſum faciunt cauli incumbentia, dein vero ab eo magis recedunt & ex anguſto principio ſenſim & lente dilatantur anguſtato iterum fine, & dente ſplendente armato; non ſunt recte lanceolata, minus adhuc ovata, ſed

ſed ſuperne & inferne villoſa, villo ſplendente, albide cinereo curto, omnino incano.

In petiolorum alis aut rami aut iuniora foliola magis albicantia. In ſummitate caulium petioli foliis ternatis præditi quatuor quinqueve, etiam plures umbellam patentem formant, cuius centro flores inſiſtant tres, quatuor, quinque ad decem cum tribus in medio abortientibus, capitati, brevi craſſoque & lanuginoſo pedunculo ſuffulti, recti & ita diſpoſiti, ut vexilla ſeſe reſpiciant, carinæ in circulari peripheria hæreant.

Calyx pallide citrinus, ventricoſo-oblongus, lanuginoſus, baſi manifeſta bractea denticulata, una, duabus, etiam pluribus auctus; in plerisque maxime vero in ſuperioribus floribus evidentius bilabiatus: labio ſuperiore ampliore in medio triangulariter ſecto, & ibi aliquando ſphacelato, ſæpe etiam angulis non multum exſtantibus ornato: labio inferiore longe minore, triangulari, & quaſi indiviſo baſi intus flexo apice canaliculata.

Vexillum patens emarginatum ſulco in medio notabili conflexum, valde amplum, ſtriatum, ſtriis obſcuris concoloribus, ora undulato-eroſa, quaſi fimbriata criſpa. Notandum eſt, vexillum dorſo villoſum eſſe.

Alae aſcendentes carina longiores, vexillo minores, margine undulatæ & aliquando inciſæ.

Carina bipes longe patens inferne & iuxta totam longitudinem, qua villoſa eſt, findenda.

Stamina certo connata.

Siliquae hirſutæ.

Obſervatio I. Non una ratione in Cytiſorum charactere generico etiam *in ultima editione* erravit LINNAEUS, perianthium *breve* poſtulat, quod ſane in aliis generibus vix invenias aut *maius* aut *amplius*, tum labium *ſuperius* bifidum, *inferius* trifidum, quod non ſemper, imo rariſſime invenias, vidi enim in hac potiſſimum ſpecie inferius triangulare ſimplex & indiviſum, dum in præcedenti labium ſuperius ita frequentius ſeſe obtulit. Nec vexilli latera *reflexa* ſunt, ut ſtatuit, ſed contra *inflexa*, nec alæ *longitudine vexilli* deprehenduntur, quæ ſemper minores ſint.

Obſervatio II. Stamina connata ſunt, non ſimplex & novemfidum, ut perhibuit LINNAEUS, & iam dudum in ſuis tamen ſolis duabus ſpeciebus, Cytiſo nempe *Laburno* & *nigricante* obſervavit HALLERUS.

3) *Cytiſus*

Digitized by Google

3) *Cytiſus hirſutus.*

Cytiſus foliis ovatis, ramis decumbentibus, floribus capitato-umbellatis.

Cytiſus ſupinus foliis infra & ſiliquis molli lanugine pubeſcentibus. C. B. *pin.* bene.

Cytiſus VII. Species altera. CLUS. *Hiſt.* I. p. 96.

Abunde in ſylvula *Gatterholtz*, ad lapidicinam *Dornbach* & alibi.

Radix lignea ramoſos ſupra terram caules producit, ex quibus plures exſurgant rami in eandem inclinati decumbentes.

Rami recentes virgati, pedem, ultra alti, herbacei, piloſi, non ramoſi, aliquando raris foliis (dum nulla ex alis petiolorum alia oriuntur) præditi.

Folia petiolis firmulis ſuffulta lata, ovata, ſuperne viridia, inferne pallida, ora nervoque piloſa, facile ſphacelanda, foliis Cytiſi nigricantis ſatis ſimilia & ut hæc in herbario ſæpe vitiantur.

Flores in ramorum ſummitate quaſi umbellati quini, ſeni, aliquando etiam 12. inſident foliorum coronæ nec ulli alii per ramos diſperguntur.

Vexilla, ut in Auſtriaco, maxima poſtrorſum ſeſe contingunt carinis in peripheria poſitis: cæterum ut in præcedenti reflexum, emarginatum, undulatum.

Alae carina longiores, & criſpatæ.

Siliqua lata hirſuta purpuraſcit.

Obſervatio. Videtur LINNAEUS horum cytiſorum cognomina transpoſuiſſe, hic omnium hirſutiſſimus recte *hirſutus* & alter æque ac hic proſtratus, melius *ſupinus* dicitur aut *canus.*

4) *Cytiſus ſupinus.*

Cytiſus floribus axillaribus, ramis decumbentibus, foliolis ovatis ſubtus incanis.

Cytiſus incanus ſiliqua longiore. C. B. *pin.*

Cytiſus ſubruſa lanugine hirſutus C. B. *pin.*

An eſt? Cytiſus VII. CLUS. I. p. 95. icon? certe non eſt.

Cytiſus CLUS. I. p. 94. citationis LINNAEI indeterminatæ.

In montoſis *Caltenberg*, ſupra lapidicinam *Dornbach*, in *Gatterhöltz* & alibi cum præcedente.

Caules lignei magis, aliquando longe nudi, decumbentes, ex atro purpureo cortice obducti rubentes, & ubi floribus ex alis foliorum adſcendentibus rami veſtiuntur, parva incanaque lanugine albent.

Folia

Digitized by Google

Folia terna, plerumque exigua, duobus præcedentibus minora, ubi lata ovata, ubi tenuia ex ovatis oblonga, dorſo cana.

Flores in foliorum alis ſæpe longe ſpicati, aliquando tamen ſuperiori parte ſolum exorti caput mentiuntur, exiguis ſimplicibusque pedunculis ordinario ſuffulti, flavi, ut præcedentes & fere aliquantulum minores.

Calyces longi, laxi, pilis niveis longis candicantes, dum epidermidis color fere ochroleucus eſt in iunioribus, in herbario ſicco pulchre caneſcunt, quod alii nunquam faciunt. Cæterum bifidi ſolum ſuperiore labio emarginato: inferiore bifido, trifido, ut id quidem in meis ſpeciminibus in Gatterholtz lectis video, in aliis aliter etiam obſervavi. In genere vero dici poteſt, omnium horum cytiſorum Auſtriaci hirſuti ſupini calyces quoad inciſiones ſibi ſimillimos eſſe, nec huius quam aliorum magis trifidos calyces eſſe, ut haud æqua ſit LINNAEI determinatio.

Siliquæ incanæ non adeo ut præcedentes latæ.

647. LOTUS.

CHARACTER. *Folia* ternata 5-nata. *Umbellula* fere ſimplex. *Calyx* 5-fidus tubuloſus. *Vexilli* unguis oblongus, concavus. *Alæ* ſurſum longitudinaliter conniventes. *Stigma* inflexum. *Legumen* aut cylindraceum ſtrictum aut membranaceo quadrangulare.

1) *Lotus ſiliquoſus.*

Lotus foliis ternatis ſubtus pubeſcentibus; caulibus procumbentibus: leguminibus ſolitariis membranaceo quadrangulis.

Lotus ſcapo unifloro procumbente ſiliqua quadrangula. HALL. *Helv.* 511. bene.

Trifolium ſiliquoſum. TABERN.

Lotus pratenſis ſiliquoſus. CLUS. Luteus. C. B. *pin.* maior & durior. TOUR.

Lotus tetragonolobus. RIV. T. 79. *bona.*

In pratis danubialibus haud rara in *Brigittau, Tabor, Au-garten, Stadtgut, Brader* &c. in illis udis *Dornbach, Weidling, Draskirchen, Baden* &c.

Radix fibroſa ſæpe unum, quandoque plures fundit caules

Caulis in initio decumbens, dein ſuberectus ſpithamam longus, raro ramoſus, aliquando tamen; hi inferna parte folioli rubentes ſtipulas ex ovato-acutas caulem & emergentem ex caule petiolum arcte, ut etiam his adnaſcantur, complectentem habent.

Folia ternata mollia, nervo gibbero notata & hoc leniter pubeſcentia, margine ſplendente; medio latiora ſunt duobus triangulis ſine extenuatis cum exiguo dente.

Scapus rotundus flexuoſus, aliquando pubeſcens, ad calycem ſedentia foliola tria habet magis elliptice lanceolata.

Calyx longus tubulatus ſplendente pube obſitus, quandoque levibus ſtriis coloratus, lateribus magis complanatus, dentibus ſubæqualibus ſuperioribus duobus ad ſe accedentibus, quod aliter HALLERUS.

Flos luteus ſolitarius aliquando leni rubedine perſunditur, & in herbario ſæpe eadem vitiatur.

Vexillum longo conico duro tenui ungue calycis longitudine exortum carinæ incumbit, inde antrorſum erigitur amplum, anterius ſulco plicatum, vix emarginatum, lateribus reflexis & poſteriori facie duos alveolos conſtituit, ut etiam videatur quadrangulum.

Alæ inflatæ carinam fere totam includunt, & carinæ in hac ſpecie non articulantur, quod tamen in aliis papilionaceis, me obſervaſſe (ni fallor) memini, ſed particulari articulatione in poſtica & ſuperiori trianguli parte exortæ vexillum ſuſtinent.

Carina, pro magnitudine floris ſpernenda, cruribus duobus in medio exſertis diſtantibus ultimo demum confluit.

Siliqua ſtricta quadrangula, lateribus membranaceis undulatis.

2) *Lotus corniculatus.*

Lotus caulibus decumbentibus, capitulis depreſſis, leguminibus cylindricis patentibus.

Lotus floribus umbellatis, ſiliquis pendulis, *ſed* caule recto.

Lotus pentaphyllus maior flore luteo ſplendente. C. B. *pin.* TOUR. & varietas glabra & hirſuta & carnoſa & fruticoſa.

Trifolium corniculatum. DOD. *pempt.*

Lotus. RIV. T. 76. *bene.*

Locis udis, etiam in alpes aſcendit, en deſcriptiones varietatum.

I. Ex alpe *Breynina*, ubi frequens, & ſic invenio in adverſariis 1762. & hæc minime umbellata eſt.

Radix

Radix perennis, dura, lignoſa multos emittit caules.

Caules humi proſtrati, diffuſi, ramoſi, pedales, fruticoſi, ſere cortice pulchre rubente obducti, & tanquam purpureo vernice ſplendentes.

Folia ad caulem bina oblique cordata, ad pediculum tria, lateralibus ellipticis: medio latiori aliter facto, craſſa, glaberrima, glauca, ſuperne profundius, inferne dilutius viridia.

Scapi ex alis foliorum uniflori, ſæpius biflori.

Calyx conicus ſenſim dilatatus, apice rubens, laciniis longis factus & tribus inferioribus longioribus fere & ad ſe invicem accedentibus.

Corolla papilionacea flava.

Vexillum ſubrotundum plicatum facie, dorſo lineis rubentibus pictum, ungue ex gibboſitate deorſum flexo.

Alæ vexillo paulo breviores, inflatæ, ſurſum conniventes.

Legumen ſtrictum, ex anguſtiori principio ſemper lateſcens, coniforme, compreſſum, maculatum.

Semina exigua una parte gibba, altera cava.

II. Loco udo ſabuloſo inter montes *Caltenberg* & *Leopoldiberg*.

Radix multum fibroſa diffuſa.

Caulis unicus varie anguloſus, angulis eminentibus etiam ſtriatus & nigra purpura leviter perfuſus, proſtratus, admodum ramoſus ramis ramoſis angulatis pauca pubæ adſperſis, quæ cauli adhuc parcior ſit.

Folia carnoſa craſſa ſunt anguloſa, in caule ſeſſilia duo, ut perfoliata videantur: cæterum obcordata angulo uno exſecto altero amplexante.

Petiolus brevis plane carinatus tria dat folia lata æque ac carnoſa, quorum extima duo, ea, qua medium ſpectabant parte abſciſſa erant, medio integro ex acuto ovato; omnia utraque facie glauca erant, inferna tamen magis & venoſa, quanquam etiam rariori pube ut ſuperna obſita.

Pedunculi adulti, rigidi, ſtriati, anguloſi, longi: iuniores breviores præ alba lanugine incani; adulti modo dimidiata florum flavorum capita, modo pleniora gerunt: numeravi quatuor ad ſeptem, tribus ex uno latere ſuppoſitis dimidiatæ umbellulæ foliis.

Calyx conicus dentibus 5. acutis villoſis æqualibus.

Digitized by Google

Vexilli unguis conico ventricoſus, ſupra carinam decurrens vexillum erigit in fauce ſtriis profundis coloratis præditum. Ipſum latera reflexa habet nervo carinoſo non emarginato.

Alæ ſurſum aſcendentes ventricoſæ.

Carina bipes, cruribus tenuiſſimis ultra crura & articulationem alarum fiſſa.

Legumen teres ſtrictum.

Obſervatio. Vidi itidem aliam ſaturatius virideſcentem & hirſutiorem longe.

3) *Lotus Dorycnium.*

Lotus foliis ſeſſilibus quinatis, floribus albis minimis.

Dorycnium. CLUS. *Hiſt.* I. p. 100?

Dorycnium Monſpelienſium. LOB. *icon.* II. p. 51.

Trifolium album anguſtifolium, floribus veluti in capitulum congeſtis. C. B. *pin.*

In montoſis aridis *Medling*, non infrequens in illis *Baden*, *Rodaun*.

Radix longa, nigra, lignoſa, aliquando furcata.

Caules ex una capite ramoſo plurimi, ceſpitoſi ſpithama vix longiores, rotundi, tenues, rara pube obſiti, glauci, folioſi ſupra medium pedunculati.

Folia ex omni geniculo tria, quinque parva, elliptica, pube obſita, glauca.

Calyx purpura coloratus piloſus dentibus 5. ſubæqualibus piloſis & purpureis præditus.

Corolla alba eſt.

Carina profunde brunna & quaſi ex purpura nigricans.

Vexillum quaſi cordiforme conflexum, non exſectum & ſurſum vix non in apicem terminatum niveum.

Alæ in fœcundationis actu ſupra carinam pulchro triangulo conflexæ, poſt hunc patentes vexillo non breviores, quin latiores?

Siliqua in calyce ſedet rufa.

Obſervatio I. Flores capitati noſtratium minimi folio uno, duobus, tribus in omnibus meis plantis in monte Medling lectis & examinatis ſuffulti ſunt, ut mala LINNAEI definitio

Lotus *capitulis aphyllis.*

Obſer-

Digitized by Google

Obſervatio II. In aliquibus quidem hic lotus ab aliis recedit, alas ſcilicet non habet ſurſum conniventes, nec longum adeo unguem vexilli, tamen non viſum eſt, ob leves has notas novum genus conſtituere.

644. ERVUM.

CHARACTER. *Calyx* 5-partitus longitudine corollæ æqualis. *Legumen* rhomboidale, quod oblongum teres nodoſum faciunt LINNAEUS, GLEDITSCHIUS. *Stigma* purum.

1) *Ervum hirſutum.*
Ervum pedunculis multifloris ſeminibus globoſis binis.
Cracca minor. TABERN. p. 507. *icon bona.* RIV. Tab. 53. *bona.*
Vicia parva ſ. Cracca minor cum multis ſiliquis hirſutis. I. B. II.

Inter ſegetes.

Radix tenuis.

Caules multi tenues proſtrati, anguloſi, quadranguli ramoſi.

Stipulæ ad foliorum alas exiguæ lineares ſuperne ſæpe purpura tinctæ.

Folia quinque vel novem pinnarum paria habent, anguſta conflexo canaliculata, fine in veſtigium dentis ex nervo exorti & remanentis præmorſo quaſi aut reſecto.

Capreoli intricati, non ſimplices.

Pedunculi ex foliorum alis foliorum coſta longe minores, non alti, firmuli, ſulcati, quatuor plerumque exiguo fulcro donatos flores gerunt ex cæruleo albidos.

Perianthium anguloſum hirſutum longitudine fere corollæ, 5-fidum, laciniis quatuor non adhuc explicato vexillo incumbentibus omnibus apice purpuratis.

Corolla papilionacea: vexillo erecto antrorſum, lateribus convexo concavo poſtrorſum lateribus in anteriora conflexis, & circa medium in denticulum plicato.

Alæ concavæ ſunt patentes carina multo longiores, vexillo quidem, ſed ſane non dimidio breviores.

Digitized by Google

Carina ad angulum fere rectum adſcendit, lateribus macula cærulea pictis.

Stylus brevis ſtigmate obtuſo.

Legumen rhomboidale turgidum, hirſutum, ſeminibus duobus fœtum globoſis.

620. TRIFOLIUM.

CHARACTER *Flores* ſubcapitati. *Folia* plerumque ternata. *Calyx* 5-fidus. *Legumen* vix calyce longius mono ſ. polyſpermum, calyce aut corolla perſiſtente tectum.

Obſervatio. Difficillimum eſſe omnibus aſſignare ſpeciebus convenientem characterem, omnes teſtantur; & quoniam nunc LINNAEUS, has ſolo habitu convenientes in plura genera dirimi non poſſe, ex ſolius habitus potentia contendit, eſt ſane quod ſibi plurimum gratuletur meceum habitus.

Meliloti

Leguminibus nudis polyſpermis.

1) *Trifolium M. officinarum.*

Trifolium leguminibus racemoſis, nudis diſpermis, turgitis rugoſis, caule erecto.

Melilotus RIV. T. 6. bona. BLACKW. T. 80.

Trifolium odoratum DOD. *pempt.* 567. icon bona.

Vulgaris inter *ſegetes*, ad *vias* &c.

Caulis diverſæ altitudinis, vidi enim etiam ſtaturam humanam adæquare, anguloſus, ſtriatus, fiſtuloſus, admodum ramoſus ramis erectis.

Folia ternata, ita tamen, ut duo pinnata ſint, impari longiore petiolo exorto, glauca, glabra, ovata, circumſerrata.

Racemi conferti, longi, florum pendulorum flavorum.

Calyx exiguus in quinque dentes ſubulatos ſolutus.

Vexillum carina aliquantulum & alis longius, elevatum recedens, lateribus breviter reflexis, margine emarginato.

Alæ carina longiores, convolutæ, in longas auriculas divergentes.

Carina obtuſe adſcendens, ſuperne fiſſa.

Siliqua deſcripta, manifeſtius rugoſa.

LOTOI-

Digitized by Google

Lotoidea.

Leguminibus tectis polyſpermis.

2) *Trifolium repens.*
Trifolium capitulis globoſis, leguminibus tetraſpermis, caule repente.
Trifolium repens RIV. T. 13 bona.

In pratis, ſylvis, etiam ad foſſas viarum.

Caules horizontales fere, repentes per intervalla radicati.

Folia e longis petiolis ternata ovata, dentibus ciliata, macula albente Λ notata ſæpe.

Scapi florigeri, ut petioli longi nudi, capitulum globoſum ſuſtinent albidorum florum.

Calyx pedunculo ſuffultus, ſtriatus, albens, ſuperne purpuraſcit, dein in dentes virides longos, quorum ſuperiores ad ſe inclinant, ſolvitur.

Vexillum longiſſimum plicatum.

Alæ carina longiores.

Carina brevis.

Siliqua.

Obſervatio I. Hoc peculiare hæc ſtirps poſſidet, quod deflorati flores a florentibus diſcedant reflexi & coronam pendulam repreſentent, ut exacte pinxit RIVINUS; in pratis ſæpe roſeo colore perfuſàm video.

Obſervatio II. In montibus apricis ut & in pratis ſiccis hoc trifolium admodum depreſſum eſt, & aliquando ſolo exſtante capitulo viſitur.

Lagopoda.

Calycibus villoſis.

3) *Trifolium arvenſe.*
Trifolium ſpicis villoſis ovalibus; calyce & denticulis plumoſis.
Lagopus CAM. Epit. icon. p. 724. DOD. *pempt.* RIV. T. 15. BLACKW. T. 450.

In *arvis* exeuntæ æſtate, abunde etiam in montoſis apricis *Dornbach*.

Radix annuæ plantæ exigua fibroſa.

Caulis erectus, modo minus, modo magis ramoſus palmaris, ſpithamæus, pedalis; hic tenuis, molli lanugine obſitus, aliquando purpuraſcens.

Folia exiguis vaginis petiolaribus villoſis filiformibus dentibus præditis orta breviter petiolata oblonga & anguſta ſunt, utraque pagina leniter villoſa, ſine ad eductum in ſpinulam nervum inciſæ.

Spicæ

Spicæ totæ tomentoſæ ex cinereo rubentes.

Calyx exiguus anguloſus admodum hirſutus, incanus fere, ſolvitur in 5. dentes longiſſimos purpuraſcentes pappo fere pinnato, albo inſtructos.

Flos ſubcarneus defloratus ſubaurantius.

Semen ovatum in calyce continetur.

4) *Trifolium rubens.*

Trifolium ſpicis villoſis longis; corollis monopetalis, caule erecto foliis ſerrulatis.

Trifolium ſpicis villoſis calyce glabro dentibus villoſis imo longiſſimo. HALL. *Helv.* bene, ſed florem tetrapetalum facit, quem nunquam obſervavi.

Trifolium montanum ſpica longiſſima rubente. C. B. *pin.* bonum nomen.

Trifolii maioris tertii altera ſpecies CLUS. II. p. CCXLVI. icon.

Lagopus maior alter DOD. *pempt.* eadem icon. p. 568.

In montoſis ſylvaticis *Grinzing*, *Baden* &c. etiam in depreſſioribus ſylvis *Gatterholtz* abunde.

Radix perennis craſſa fibroſa ſæpe multiceps.

Caulis unus, plures recti anguloſi, aliquando etiam colorati, admodum folioſi ſunt, modo longiſſimis petiolis vaginantibus ab uno ad alterum geniculum caulem amplexantibus, modo in longiori planta magis diſſitis gaudent, ſunt cæterum pedales, bi-tripedales.

Vaginæ petiolorum duabus longis erectisque auriculis ſuperne auctæ, glabræ ſtriatæ aliquando e purpura coloratæ, in ſummo caule ampliores ſiunt, & oppoſitæ.

Folia ex petioli media nudaque & elongata coſta inferne egrediuntur, ſuperna fere ſeſſilia ſunt, omnia ternata, longe lanceolata, nervo ſuperne depreſſo pulchre venoſa, profundius aliquando, aliquando flave viridia, ſubtus magis glauca, margine aliquando purpureo, ſemper ciliato-ſerrato.

Spica longa villoſa pulchre rubens, ſed ob villum glauco rubentem mitigati coloris.

Calyx nitidus, argute ſtriatus, conicus baſi rubens, in quinque dentes ſolutus, quorum duo minores, alii duo maiores, quintus longiſſimus ſit florem ſuperans: omnibus piloſis & pilis albis longiſſimis plumoſis.

Corolla

Digitized by Google

Corolla monopetala ob tubum ex rubro albidum connatum.

Vexillum erectum aliquantulum patulum, & carina non multo longius.

Alæ carinæ longitudine, aut convolutæ, aut revolutæ.

Carina profundius purpurea.

5) *Trifolium alpeſtre.* * *Enumeratio.*
Trifolium ſpicis ſubgloboſis villoſis terminalibus ſeſſilibus, caule erecto, foliis lanceolatis ſerrulatis; dente imo corolla minore.
Trifolium 12. HALLERI *Helv.*
Trifolium maius 2. CLUS. II. p. 245. non album, ſed rubrum I. B. hiſt. II. p. 373.
Trifolium ſpica longiore, flore purpureo. RIV. T. 12. bona.

In montoſis *Grinzing*, *Caltenberg*, aliis omnibus.

Duplici ſtatura occurrit, modo vix palmam altum, modo pedem & ultra grande, maius ego deſcribam.

Caulis unus, plures, ramoſi vaginis diſtantibus cœpti, anguloſi villoſi.

Vaginæ petiolorum ſtriatæ ſtriis rubentibus, laxæ, de more auriculatæ, coſtam pro inferioribus foliis nudam inter auriculas emittunt, qua ſuperiora careant.

Folia ternata fere præcedentis, niſi quod in meis quidem ſpeciminibus inferiora & media margine haud ciliato-ſerrata inveniantur, dum tamen ſuperiora talia viſuntur, & inde erit, quod nonnulli folia integerrima dixerint. Folia cum vaginis caput floris unius, aliquando etiam uno emarcido alterius ad latus depreſſi ſuſtinent.

Spica globoſa pulcherrima, nitidaque purpura ſplendens.

Calyx conicus albus, totus viloſus, baſi dentibusque pappoſis coloratis, dente ultimo, qui in præcedenti erat longiſſimus, flore minore.

Corolla monopetala.

Vexillum lateribus aliquantulum reflexum

Alæ vexilli longitudine.

Carina coloratior.

6) *Trifolium pratenſe.*
Trifolium ſpicis ſubvilloſis in oppoſitis vaginis folioſis ſeſſilibus; foliis non ſerrulatis.
Trifolium ſpicis villoſis foliis inſidentibus vaginarum caudis capillaribus. HALL. *Helv.* bene.

Digitized by Google

Trifolium RIV. T. II. *bona*. vulgare BLACKW. T. 20.

Trifolium pratenſe CAM. *Epit.* 582. icon. DOD. pempt. 555. icon mala, floribus nequidem foliis inſidentibus; eadem LOBELII, licet laudet HALLERUS.

In ſylvis cæduis *Grinzing*, ubique in pratis.

Variat pariter hæc ſtirps; ego illam in ſylva cædua *Grinzing* lectam deſcribam.

Caulis unicus, plures, incurvi plerumque, anguloſi, ſubhiſpiduli, variis foliis exiguisque vaginis cœpti, ad genicula colorati, aliquando ſpithamæi & ultra.

Vaginæ exiguæ baſi amplexantes auriculis minores, coloratæ.

Folia e vaginis petiolata ſemper petiolo in floralibus exiguo, ovato-acuta, pallidiori macula notata, ternata.

Caput florum ſupra vaginas oppoſitas duorum foliorum ternatorum ſeſſile, ex albo purpureum.

Calyx exiguus, albidus, ſtriatus ſtriis purpureis, baſi coloratus dentibus viridibus non multum piloſis inſtructus, omnibus etiam flore minoribus.

Corolla monopetala tubo longiſſimo albente.

Vexillum aliquantulum reflexum patens rubellum.

Alæ erectæ vexillo paulo minores.

Carina profundius purpurea plerumque.

Obſervatio I. Hoc ſingulare hæc ſtirps habuit, quod prima corollarum inferioris circuli ſeries, dum florere recte & expandi incipit, dimittatur, & ab aliis non florentibus ſeparetur; huius exemplum aliæ brevi ſequuntur, ſicque omnes aliquantulum, ſed ſemper in circularem ambitum dimittuntur.

Obſervatio II. Inveni & capita duo ita ſeſſilia, & folia alpeſtri ſimiliora, etiam ſerrulata ſtrigoſiora; cæterum in pratis multum ramoſa eſt, aliquando etiam admodum exigua, depreſſa, parva, forte a tenera ætate conculcata.

7) *Trifolium album.*

Trifolium foliis cauleque erecto hirſutis; corollis florentibus erectis; vexillis ſubulatis in dorſum reclinatis.

Trifolium caule erecto ſpicis albis denſis brevibusque terminato; foliis nervoſis inferne ſubhirſutis HALL. *Helv.* ſpec. 8. bono nomine, ſed florem iterum tetrapetalum facit, quem ſemper monopetalum inveni.

Trifo-

Digitized by Google

Trifolium ſpicis ſubimbricatis ſubtribus, vexillis ſubulatis emarceſcentibus; calycibus nudis; caule erecto LIN.? eſt tantum unius varietatis definitio illa HALLERI inferior, ergo dicam omnes.
Trifolium maius I. CLUS. II. p. CCXLV. icon optima primæ ſpeciei, eadem I. B. II. 380.

In pratis ſylvaticis *Gatterholtz*, *Incersdorff*, *Simmering* &c. inveni etiam in aliis pratis ad aquas.

Radix, craſſus ſæpe oblongusque bulbillus.

Caulis unus aut plures pedales & ultra anguloſi firmi, ſtriati, villoſi raris foliis veſtiti & multum nudi.

Vaginæ villoſæ ſtriatæ auriculis ſubulatis-capillaribus.

Folia petiolo villoſo fulta oblonga, anguſta, ciliato-ſerrulata, carinata, ſæpe plicata, dorſo caneſcentia, dura, ſtrigoſa.

Florum niveorum monopetalorum capitula ſubterna, recte ut CLUSIUS obovata.

Calyces albi parum & aliquando non villoſi, parvi, dentibus viridibus corolla minoribus, aliquando etiam ſubrubellis.

Vexillum elongatum carina multo longius reflexo-diſtans

Alæ carina longiores.

Obſervatio. Flores deflorati ut in repente deorſum pendent.

β. In ſylvis cæduis *Gatterholtz*, aliis etiam pratis ſylvoſis, & paſcuis montanis.

Caulis unicus pedalis anguloſus hirſutiſſimus frequentioribus priore foliis veſtitus, aliquando ramoſus coloratus, decumbens.

Folia mollia glaberrima, villoſiſſima, utraque pagina non ſerrata ut præcedentia, longe petiolata ex ovatis acuta utriusque.

Vaginæ præcedentium caudis ſubulatis alternæ, in ſummo caule oppoſitæ.

Capitulum pedunculo paulo ſupra vaginas elato, unicum, floribus ex viridi albis.

Calyx piloſiſſimus parvus dentibus pennato-plumoſis.

Vexillum præcedentis & alæ & carina.

Illud idem eſt, quod olim in *Brader* lectum in adverſariis ita deſcripſi.

Digitized by Google

Caulis unus, plures hirſutiſſimi rubentes aliquando, ſæpe ramoſi, pedales, ſeſquipedales, erecti, leviter anguloſi.

Vaginae petiolares, ſtriatæ, hirſutæ, exiguæ, dentibus capillaribus longis non maiores, ex quorum centro longi petioli hirſuti egrediantur in ſummitate decreſcentes; hæ ſunt ſub ſpica florali, a qua aliquantulum diſtant, ſemper oppoſitæ.

Folia ternata ex ovali-oblonga, anguſtiora tamen ſuperiora ſunt, omnia integerrima, margine nunquam ciliato-ſerrulata, ſed ex purpura colorata.

Spica alba denſa ovalis, non longa.

Calyx piloſus obſcure decemſtriatus tubulatus ex viridi ochroleucus, ſuperne coloratus, dentibus piloſiſſimis ex viridi purpuraſcentibus: impari vix tubum corollæ excedente.

Corollæ erectæ pollicares fere: tubo monopetalo longiſſimo: vexillo ad caput carinæ dilatato, dein retrorſum flexo, carina aliſque multo longiore, aut convoluto, aut patente.

Alæ carinæ longitudine & paulo maiores.

Carina & alæ magis viridabant.

Obſervatio. Hoc trifolium non eſt diſtinctum a *pannonico*, quod ſolo pinguiori proveniens ſolum omnia maiora habet, & habeo etiam ſpicam elongatam in ſpecimine paſcuorum Rodaunenſium lecto.

c. Trifolium folio longo flore albo RIV. T. 12. commoda, pro foliis bene.

Trifolium pratenſe album TAB. p. 907. mihi optima pro capitulis involucratis, cæterum mala, imo peſſima.

Non eſt

Trifolium pratenſe alterum CAM. Epit. p. 583. licet innuat HALLERUS, utique purpureos flores illi tribuit CAMERARIUS.

An etiam huc aut ſaltem ad β.

Trifolium pratenſe hirſutum maius flore albo ſulphureo ſ. ochroleuco. RAI. & aliorum & HALLERO *pratenſis* varietas? LINNAEUS hanc ſtirpem neglexit, nec citavit.

In ſylva *Gatterholtz* & alibi ſed ex hac ſylva lectam deſcribam.

Radix plantæ perennis admodum fibroſa multiceps.

Caules

Caules plerumque plures, aliquando brachiales, virgati, hirſuti, aliquando ramoſi virides aut ex nigra purpura maculati, vaginis raris cœpti, ſuperne in pedunculos ſubternos longos ſoluti.

Vaginæ pro altitudine plantæ certe exiguæ, hirſutæ, ſtriatæ ſtriis aliquando purpuraſcentibus prioribus ſimillimæ, cum auriculis piloſis capillaribus.

Folia longiſſimis hirſutis petiolis nixa ternata, utraque pagina, inferiori tamen magis hirſuta, aliquando plus, aliquando minus ciliato-ſerrulata in una eademque planta, ex ovatis magis oblonga, eſtque in exſiccatis folii nervus medius in ſpinulam faſciculate piloſam herbaceam prominulus.

Spicæ ex albis ochroleucæ perpetuo aut vaginis ſolis aut his foliis bis ternatis oppoſitis inſident.

Alia omnia præcedentis ſunt præter dicta.

Obſervatio. Recte rigore definitionis ad pratenſe hoc ultimum redegerat HALLERUS, ſed tamen affinitas tanta eſt cum *montano albo*, ut ſeparari non poſſint, omittendo ſcopulos evitavit LINNAEUS, quare compulſis omnibus aliter definiendum putavi, cum nec ſpicæ ſemper duæ aut tres ſint, minus adhuc calyces nudi, ut de *montano albo* perhibuerat LINNAEUS. Et nunc certum eſt, a pratenſi non adeo diverſas omnes has varietates eſſe, licet LINNAEUS montanum album inutili ſatisque infirma catena Lupulina *vexillis corollae inflexis* ſeparaverit, quaſi aut *pratenſe* magis eſſet Lagopodum *calycibus villoſis*, quam hoc *album montanum*, aut *pratenſe* minus Lupulinum vexillis corollæ inflexis. Non repugnarem coniungenti.

Lupulina

Vexillis corollae inflexis.

8) *Trifolium ſtrepens.*
Trifolium racemis ovalibus ſtrepentibus; vexillis deflexis perſiſtentibus.
Lupulinum RIV. T. 10.
Trifolium pratenſe luteum, capitulo lupuli ſ. agrarium VAILL. T. 22. F. 3.
Trifolium agrarium DOD. *pempt.* 566.

Locis montoſis apricis *Dornbach* abunde.

Radix fibroſa exigua.

Caules plures duri recti, folioſi villoſi, aliquando colorati ſubpurpuraſcentes, ſuperne ramoſi; aliquando unus ſtatim ab infimis geniculis brachiatus brachiis fere dichotomis.

Digitized by Google

Folia vaginis involucrantibus auriculatis tenui petiolo hærent terna oblongo-ovata, glauca, nervoſa, ultra medietatem ſerrata.

Capitula ovalia ſtrepentia denſis floribus non deciduis prædita.

Calyx exiguus ex albido viridis quinque laciniatus tribus longioribus.

Vexillum amplum ſtriatum plicatum incumbens alis carinaque multo longius, flavum, ſuperne emarginatum, exſuccum ſtrepens.

Alæ flavæ carina longiores.

Carina albidior eſt.

Obſervatio. Notam poſuit LINNAEUS dicens, calycem ante efflore-ſcentiam vix manifeſte viloſum eſſe, ſed neque ego in flore deflorato villoſum invenio, eam vero caulis partem, quæ floralem ſpicam ſuſtinet, villoſiſſimam.

Veſicaria

Calycibus inflatis.

9) *Trifolium fragiferum.*

Trifolium capitulis ſubrotundis, calycibus, in defloratis, inflatis, caule repente.

Trifolium fragiferum VAILL. *Bot.* 195. T. 22. F. 2.

Trifolium fragiferum repens minori & rotundiori folio BARR. icon. 852.

In locis udis.

Radices ex procumbentibus caulibus oriuntur per intervalla multæ.

Caules procumbentes foliorum faſciculos mediantibus vaginis ſibi cohærentes per intervalla educunt, pedunculosque largiuntur foliis longiores nudos.

Folia in extremis petiolis vaginantibus terna, ovalia, glabra, argute ſerrata.

Spica ſubrotunda florum rubicundorum.

Calyces multum pubeſcentes, piloſi, ad vexillum ſeu dorſo ventricoſi 5. dentibus inſtruuntur ſuperioribus maioribus omnibus purpuraſcentibus.

Vexillum plicatum roſeum alis longe maius.

Alæ carina longiores.

Carina minima.

Calyces maturiores inflantur ſordide roſei, hirſuti ſeu villoſi, in ſuperiori globi parte bidentati, cernui.

LEGU-

LEGUMINIBUS SUBBILOCULARIBUS.

625. ASTRAGALUS.

CHARACTER. *Calyx* 5-dentatus tubulatus. *Vexillum* reliquis longius ſpectabile. *Legumen* biloculare gibbum loculis ad alterum latus magis flexis.

1) *Aſtragalus Cicer.*
Aſtragalus cauleſcens proſtratus; leguminibus ſubgloboſis inflatis mucronatis piloſis.
Cicer ſylveſtre, foliis oblongis hiſpidis magis. C. BAUH. *pin.*
Cicer ſylveſtre. CAM. *epit.* 205. *optime.*
Aſtragalus luteus perennis ſiliqua gemina rotunda veſicam referente. MOR. II. *bono nomine.* TOUR.
Glaux. RIV. T. 108. bene.

Ubique in pratis ſpeciatim in illis *Simmering*, *Baden*, *Haderkling*, *Weidling*, & per totam Auſtriam reperi, & in *Incersdorffwalde* circa marginem abunde.

Radix longa funicularis repens, dulcis.

Caules procumbentes admodum ramoſi, leniter hirſuti, aſperi, anguloſi, cubitales, brachiales.

Coſta folioſa ad caulem auriculata auriculis calcare deſtitutis elliptico lanceolatis, paria foliorum habet ad quindecim cum impari foliis ovalibus hirſuto mollibus, ſuperne læte viridibus nervo leniter carinatis, apice reflexo acuminatis.

Scapi ex foliorum alis firmuli, anguloſi naturæ caulis, vix coſta folioſa longiores.

Spica in vegete florentibus inordinata ſatis denſa, in defloratis in lineas redacta.

Flores ochroleuci non ampli.

Calyx tubulatus, ochroleucus, ſed herbacee, pilis nigris obſitus, 5-dentatus denticulis inferioribus gradatim maioribus, nigris pilis copioſis veſtitus, ſtipula ſemper ſuffultus lanceolata piloſa.

Vexillum reliquis longius carinæ inſidens, dein erectum lateribus reflexis, carinatum, fine quaſi bicorne ita emarginatum eſt.

Alæ

Digitized by Google

Alæ iuxta carinam erectæ, qua maiores ſint, vexillo minores ſine quaſi in auriculam conicam convolutæ, quod tamen in aliis aliter obvenit, ut in diverſis nunc video.

Carina ad vexillum tota longitudine patens, & antrorſum emarginato imo fiſſo ſine gaudens, antrorſum obtuſe erigitur.

Stamina unum & novemfidum.

Legumen villoſum villis primo albidis, dein nigreſcentibus, inflatum coloratum biloculare loculis polyſpermis.

Obſervatio. Certum eſt, inverſum calycem deſcripſiſſe LINNAEUM, dum de aſtragalo perhiberet, denticulos inferiores gradatim minores eſſe, qui tamen conſtanter maiores deprehendantur. Adhæc carinam longitudine alarum emarginatam dicit, qui carinam examinat & videt, capiat, ſi poteſt, ego non intelligo, quid ſibi velit, nec opus erat ſimilibus notis Aſtragalum diſtinguere a Phaca.

2) *Aſtragalus glyciphyllos.*

Aſtragalus cauleſcens proſtratus, leguminibus ſubtriquetris arcuatis, foliis ovalibus pedunculo longioribus.

Aſtragalus luteus perennis procumbens vulgaris. MORIS. II.

Glycirrhiza ſylveſtris floribus luteo pallentibus. C. BAUH. *pin.*

Aſtragalus. RIV. T. 103.

In ſylvula *Incersdorff*, *Gatterholtz*, *Simmering*, in illa *Dornbach*, & paſſim in *Caltenberg*.

Radix craſſa profunde in terram infixa multos emittit caules vel proſtratos vel ſuper alios frutices diffuſos 4. 5. pedum longitudinis.

Caules admodum geniculati, folioſi, floriferi, hoc peculiare habent, quod alternis lateribus anguloſi & rotundi ſint, ſcilicet caulis eminens dorſum habet in illo latere, in quo cum pagina foliorum, florum pedunculus egreditur: facie averſa rotunda, & quoniam alternus eſt, quatuor quinqueve digitorum diſtantia petiolorum exortus alternare & acuties laterum & rotunditas debent.

Auriculis petioli & pedunculi ad caulem cinguntur duabus erectis, latis, ſectis, marceſcentibus. Hæ vix colorantur, licet caulis petiolus pedunculique læte ſanguineo colore tingantur.

Petiol

Digitized by Google

Petioli carinati brevi & intorto fulcro emittunt folia ampla ovata tota pinnata, ſuperne ex flavo-viridia, inferne glauca, pinnarum ſeptem paribus cum folio impari.

Scapi florales ex ſingulis fere geniculis prodeunt foliorum ramo minores & hi ſæpe ad exortum colorati ſunt. Cæterum anguloſi aut ſtriati. Racemus brevis latusque floribus ochroleucis factus cum viridi pallore.

Calyx exiguo firmoque pedunculo ſuffultus bracteam lanceolatam emarceſcentem ſubiectam habet. Ipſe in hac ſpecie ſuperne ventricoſus & brevior ab ungue vexilli elevatur, in totum obliquus, gibbus & ut in Orobo obtuſus, ex albo-herbaceus, quinque dentibus viridibus factus, non piloſus.

Vexilli unguis incurvus a carina remotus: ipſum lateribus reflexum marginali limbo emarginatum carina & alis maius.

Alae carina longiores.

Carina bipes.

Siliqua effœto flore ſtatim imbricatim depreſſa, matureſcens & ætatem conſequens ſenſim ſeſe elevat & apicibus aſtra ſpectat bilocularis.

Obſervatio. In tenella, & exigua planta, folia infirmuli caulis infima rotunda obſervo, ab aliis ſuperioribus longe diſtincta, facie profundius & ex nigro viridia dorſo glauca quidem, ſed villoſa; auriculas coalitas villoſas; cauliculos purpureos villoſos.

3) *Aſtragalus Onobrychis.*

Aſtragalus caulеſcens diffuſus, pedunculis ſpicatis, vexillis flore duplo longioribus.

Aſtragalus anguſtifolius caule erecto ramoſo, ſpicis erectis caulem terminantibus, violaceis. HALL. *Helv.*

Onobrychis purpureo flore. CLUS. *pann.* 751. *cum bona icone. Hiſt.* II. p. CCXXXIII. eſt Onobrychis I.

Onobrychis ſpicata purpureo flore. C. B. *pin.* MORIS. II. TOUR.

In aſperis lapidoſis valli *Belveder* ad montes, *Mödling*, in ipſis montibus etiam ſecus vias.

Radix ſerpens diffuſa, quaſi ſarmentoſa.

Caules humi longe ſtrati, florentes ſuberecti, folioſi & ramoſi, ex rotundo leniter anguloſi, pube primo alba, dein nigricante hiſpidi & pulveribus conſperſi, colorati.

Digitized by Google

Ad ſingulum geniculum *Vaginae* duæ modo pedunculis & petiolis oppoſitæ, modo hos lateraliter complectentes.

Folia anguſta, lanugine alba hirta, canaliculata pinnarum ad 15 paria cum impari.

Scapi ſimplices, longi, hirti.

Flores ſpicati ex violaceo purpuraſcentes, ſinguli bractea, quam in Cicere Aſtragalo, latiore ſuffulti.

Calyx tubulatus albis & nigris pilis præditus, ſuperne albens, inferne coloratus, 5-dentatus, dentibus fere æqualibus, & inferioribus tribus maioribus: piloſis omnibus.

Vexillum noſtratium longiſſimum & anguſtiſſimum ſupra alas & carinam in fæcundationis actu conflexum, cæterum reflexum, canaliculatum, erectum, limbo vix emarginatum.

Carina alis minor, cruribus parum, neque ad articulationem cum alis fiſſa.

Styli baſis villoſa.

Legumen villoſum coloratum biloculare.

Obſervatio. De Lathyris perhibuit LINNAEUS, *lacinias calycis duas ſuperiores inferioribus tribus minores eſſe*, de Aſtragalis vero, *lacinias tres inferiores gradatim minores fieri*; ſic ergo Aſtragali noſtri eſſent potius Lathyri LINNAEI. Vereor vero, ut calycem inverſum deſcripſerit; videatur Aſtragalus *Cicer*, videatur *Onobrychis*.

4) *Aſtragalus auſtriacus.* * Elenchus.
Aſtragalus cauleſcens procumbens, floribus racemoſis; leguminibus teretibus utrimque acutis; foliolis linearibus præmorſis. T. II. F. 1.
Onobrychis floribus viciæ dilute cæruleis. C. B. *pin.*
Onobrychis 2; CLUS. *Hiſt.* II. p. 239. icon commoda.

In montis *Badenſis* illa parte, quæ inter duas ultimas ſtationes eſt adſcendendo ad ſiniſtram loco aprico arido tenui gramine veſtito paſſim, abunde circa *Simmering*, & omnium Auſtriorum ſcriptorum primus inveni.

Radix non multum fibroſa, quandoque furcata, fuſca capita emittit plurima, ex quibus in orbem fere aut in phalanges multi fundantur caules.

Caules

Digitized by Google

Caules tenues, breves, vix ſpithamam progredientes, dum ſunt longiſſimi, humi proſtrati, vixque elevati, hi in extremitate ſolum pedunculati ſunt, & niſi deſtructa fuerint folia multum folioſi: cæterum leni pube obſiti ſtriati, licet rotundi & triſte purpuraſcentes.

Auriculæ ſimplices exiguæ piloſæ coloratæ.

Petioli primores latioribus & brevioribus foliolis facti ovatis aut obcordatis lanceolato-præmorſis. Hi modo ad caulem nudi, ſæpe una ſolum pagina deliquium patiuntur (hæc ita ſcribo, quia video, licet perſuadear id ipſum ex aliis cauſſis eſſe non naturalibus) & qui veſtiebantur foliolis, habebant prima pinnarum paria arcte cauli adſtantia. Pinnarum paria 5 ad 10 ſunt plerumque tamen ſolum octo obſervantur cum impare.

Folia exigua linearia omnibus viciis anguſtiora, rigidula tamen, ut etiam in una eademque planta folia aliquot coniugationum integra obſerves.

Pedunculi hirſuti ſæpe colorati ex alis foliorum racemoſi, floriferi ala folioſa longiores, fructiflori floralibus longiores, variabili, licet non facile determinanda ratione.

Flores erecti ſunt ex pallida purpura cærulei, & albidis maculis picti, noſtrarum Papilionacearum plantarum minimi. Hi pedicellis exiguis, firmis tamen & exigua bractea ſuffulciuntur laxe diſtributi.

Calyx tubuloſus lateribus compreſſis, herbaceo flavus exiguis pilis obſitus, ut in Aſtragalo *Cicere* ſuperne late exſectus, inferne ad carinam productus, denticulis 5. inſtructus, duobus ſuperioribus brevioribus.

Vexillum pro floris parvitate ungue longo inſtruitur, ipſum ſatis pro eadem latum, reflexum leviter lateribus, in medio emarginatum & ſulcatum eſt, ſulco albente & latis utrimque ad alas maculis albis purpureis etiam punctis interſtinctum, ita tamen ut ex pallide purpureo leviter cæruleſcat.

Alæ carina longiores multo, vexillo breviores, ſtriis albidis percurſæ ſunt, & eodem ac vexillum colore perfunduntur adſcendentes patulæ & medio fere apice ſinduntur, ut videantur cordiformes, etiam revera oblique cordiformes dici poſſent.

Carina obtuſa intus apice maculata.

Digitized by Google

Legumen extenuatum, coloratum, ſæpe hirſutum, toruloſum, parvum, etiam inter noſtrates Aſtragalos minimum, pendulum plerumque, aut ſaltem ſubpendulum, calyce purpureo nunc cinctum video, & ſulcum longitudinalem habere, quo ſit biloculare.

5) *Aſtragalus piloſus* * Enumer. * Elenchus.
Aſtragalus cauleſcens erectus ſubpiloſus; floribus ſpicatis pallidis; leguminibus ſubulatis piloſis.
Onobrychis III. CLUS. *pann.* 756. icon & deſcript. Hiſt. II. eadem, & bene & ad vivum, ut, cur primum huius plantæ poſſeſſorem non excitaverit LINNAEUS, capi non poſſit.
Onobrychis quibusdam flore pallido vel Polygalon. I. B. omnia ex CLUS. ſiliquas tamen addidit ex Geſnero.
Cicer montanum lanuginoſum erectum. C. B. prod. 148.
Aſtragalus villoſus erectus ſpicatus, floribus flaveſcentibus. AMM. *ruth.* 166.

Rariſſimam hanc plantam, & auſtriacis botanicis ignotam iam 1759. inveneram, & nuper, ſcilicet 1767. dum calceolum quærerem, qui mecum fuerat D. WINTERL med. doctor, iterum eodem loco invenit, provenit in campeſtribus montoſis montis Cecii illa parte, qua in *Clauſtroneoburgum* deſcenſus.

Radix ramoſa, lignoſa, multiceps.

Caules plurimi, recti, ſtricti, ſtriati, rotundi, ſeſquipedales & altiores, in meo exemplari villoſi, in illis D. WINTERL minus, ſuperne in duos plerumque, aliquando etiam plures ramos ſolvuntur; cæterum folioſi ſunt.

Vaginae petiolares ſimplices ſurſum ſolum auritæ, exiguæ, villoſæ.

Petioli firmuli, erecti, canaliculati, hirſutuli, ſuſtinent folia pinnata longa, in meo ſpecimine I. aliquantulum latiora, in aliis anguſtiora, in his magis nitida, in aliis magis villoſa piloſa, cæterum ſemper pinnata, pinnarum acutarum decem quatuordecim & ultra coniugationibus cum impari compoſita.

Pedunculi longi, firmi, ſtriati, villoſi, inter ſpicam floralem nigris pilis obſiti.

Spica florum primo rara, uno alterove flore diſtante laxa, brevi admodum denſatur, plus minusve longa, quinque fere pollicum in primo meo ſpecimine, in aliis vero brevior eſt; in apice plerumque abortit, florens ochroleuca eſt.

Pedun-

Pedunculi exigui firmi, bractea fine acuminata fulti, cum eadem piloſi ſunt.

Calyx longus pallens herbacee ochroleucus, pilis nigris, ut in Aſtragalo *cicere*, obſitus, in quinque dentes infimis longiſſimis iisdem nigris pilis hirtos ſolvitur, qui in nondum explicata ſpicæ parte ariſtati quaſi exſtent & ſpicam, concurrente ſimul calycum nigredine, herbacee nigram efficiant. Calyx erectus eſt floresque ad peduneulum apprimit.

Vexillum longum eſt non adeo latum, primo carinam alasque complectitur, dein vero ab his recedens poſtrorſum patet lateribus reflexis haud latis; id ipſum ſupremo margine exſectum eſt, & tota latitudine lineis ſaturatioribus ſtriatum flavis.

Alæ vexillo breviores, ut carina longiores,

Carina non multum obtuſa.

Stamina diadelpha unum & novemfidum.

Siliqua.

Obſervatio. Vidi etiam vexilla non emarginata, ſed aliquoties inciſa.

627. PHACA.

CHARACTER. *Calyx* 5-dentatus tubulatus. *Legumen* inflatum uniloculare:

Habitus Aſtragali, ſed vexillum fere minus reliquis partibus.

1) *Phaca ochreata.* T. II. F. 2.

Phaca cauleſcens erecta glabra; ſcapum floribus, leguminibusque calceiformibus pendulis.

Phaca geniculis ochreatis petiolis ſquamatis; foliis latis ovatis venoſis.

In ſummis pratis *Schneberg*, tenui gramine veſtitis & ſoli perpetuo expoſitis.

Radix tenuis rotunda cortice fuſco tecta, lenta, longe lateque horizontaliter ſerpens, ramoſa, prolifera.

Caules a prima ſtatim origine ad genicula ſquamis plurimis exalbidis, latis, concavis, modo obcordatis, modo magis ovatis teguntur; hi tres quatuorve pollices alti in latum diffunduntur ramoſi, folioſi, & nonnunquam manifeſtius craſſeſcunt, & anguloſi fiunt, aſcendendoque in petiolos & ſcapos ſolvuntur.

Sub ſingulo petiolo folioſo ſquamæ tales duæ ſunt, quæ & cauli & petiolo innaſcantur.

Petioli craſſi, leviter canaliculati, trianguli, quatuor, quinqueve, aut ſex foliorum paribus cum impare uno gaudent, quo etiam aliquando carent, & ſcapo maiores altius exſtant, quod tamen iterum variat.

Folia pallide viridia quaſi glaucefcentia, dorſo & margine villoſa, ovata ſunt vel ex ovatis acuta; cæterum multum venoſa, & nervo depreſſo aliquantulum conflexa, viciæ vix aliquam formam habent, & parva non ſunt, ſed ſatis lata.

Scapus, ſi unicus quaſi ſubradicatus, ſi plures, tum ex alis folioſis educuntur, ſunt omnes firmi, craſſi, anguloſi, leni villo obſiti, duos ad ſummum tres pollices alti, plerumque inter bracteas concavas pubeſcentes, florum racemum ſuſtinent brevibus pedicellis, nigris pilis obſitis imbricatim dependentem.

Bracteæ pedicellos ſuſtinent.

Calyx longus, ut in Aſtragalo *Cicere*, & nigris pilis etiam, ut in hoc obſitus, & ochroleucus, maculis inſuper leviter purpureis pictus, in quinque dentes ſectus confertioribus pilis nigris obſitos.

Floris ochroleuci partes fere æqualis ſunt longitudinis. Eſt etiam ubi flores albent magis.

Vexillum amplius tamen video dorſo multum flavum, primo incumbens dein margine reflexum, inſidens ſuprema ora emarginatum.

Alæ adſcendentes carinæ longitudine magis albent.

Carina albida eſt, & interne ab antheris croceis coloratur.

Stamen unum & novemfidum.

Germen longe pedicellatum, villoſum etiam nigris pilis.

Legumen longe pedicellatum, pedicello longitudine emarcidi calycis, ipſum inde fere triquetro ventricoſum inflatum deorſum magis complanatum deſcendit, ita tamen, ut una facie magis planum, altera elevato aggere elevatum ſit, quaſi moduli calcei formæ; cæterum hirſutum, rectum eſt, & anterius acuminatum, ſuturis non lateralibus, ſed medium legumen dividentibus in duas valvas naviculares ſine compreſſas, nullo ſepto diremptas, ſed unicam cavitatem formantes.

Semina reniformia.

Obſer-

Digitized by Google

Obſervatio. Plantæ noſtris in alpibus omnibus frequentiſſimæ, & quam omnium auſtriorum ſcriptorum in *Schneberg* collegeram primus, iconem dare viſum eſt, cum difficulter eruam ex aliorum ſcriptis.

LINNAEUS in prima ſpecierum editione ſolum phacas tres habuit, in nova editione eaque decima *Syſt. Nat.* novam *frigidam* adiecerat, quam iterum in ſecunda ſpecierum editione omiſit. Stirpium auſtriacarum enumerator facile perſpexit noſtram plantam phacam LINNAEI *alpinam* eſſe non poſſe, hinc noſtram *frigidam* vocavit hoc nomine LINNAEANO. *Phaca cauleſcens erecta glabra; leguminibus oblongis inflatis ſubpiloſis*, in eo diſtinctam ab *alpina*, quod hæc eſſet *leguminibus ſemiovatis.* Nunc vero, quanquam & noſtram, & Sibiricas, & Italicas iterum confundat LINNAEUS univerſali hac ſpecies omnes exigente definitione, *Phaca cauleſcens erecta glabra, leguminibus oblongis inflatis ſubpiloſis*, certum eſt, LINNAEUM noſtram Auſtriacam plantam nunquam vidiſſe, aut ſi viderit, male admodum aliis coniunxiſſe.

Primo quidem ne habitu quidem convenit *Aſtragaloidi elatiori ſupinæ glabrae foliis acutioribus* TILL. *Hort. piſ.* T. 14. F. 1. 2. minus adhuc aſtragaloidi elatiori erectæ, viciæ foliis; floribus luteis; ſiliquis pendulis AMM. *Ruth.* p. 111. Nro. 148. quas ſtirpes etiam botanico veroque iudicio ſeparat HALLERUS *Act. Helv.* T. V. alias enim ſi liceret, plantas habitu, floris colore, forma foliorum, fructus, coniungere in unum ſpeciem, ut fecit LINNAEUS, ſpecies LINNAEANAE ad medietatem reduci poſſent; ſed vide deſcriptionem, vide iconem, vide ob leviorem & fere nullam botanicam notam dividentem aſtragalum *cicer* a microphyllo &c.

Obſervatio II. Neque etiam ſolum id in huius plantæ legumine obſervare poſſum, ſuturam unam ad alteram apreſſam eſſe, quod quidem in univerſali familiæ charactere attulit LINNAEUS, de hac ſpeciatim edixit Enumerator, in eo veritas eſt, legumen pedicellatum eſſe, hinc hac parte attenuatum, ſtatim vero ventricoſum videri, ſutura una ab altera fugiente & quaſi in angulum extrorſum extenſa, ut pedem calypodio inſtructum fere referat; antrorſum magis complanatum iungi, & ibi ſuturam ſuperiorem verſus inferiorem depreſſam ſatis apparere & inferiorem ad ſuperiorem accedere.

Obſer-

Digitized by Google

Obſervatio III. Quod hæc ſtirps ad genicula vaginas late inſtar ochrearum veredariorum extantes gerat, ochreatam appellare libuit.

2) *Phaca montana.*

Phaca ſubacaulos procumbens hirſuta, ſcapum floribus erectis, leguminibus ovato-lanceolatis.

Phaca ſcapis petiolisque rubentibus, foliolis exiguis ovato-lanceolatis piloſis.

Phaca caule procumbente foliis ovato-lanceolatis. HALL. *Emend.* & *auct. Miſc. Taur.* T. 1.

Onobrychis IIII. CLUS. Hiſt. II. p. 240. icon commoda.

Onobrychis CLUSII IV. TABERN.

Aſtragalus quidam montanus vel Onobrychis aliis. I. B. *Hiſt.* II. RAY.

Aſtragalus montanus. LIN. & Diſcipul.

In alpium ſaxoſis culminibus non infrequens, ita reperitur in *Schneberg*, in *Breyn* &c. cum præcedente.

Radix prælonga fuſca multiceps, capitulis ſquamoſis folioſis & florigeris.

Caules humifuſi ex purpura colorati pubeſcentes emarcidas præcedentium annorum ſquamas habent, inde brevi ſpatio nudi iterum recentes ſquamas coloratas pubeſcentes aſſumunt, ex quibus petioli colorati pubeſcentes emergant.

Folia denſe congeſta flavicantia, exigua, ex ovatis argute acuminata carinata, margine ciliata & microſcopio tota piloſa, plurima, per paria fere ordinata ultimo impari minimo.

Scapi florales ex medio duorum petiolorum orti paginæ folioſæ longitudinem fere aſſequuntur, & hi colorati purpurei piloſi eriguntur, toti cæterum nudi. Racemus brevis eſt florum.

Flores ex rubro purpurei, erecti.

Calyx fuſce cæruleſcens & purpuraſcens piloſus pilis in baſi & apicibus, denticulis nigris medio albidis; adhæc exiguo pedicello piloſo hærens & bractea colorata piloſa brevi emarceſcente ſuffultus; denticuli calycis duo ſuperiores breviores, inferioribus tribus maioribus & fuſceſcentibus.

Vexillum ungue albido cæruleum venis profundius cæruleis pictum, emarginatum.

Alae iterum carina longiores profunde cæruleæ.

Stamina

Digitized by Google

Stamina omnia coalita vidi in vaginam in meis ſpeciminibus antheris aureis; dum vero nunc legumen conſpicerem, vidi ſtamen unum manifeſte ſolutum eſſe ab aliis novem coalitis ita, ut debeat dici ſtamen unum & novemfidum.

Legumen nondum ſatis maturum pedicellatum pilis nigricantibus undique hirſutum, dum eam excipis lineam cavam, ubi ſulcus eſt profundior imberbis, cæterum ovatum, inflatum, fine lanceolato ſtylifero acuminato, diſſectum, uniloculare fuit nullo ſepto diviſum, quod etiam HALLERUS confirmat in adultiori & tota adulta ſiliqua, quam omnino invenit abſque veſtigio bilocularis naturæ, loculoſque (ſi adeſſe videantur) non membranaceum adeo alicuius longitudinis ſeptum, ſed receptaculi contiguitas ad mediam ſuperioris convexitatis ſiliquæ ſedem elevati dividere vidit.

Obſervatio I. Aſtragalis hanc ſtirpem iam in prima editione intulerat LINNAEUS, quam etiam inter hos in ſecunda reliquit, imo erroneæ cooptationis ſponſorem Cl. JACQUIN adduxit, at illi viderint, an hanc plantam ita bene creaverint. HALLERUS primus ad phacas vere revocavit in *Emend.* & *auct. Miſcell. Taur.* T. I. p. 12. Ego ſubſcribo, dum in noſtris quidem aſtragalis ſepta duo invenio, etiam nunc in exteris, ut *galegeformi*, aliis intueor; in hac ſtirpe ne ſimplicis quidem rudimentum aut inchoamentum microſcopio video.

Obſervatio II. *Scapis folio longioribus* hanc plantam inter alia diſtinguendam propoſuerat LINNAEUS, noſtris in alpibus, ubi ingens huius vis eſt, videre poſſet ſæpe ſcapos coſta folioſa breviores, quod & in Hedyſaro *controverſo* verum eſt, ſiquidem humile valde & diffuſum frequenter inveniatur vix longitudine ſcapi apud HALLERUM delineati.

Obſervatio III. Scaporum nondum florentium capitula tota nigreſcunt hirſuta.

Digitized by Google

LEGUMINIBUS ARTICULATIS.

631. HEDYSARUM.

CHARACTER. *Calyx* 5-fidus. *Carina* apice transverſa. *Legumen* articulo uno vel pluribus diſceden-tibus.

1) *Hedyſarum onobrychis.*

Hedyſarum foliis pinnatis leguminibus monoſpermis, aculeatis, corollarum alis calyce brevioribus, caule elongato.
Onobrychis. DOD. *pempt.* 545. *bene.* CLUS. *eadem icon.* RIV. T. 2. *optima.*
Onobrychis folio viciæ, fructu echinato maior. C. B. *pin.* TOUR.
Onobrychis ſ. caput gallinaceum. RAI.

Ubique ad vias in vallo *Belveder*, in aſperis ſylvulæ *Simmering*, copioſiſſime in montanis apricis *Leopoldiberg*, qua parte Clauſtro Neoburgum ſpectat & alibi.

Radix perennis multiceps.

Caules in terram proſtrati diffuſi, folioſi, ramoſi, rotundi, ſtriati, colorati ſæpe, & hinc inde pube obſiti.

Genicula prima rara, dein pollicis ſolum diſtantia confertiora habent auriculas duas foliorum paginam & ſcapum cingentes.

Folia ovalia aut ex his elongata carinata carnoſa, pulchre venoſa, ut in Trifolio *montano* in fine recurvo, evidentiore ſpinula notata, dorſo leniter villoſa. Sunt vero foliorum pinnæ novem, plures paucioresve.

Pedunculi ex foliorum alis inter noſtrates longiſſimi, anguloſo-complanati, recti vel incurvi, inferne villoſi.

Spicæ florum plus minusve villoſæ, contortæ aut inflexæ pro floreſcentiæ ſpicæ parte.

Calyx exiguus hirſutus firmo fulcro nixus, bractea hirſuta ſuffultus emarceſcente 5. dentes habet ſatis conſpicuos patentes, ſubæquales, ſubulatos fere virides & margine piloſos.

Vexillum ſpectabile, reflexo compreſſum, ex carneo album, totum ſtriis & punctis ad latera ſanguineis percurſum, exiguo & duro canaliculato ungue inſtruitur; eſt hoc limbo emarginatum medio carinatum.

Alarum ſola adſunt utrimque rudimenta ſeu exiguæ particulæ laciniis calycis breviores

Carina

Carina eo evidentior, quæ ſe ſolam ſuſtineat, latior etiam & ſanguineis, non adeo tamen vividis, verum emorientibus lineis pingitur, in vomere vero herbacee coloratur. Carinæ ungues exigui denticulos diceres fiſſos fiſſura ad angulum carinæ continuata.

Legumen monoſpermum aculeatum, dentibus calycinis perſtantibus complexum.

Semen reniforme.

2) *Hedyſarum controverſum.*

Hedyſarum foliis pinnatis; ſtipulis vaginalibus; floribus racemoſis & leguminibus articulatis glabris, pendulis. T. II. F. 3. Legumen.

Aſtragalus caule erecto ramoſo; ſpica purpurea nitente terminato HALL. *Helv.* T. 14. non optima & fecit, ut LINNAEUS caule flexuoſo definiret.

Aſtragalus cauleſcens erectus ſtipulis vaginalibus. LINNAEI I. *ſpec. edit.* 5.

Hedyſarum *obſcurum* & *alpinum.* Eiusdem. *edit.* 2.

Hedyſarum alpinum ſiliqua levi. C. B. Ita HALLER ſed C. B. habet ſub nomine onobrychis ſemine clypeato lævi.

In paſcuis Schneberg ſummis cum phaca.

Radix horizonti parallela longiſſime, ut vix ſequi poſſis, ſerpens, rufeſcente, glabro tamen cortice tecta, teres, non craſſa, per intervalla multiceps in capitibus emarcidis fuſcisque ſquamis veſtita, quæ etiam iunioribus caulibus ſæpe adſint.

Caules modo unicus, modo plures, ſpithamæi, ſemipedales cum ſcapo pedales, id enim pro loco diverſum eſt. Hi inferne per geniculorum interſtitia vaginis cinguntur amplexicaulibus, aſcendendo ſemi amplexicaulibus, illa, ubi ſcapus educitur, latiſſima medio exſecta biaurita, omnes hæ vaginæ ex adverſo petiolorum folioſorum oriuntur, ſquallent, aliquando bifidæ, aliquando ariſtatæ. Poſt has vaginas alis folioſis inſtruuntur alternis tribus, quatuor cum axillari ſæpe, ſunt cæterum caules inter folia glabri, virides anguloſi.

Petioli folioſi incraſſato fere circa caulem principio orti erecti, firmi, leviter canaliculati, longi, folia gerunt pinnata ovato oblonga, ſuperne ſaturatius, inferne dilucidius viridia, inferne pulchre venoſa, pinnarum 7. 8. 9. paribus cum impari, fine modo acutiore, modo minus præditis & ſpernenda ſpinula terminatis.

Caulis floriger aut irradicatus ſcapus ex alis ortus modo ſolitarius, modo etiam unum axillarem adhuc inferiori loco ortum habet, hic fere ſemper aſcendendo firmior fit, rectus eſt ſtriatus hirſutus, modo palmam,

Digitized by Google

modo vix non ſpithamam, quod tamen rarum, altus, ſpicam florigeram copioſam ſpecioſamque gerit florum numeroſorum aliquando ad 18 aut cæruleorum aut ex purpurea cæruleſcentium aut læte purpureorum.

Bracteæ florales lanceolatæ pedicellos florum fulciunt, ſatis longæ ſunt, hirſutæ valde, brevi emarceſcentes.

Calyx ſæpiſſime calyculatus, una alterave adhuc lacinula ab eius baſi profecta, & ſupra illum applicata auctus, monophyllus, admodum hirſutus, lateribus leniter compreſſus, & dorſo ſæpe e purpura coloratus, in quinque dentes hirſutos virides craſſos ſatis ſolutus eſt, quorum ſuperiores duo ad ſe apicibus ſuis accedant

Vexillum primo incumbit lateribus dimiſſis, alis carinaque brevius; dein vero erigitur, latera reflexa compreſſaque gerens & ſupremum emarginatum marginem.

Alæ minima floris pars ſunt, vexillo tamen longiores, carina multo breviores, iuxta carinam exporrectæ.

Carina ſpectabilis, recta, compreſſa, extrorſum latior, obtuſa, ſuperne tota patens.

Stamen unum & novemfidum antheris profunde flavis.

Siliqua articulis ſubrotundis compreſſis, numero diverſis, margine membranaceis, venoſis, pube confertiſſima alba curtaque primo canis, idque in immaturis conſtanter video, dein minus dum maturæ ſunt, ultimo articulo fere maiore ſtylifero.

Et hæc quidem ex viginti exemplaribus omnibus recentibus deſcriptio eſt; invenio vero in adverſariis anni 1758. folia margine ſericeo eſſe, ſine ſpinula inermi reflexa; in illis 1760. nec ſericum nec manifeſtam ſpinulam fuiſſe. Conſtans eſt obſervatio pedicellorum & calycum pubeſcentium hirſutorum, non adeo certa leguminum; vidi enim in illis 1763. variæ longitudinis eſſe, modo ſolum duos articulos habere, modo tres ſemine unico in ſingulis fœtos, modo legumen longum non articulatum ſemina quatuor poſſidere, quinto ſolo particulari terminali articulo, qui etiam in dentem deſinat, incluſo-compreſſum legumen eſſe, venoſum, margine coſta membranacea roſea cinctum; Venas ad ſolem eſſe tranſparentes.

Obſervatio. Nec huius quidem plantæ facilis declaratio eſt, LINNAEO, ut ſolet, confuſionem iterum iniiciente, ut fere credam quod etiam

iam aliqui diſcipuli fatentur, videri huius quidem viri ſpecies ſolis aliorum inſcriptionibus, & exemplaribus ſiccis natas ſtare.

Inter methodicos primus aſtragalis ſtirpem hanc intulerat HALLERUS, quam, quoniam florem hedyſari habere perhibuerat, etiam aſtragalis cognomento Aſtragali *hedyſaroidis* intulit LINNAEUS. Neuter ſemen viderat. In nova editione *Syſt. Nat.* ut & illa *ſpecierum* candem ſtirpem Hedyſarum *obſcurum* vocavit ſincera, ut videtur, dictione, & adeam, quam is de planta haberet notionem, aptiſſima. HALLERUS vero in *Emendat. & auctuar. Miſcell. Taurinenſ.* T. I. p. 14. ita habet, iterum ex fructus ignoratione mihi & LINNAEO *Spec.* p. 756, & ante nos SCHEUCHZERO accidit, ut inter aſtragalos recenſeremus Hedyſarum *caule recto ramoſo foliis ovatis ſiliquis leviſſimis venoſis* „ adiiciens „Sibiricam plantam a ſua non eſſe diverſam fructu, flore, folio habitu„ ſcilicet Hedyſarum ſaxatile ſiliqua lævi, floribus purpureis. AMM. *Ruth.* N. 152. inutili & ſine deſcriptione nudo nomine, quod tamen LINNAEUS ab illa HALLERIANO ſepararat, & in ſynonimon Hedyſari *alpini* adaptaverat, non bene, cum in noſtra ſiliqua æque lævis, flores æque purpurei, planta etiam ſaxatilis eſſet; ſed quo fundamento LINNAEUS has ſeparet ſtirpes, nunc diſpiciendum.

Numeroſas omnino plantas & in hortum vivum & in ſiccum attuleram ex *Schneberg* in prima mea excurſione alpina 1758. alpinum civem ex alpino viro HALLERO ſtatim cognovi, unde etiam aſtragalum *Hedyſaroidem* LINN. cum tamen aſtragalis repugnaret, conveniret Hedyſaris, volui ad Hedyſara abſolute flectere & facile vidi Hedyſarum alpinum eſſe L. & certum eſt unam eandemque plantam a viro clariſſ. LINNAEO bis fuiſſe repetitam ſtantibus iis, quæ ille quidem adducit ſynonimis; cum enim Hedyſaro ſuo in *Schneberg* lecto nomen det Hedyſari *alpini* Enumerator *ſtirp. Auſtr.* LINNAEUS eum citet ſub nomine Hedyſari *alpini* ea vero mea ſit nunc a me exactius deſcripta ſtirps, & ea etiam illa HALLERI, quam LINNAEUS Hedyſarum *obſcurum* vocet, patet convictio. Ea nunc ratio eſt, quare aut *alpini* nomen Hedyſari aut illud evitarim *obſcuri*, illudque indiderim *controverſi*.

Neque etiam in definitionibus ſpecificis LINNAEI, ullam eruas, qua a ſe invicem plantæ repellantur, ſpecificam differentiam; alpinum quidem ſuum *foliis pinnatis, leguminibus articulatis glabris, cauleque erecto* indigitat,

digitat, quæ ex aſſe meo hedyſaro conveniunt; *obſcurum* vero ſuum dicit eſſe *foliis pinnatis; ſtipulis vaginalibus; caule erecto flexuoſo floribus racemoſis pendulis*, quæ æque meam plantam adumbrant, ut priora omnia. Et ſemper incorrigibilis eſt LINNAEUS, nec audit nec videt, quod Enumerator *ſtirp. Agri. Vindob.* ſcribat & dicat ſtipulas, quæ infra folia habentur ſubimbricatas & vaginantes eſſe in Hedyſaro alpino, eſſe etiam floribus racemoſis pendulis & foliis pinnatis „ut igitur omnia conſentiant præter caulem flexuoſum erectum, de quo HALLERUS nihil memoriæ prodidit, ut ſi *ly* flexuoſum apud LINNAEUM tanti ſit, & ſynonimon HALLERI expungendum illi veniat, ſedeat Hedyſarum LINNAEI *obſcurum* in multa obſcuritate obſcurum & ſolum, novamque tunc phacæ auſtriacæ ſpeciem excitandam habet *ill.* Vir, quia & unum exemplar poſſideo flexuoſi caulis. Sed an demum non eſt ridiculum clariſſimum cæterum virum & de re botanica immenſe meritum, eo procedere ſuperbiæ, ut a nemine velit doceri & naturam ipſe creare?

Ultimo demum male etiam ut varietatem Hedyſari alpini citat Onobrychin ſemine clypeato lævi C. B. quæ 2. eſt in *prodromo*, cum noſtra planta ſit, cum in numeroſis exemplaribus caulem modo breviorem, modo longiorem viderim, flores modo plures, modo pauciores, flores etiam modo minus magnos, modo aliquantulum plus; calyx vero in omnibus pubeſcebat, licet non monuerit Enumerator.

Obſervatio II. HALLERUS in duabus definitionibus caulem ſemper ramoſum dicit, quem ipſe tamen ſimplicem pinxit, ego frequentiſſime vidi. Habet ſe ramoſitas huius ſtirpis ut phacæ *auſtriacæ*, in locis etenim altioribus vides ſimplicem, in aliis ramoſum, & ſecundus ramus æque ſemina perficit ut primus, cuius contrarium in Enumeratione exſtat, nec mirum.

3) *Hedyſarum humile.*
Hedyſarum foliis pinnatis; leguminibus monoſpermis articulatis aſperis; corollæ alis obſoletis: ſpicis hirſutis, caulibus depreſſis.

In agrorum marginibus creſcere relatum eſt in Enumerat. alii non inveniunt.

635. HIP-

635. HIPPOCREPIS.

CHARACTER. *Calyx* 5-dentatus. *Legumen* aliqua ferri equini forma, incurvum, ſutura inferiore ſinuatum.

1) *Hippocrepis comoſa.*
Hippocrepis leguminibus pedunculatis, confertis, margine exteriore repandis.
Ferrum equinum germanicum, ſiliquis in ſummitate. C. B. *pin.* 346. GARID. icon 33.
Ferrum equinum comoſum ſ. capitatum. COLUM. *Ecphr.* 1. p. 302. T. 301. MOR. II. ſect. 2. T. 10. F. 3. RIV. T. 97.

In pratis alpinis frequentiſſima, nec facile alibi.

Habitus coronillæ. Flos in umbella. Legumen diverſum.

Radix nigra ligneſcens.

Caules in terram proſtrati, ex ſingulis geniculis aut ramoſi, aut folioſi, ad genicula ſtipulas duas pro fulcro habent, quæ marceſcentes incraſſatis ſimul geniculis, caulem & ramos nodoſos reddant. Cæterum rotundi ſunt, non ſtriati, per terram diffuſi, non longi, vix pedem ſuperantes.

Folia in longo canaliculato petiolo ſtipulis fulcrato duobus, plurima, pinnata, foliolis ovatis, aliquantulum complicatis glabris, margine extremo in adultioribus magis retuſis; & ſpinula revoluta inſtructis, in iunioribus exactius ovatis: pinnarum paribus 6. 7. pluribus cum impari.

Pedunculi herbacei, longi, ſtriati, aphylli, coronam florum ſuſtinent, flavorum, quam in coronillis longe minorum.

Calyx exiguo pedicello ſuffultus ex viridibus punctis ſerpentatus breviſſimus, compreſſus, bipartitus: labio vexilli breviter bifido: carinæ tridentato dentibus minoribus.

Corolla vexilli ungue a carina remoto aliquantulum viridante, limbo alis aliquantulum longiore, ſtriato, reflexo.

Alæ ſurſum conniventes & extrorſum carinam complectentes, carina longiores, ad ungues fere filiformes trochantere inſtruuntur.

Carina ſurſum adſcendens, inferne hiat.

Stamen unum & novemfidum.

632. CO-

Digitized by Google

632. CORONILLA.

CHARACTER. *Calyx* vix bilabiatus denticulis ſuperioribus duobus fere connatis approximatis. *Legumen* longiſſimum ad ſingula ſemina, contractum.

1) *Coronilla Emerus.*
Coronilla fruticoſa pedunculis ſubtrifloris, corollarum unguibus calyce duplo longioribus.
Colutea elatior. CLUS. *Hiſt.* p. 97.
Colutea ſcorpioides. CAM. *Epitome icon.* p. 541. *optima.*
Emerus. TOUR. SCHEUCHZ.
Coronilla maior. RIV. T. 97.

In cædua ſylva *Dornbach. Pötleinstorff. Grinzing. Caltenberg* &c.

Fruticoſa planta hominis quandoque ſtaturæ, quandoque etiam humifuſa, vix ſpithamea.

Caules multi, admodum ramoſi, rotundi, non anguloſi in illis, quas nunc examino: adulti corticem in diverſis locis fiſſum emarcidumque poſſident: iuniores læte viridem tempore findendum & lignoſa lepra fœdandum; tenuiores vero rami omnes anguloſi ſunt, ut ex ramis potius, quam caule LINNAEI de hac ſtirpe verificetur propoſitio *caule angulato.*

Petioli omnes ſtipulis obſcura purpura tinctis ad caulem ornantur. Hi interne ſplendentes leviter carinati pinnarum folioſarum quatuor paria cum impari fere conſtanter educunt.

Folia ex acutis ovata, nervo exarata ſine ſpinula, ſuperne herbacee viridia, inferne albida, & pulpoſa facile vitiantur. Cæterum ad petioli carinam conflexa magis ſunt, quam ad eius dorſum.

Pedunculi inter petiolorum auriculas egreſſi ala folioſa longiores, ſubtriflori.

Calyx obſcure bilabiatus denticulis 5 obtuſis ſuperioribus minori intervallo diſtantibus, ut LINNAEUS connatos viderit forte, ut ego in *Cytiſis*: inferioribus maioribus & carinam & alam complectentibus.

Vexilli unguis cartilagineus rectus longus a carina diſtans elevatus. Ipſum vexillum vix alis longius, in initio his ſuperpoſitum, dein reflexum emarginatum, interne lineis exaratum.

Alarum

Alarum recti ſupra carinam ungues. Ipſæ ſurſum elevatæ, latæ ſatis arcum carinæ non tegunt, carina tamen longiores.

Flos totus flavus eſt.

Legumen longum plus minusve incurvum, falcatum, iſthmis interceptum, & tamen a coronilla non ſolum genere, ſed ſectione etiam ſeparat ADANSONUS, ſed quis huius Viri innovationes capiet?

Obſervatio I. Corollarum ungue triplo longiore poſuerat LINNAEUS, van ROYEN *duplo* poni debere iam monuerat, ſed LINNAEUS non auſcultavit.

Obſervatio II. Vidi uno anno ter florentem hunc fruticem & vexilli poſticam partem ſtria ſanguinea ſpectabili frequentiſſime pingi.

2) *Coronilla coronata.*

Coronilla foliis novenis obovatis: foliolis intimis cauli approximatis, ſtipulis oppoſitifoliis bipartitis, ſiliquis pendulis.

Coronilla caule duriori erecto, ſiliquis articulatis pendulis, flore luteo. HALL. *iam dudum. Helv.* p. 574.

Colutea ſcorpioides altera. CLUS. *hiſt.* I. p. 98.

Colutea ſiliquoſa minor coronata C. B. *pin.* MOR. RAY.

Coronilla montana. RIV. T. 95. *optima, ſiliquæ dependentes, caulis ſtrictus ad genicula inflexus.*

In *Leopoldiberg*, in montibus *Badenſibus* inter ſaxa copioſe & alibi, ad exitum ſylvulæ montanæ *Grinzing*.

Radix dura lignea flava.

Caules multi erecti virgati, duri, leviter anguloſi, inferne ſæpe rubentes & nudi, ſuperne vero glauco rore obducti quaſi. Cæterum vel ſimplices, vel ramoſi, cubitales, brachiales.

Folia ut in aliis carnoſa, glauca, glabra, extremo impare pinnata, 5. communiter, aliquando tamen 6, 7 parium: ſuprema foliorum parte variante: modo reſecta, modo integra rotunda & ſemper cum denticulo.

Petioli craſſi planiuſcule canaliculati, caulis angulis ſuſtentati ex oppoſita plerumque parte, rarius vero laterali, auriculas habent ſatis ſpectabiles folioſas, ſæpe bifidas, diverſas quam in Coronillis, aut *Emero*, aut *varia*.

 Scapi

Digitized by Google

Scapi alis folioſis longiores multo, erecti, rigidi, glauci, flores ſuſtinent pulchros, luteos capitatos ſuis pedicellis coloratis, qui illis *Emeri* longiores ſint, pendulos, & quaſi in medio aliquando calvos, fœtidos.

Calyx exiguus durus viridis bilabiatus: labio ſuperiore bidentato dentibus approximato divergentibus: inferiore tridentato dentibus diſtantibus.

Vexillum arcuato ungue a carina ſoluto & calyce coercito carinæ inſidet, id iam in media carinæ longitudine erectum, medio carinatum & emarginatum lateribus reflexis.

Alæ ampliſſimæ, vexillo & carina maiores, inſtar tecti incumbentes.

Carina ex arcu aſcendens.

Stamina connata.

Legumen longum pendulum.

Obſervatio I. Botanicorum recentiorum nemo hanc plantam ſufficienter examinaverat ante HALLERUM, is Coronillæ ſuæ ſpeciem quartam fecerat. LINNAEUS ſuis in ſpeciebus omiſerat, nunc addidit, neſcio an huius, aut alterius viri auctoritate motus.

Obſervatio II. Legumina pendula ſunt. Caulis non teres, durior, ſubfruticoſus.

3) *Coronilla varia.*

Coronilla herbacea leguminibus teretibus toroſis, numeroſis, folioſis, plurimis glabris.

Coronilla herbacea ſiliquis articulatis pendulis (erectis habet LINNAEUS) flore ſuave rubente. HALL. *Helv.* 574. ex *ſynonimis.*

Coronilla flore vario. RIV. T. 96. *optima.*

Ubique in ſepibus ad vinearum margines per totam Auſtriam in aſperis.

Radix ad tædium ſerpens undique vagatur.

Caules flexuoſi, ramoſi, ſtriati, anguloſi, ſæpe purpura colorati herbacei non ſine artificio ſeſe mutuo ſuſtinentes, cæterum proſtrati.

Petioli auriculis evidentioribus & a caule reflexis donantur. Pinnæ foliorum plurimæ & folia fere exſectionem in fine habent cum denticulo, cæterum pulpoſa glabra.

Pedun-

Pedunculi alis foliofis, quibus egrediuntur, maiores ſtriati anguloſi & quaſi ſubvilloſi caput florum ſuſtinent ex albo rubrorum ſ. variegatorum.

Calyx ut in *Emero* obſcure & vix bilabiatus denticulis iisdem & eodem modo diſpoſitis.

Vexilli unguis parvus arcuatus. Vexillum reflexis lateribus quaſi quadratum & inferius & anterius lineis purpureis pictum.

Alæ ampliſſimæ ſunt parvo ungue præditæ.

Carinæ apex conſtanter atro-purpureus.

Legumen pendulum.

Obſervatio. In charactere generico huius generis dentes calycis tres inferiores minores eſſe, quod nec in hac, nec in *Emero*, minus in *coronata* obſervavi; ſunt etiam ſuperiores ut in *Emero.*

636. MEDICAGO.

CHARACTER. *Calyx* 5-fidus. Legumen reniforme, arcuatum ſ. cochleatum membranaceo-compreſſum.

1) *Medicago Lupulina.*
Medicago floribus racemoſis ovalibus; leguminibus reniformibus monoſpermis; caule procumbente.
Melilotus minima RIV. T. 8. icon commoda plantæ maioris.
Trifolium pratenſe luteum capitulo breviore. C. B. *pin.*

Ubique in pratis etiam ad vias frequens.

Caulis admodum ramoſus ramis cum caule proſtratis, plus minusve longis pedalibus & ultra, anguloſi ſubvilloſi glauci.

Vaginæ petiolares exiguæ ariſtatæ, ſerratæ, inter quas longi ſatis petioli parum carinati ſubvilloſi tria ſuſtineant folia.

Folia ternata aut ovata, aut late cordiformia, aut obtuſe quadrangula, ſuperne triſte viridia, inferne glauca, hirſuta, mollia, ſuperne circumſerrata.

Pedunculi petiolorum naturæ fere firmiores, tamen non carinati ſpicam ovalem gerunt florum minimorum luteolorum.

Fructus, in racemum ovatum congeſtus, conſtat leguminibus reniformibus hirſutis, ſtriatis, rugoſis.

Digitized by Google

2) *Medicago ſativa.*
Medicago floribus racemoſis ſpicatis; leguminibus contortis; caule erecto glabro.
Medica legitima. CLUS. II. 242. icon feminis bene.
Medica ſativa. MOR. II. T. 16. ſect. 2. F. 2. ſemen bene.
Medica ſativa flore violaceo. GESN. *coll.*

In ſylvis cæduis apricis paſſim.

Variat ſtatura planta, vidi etiam hominis aſſequi.

Caulis firmus rectus, admodum ramoſus ramis erectis quadrangulis cavis.

Vaginæ exiguæ circumdentatæ abſcedunt in longos dentes apice filiformes; inter hos petioli craſſi firmi carinati gerunt folia.

Folia ternata pene ovata, utrimque acutiora, ſupra medietatem circumſerrata nervo dentato, ſuperne profunde, inferne dilutius viridia vix villoſa.

Pedunculi firmi erecti longi ſpicam florum ſuſtinent violaceorum pro gente ſpectabilium.

Calyx tubulatus ſtriatus in longos dentes virides viridis ſolvitur.

Vexillum carina alis longius, erectum, emarginatum, venis pictum ſaturatioribus.

Alæ carina longiores & eam anterius concludentes ſuperne patent & limbo aliquando ſectæ ſunt; cæterum eæ valde latæ ſunt.

Carina dilutioris ſæpe coloris.

Siliqua cochleata bis terve circumgyrata, leviter pubeſcens, calyce cœpta.

3) *Medicago* falcata.
Medicago pedunculis racemoſis, leguminibus lunatis; caule proſtrato.
Medica flavo flore CLUSII hiſt. II. p. 243.
Trifolium ſylveſtre luteum, ſiliqua cornuta C. B. *pin.* 330.
Falcata RIV. T. 84.

Vulgaris ad ſemitas, ſepes. 4.

Sliqua ſemilunaris lata magna.

4) *Medicago polymorpha minima.*
Medicago leguminibus cochleatis, aculeis uncinatis alternis, ſtipulis integris.
Cochleata echinata minima. RIV. T. 68.

Medica

Medica cochleata polycarpos annua capſula minima rotunda. MOR. II. p. 144. T. 15. n. 20.

In ſiccis pratenſibus etiam lapidoſis montoſis *Baden*, *Rodaun*.

Folia parva glauce caneſcentia cordiformia.

Auriculæ non laciniatæ.

Caules pubeſcentes.

Siliqua ſpira multiplici echinata, rotunda.

Alias varietates, quas adhuc plures habemus, omitto.

HABITUS DELIQUESCENTIS.

653. FUMARIA.

CHARACTER. *Calyx* ſubdiphyllus. *Corolla* inter ringentem & papilionaceam media. *Machina ſtaminifera* conus per axim ſectus. *Stamina* 6. ſingulo cono tria. Lucerna involvens partes fructificationis.

1) *Fumaria bulboſa.*

Fumaria caule ſimplici, bracteis coloratis longitudine florum calyce ſtipulante.

a. Fumaria bulboſa radice cava maior. C. B. flore purpuraſcente. I. B. TOURN.
Fumaria altera. CAM *epit.* 891. *optime.*
Radix cava maior. CLUS. *Hiſt.* 271.
Pſeudo-Fumaria. RIV. T. 72. *bene.*

b. Fumaria bulboſa radice non cava maior & minor. C. B. viridi aut albente flore. BOERH. LOB. MOR.

In nemoribus ad pontem *Maria Brun* ad Hideldorff, in inſulis danubialibus & alibi.

Radix rotundo-compreſſum tuber, cavum, flavum.

Caulis unicus profunde in terram demerſus, levis, complanatus, anguloſus & albus ſupra terram emergit aphyllus, aliqua inde altitudine petiolos exſerit duos carnoſos admodum, quaſi de ſubſtantia caulis factos, maxime cum is dein craſſitie decreſcat. Hi longi ſubſulcati in minores folvuntur folia ſuſtinentes.

Folia lata, latæ circumſcriptionis Liguſtici Umbelliferæ plantæ ſimilia, ſubglauca tenera, nervoſa nervis poſtica facie purpuratis, ut tota ora

 folii

Digitized by Google

ſolii ſubpurpuraſcente. Folia modo in tres lacinias ſecta, modo in plures, lateralibus adhuc diviſis diſſectisque, media ſegmento medio latiore.

Scapus ex his folioſis brachiis emergens ſubanguloſus, carnoſus, purpura coloratus ſuſtinet laxum ſatis racemum floralem 12, 14, & ultra florum.

Bracteæ latæ ex viridi purpura obſcuræ ſeu ſaturatiores nervos, tranſparentes habent & floribus perpetuo longiores ſunt; prima bractea plerumque petiolo nixa tribus conſtat foliolis & his adhuc laciniatis aliæ ſeſſiles ſimplices ſunt & latæ.

Flores exiguo pedunculo colorato nixi, quaſi ſeſſiles ſunt, plus minusve purpuraſcentes.

Calyx vix ullus & loco huius, ut in viciis, coloratæ ſtipulæ dentatæ, quæ corollæ labium inferius ad ſuperius firment.

Corolla ringens molendinacea, petalorum auriculis quatuor, tanquam totidem molendinæ alis: labium ſuperius ex calcare conflexo ad pedunculum Papilionacearum more ſurſum fertur, vexillumque erigit in medio emarginatum, lateribus reflexis pulchre purpureum: labium inferius ſtatim ex pedunculo emergens ventricoſum coanguſtatur, dein vero, nova cavitate facta, pro ſingulari carina etiam dilatatur in ſpeciem vexilli inverſi, pariter emarginati, cuius auriculæ pateant, aliquantulum ſurſum conflexæ ſunt, etiam hæ pulchre purpureæ, dum cavitatis decolores albent. Eſt adhuc notandum, auriculas labii inferioris in flore non bene aperto ſuperioribus appreſſas eſſe & tunc quaſi alas æmulari.

Carina ſingularis nemini bene dicta, quod enim de nectariis LINNAEUS ſemper ſomniat, non intelligitur; eſt vero particularis machina cava inſtar veſicæ, alata, etiam molendinacea, alis lateralibus latiſſimis membranaceis non adeo diſſimilis cicadæ laternariæ, hæc utrimque fiſſa eſt, reconditque partes fructificationis ſumma cohærente fornice.

Stamina ſex, quorum tria ſemper una membrana pyramidali cava nitantur, hæc minima, antheris non longiora albida, antheris flavis oblongis.

Machina Staminifera duplex dimidiatus conus cavus, membrana albo-viridi conflatus & ſolidiuſculo viridi incurvo & aſſurgenti acuminato germini applicatus, quorum ſingulus in ſummitate tria edat filamenta; baſis ſuperioris dimidiati coni radicatur in petalo ſuperioris baſis vero inferioris pedunculo.

Stigma

Stigma quaſi ex orbiculato cordiforme compreſſum.
Silicula pendens, nodoſa ventricoſa.
Semina nigra ſplendentia vitreæ ſuperficiei, fere reniformia.

Obſervatio. In varietate b nullam inveni præter colorem differentiam & illam radicis.

652. POLYGALA.

CHARACTER. *Flos* mirus. *Calyx* triphyllus. *Corolla* inter ringentem & papilionaceam media, magis tamen papilionacea. *Alæ* duæ. *Vexillum* ex tubulato patens, reflexum bifidum. *Carina* apice ventricoſa, aliquando criſtata. *Stamina* 8. connata.

Criſtatæ

1) *Polygala vulgaris.*
Polygala floribus racemoſis, caulibus herbaceis ſimplicibus procumbenti-erectis; foliis lanceolatis.
Polygala vulgaris maior I. CLUS. I. p. 324. icon commoda. VAILL. *Bot.* 161. T. 32. F. 1. optima.
Polygala vulgaris L. & monſpeliaca Eiusdem.

In pratis, paſcuis ſiccis, etiam montibus & declivioribus ſylvis.

Variat multum ſtatura, foliis, floris colore albo, purpureo, cæruleo.

Caulis modo unus, modo plures, ſpithamam, pedem unum, in ſylvis aliquando duos altus, ſimplex, aliquando ramoſus, virgatus, ex inclinato-erectus, inferne folioſus.

Folia varia aliquando linearia, ſæpe latiora, ſemper lanceolata, exiguo petiolo nixa, fere ſeſſilia, viridia lateribus fere reflexis nervo medio eminente, fere buxina craſſitie.

Spica florum longa. Vidi pedis unius in ſylvis.

Flos familiæ mirus, calyce triphyllo.

Alæ ſubovatæ coloratæ medio nervo percurſæ, planæ, maiores dependentes, extra alias corollæ partes poſitæ, perſiſtentes, tuncque colorem mutant, pallide virides fructum tegunt.

Tubus

Digitized by Google

Tubus oblongus cylindraceus ſuperne in vexillum figuratur bifidum, ſuper ſe plicatum.

Carina concava compreſſa ſuperne ventricoſa in barbam penicilliformem aut fimbriatam concedit.

Filamenta omnia in tubum connata, cui antheræ octo inſiſtant.

Fructus thlaſpideus.

Obſervatio. Polygalam monſpeliacam, quæ in montoſis Mödlingenſibus provenit & quam tum Enumeratio, tum Elenchus omiſerunt, non ſeparo a priori vulgari, etſi caulis ſtrictus magis & flores coloris obſoleti carneis lineis variegati & folia lanceolato-linearia, alias enim adhuc nova ſpecies ſylveſtris fieri deberet.

2) *Polygala amarella.*

Polygala foliis circa radicem ſparſis obovatis magnis.

Amarella GESN. *Epiſt.*

Polygala vulgaris foliis circa radicem rotundioribus, flore cæruleo, ſapore admodum amaro. C. B. *pin.*

Polygala minor foliis circa radicem rotundioribus. VAILL. *Bot.* &

Polygala buxi minoris folio flore cæruleo T. XXXII. F. 2.

Vulgatiſſima apud nos in paſcuis ſiccis, etiam in pratis, in *Augarten*, *Brader*, ſed etiam in alpes aſcendit, ubi longe lætior.

Radix lignea, fibroſa, tenuis non longa, cuius caput foliorum firmorum obovatorum & magnorum ceſpite quaſi veſtitur.

Caules ex multicipiti radice plures ſubereсti, primo folioſi, foliis alternis ſeſſilibus ellipticis, radicalibus nulla ratione comparandis induuntur, dein vero florum in alpibus læte cæruleorum, aliquando tamen etiam ex cæruleo & albo variegatorum, denſo racemo cinguntur.

Flos familiæ mirus pedunculatus, ut præcedens, pedunculo itidem colorato.

Alia prioris ſunt.

Obſervatio. Hanc plantam primus vindicavit ex recentioribus HALLERUS optima hac definitione.

Polygala foliis imis ſubrotundis, ſuperioribus anguſtis, acutis.

LINNAEUS, etſi moneretur icone VAILLANTII plurimorumque botanicorum nominibus, neglexerat tamen; ſane diſtincta magis eſt a *vulgari*, quam *monſpeliaca*.

3) *Poly-*

3) *Polygala auſtriaca* * *Enumerat.* * *Elench.*

Polygala caule herbaceo ramoſo, panicula ſparſa nutante. T. II. F. 4.
An?
Polygala ramoſa, anguſto prælongo folio, flore cæruleo pulcherrime fimbriato, ex diario Meſſerſchmidt, AMM. Ruth. Nro. 45.

In pratis ſylvaticis udis circa *Neoſtadium* inveni iam anno 1759.

Radix tenuis ramoſa, fibroſa, multiceps.

Caules aliquot, vel iam ex infimis geniculis ramoſi, vel ſupra medium ſolum in ramos ſoluti ramis aliquando adhuc ramoſis; hi cæterum virgati, folioſi, graciles, virides, erecti, paniculati: panicula ſparſa nutante, ebracteata, medium pedem alti.

Foliorum circa radicis caput ovatorum ceſpes, vulgaris polygalæ magnitudine ſimilium. Caules, rami, imo pedunculi (nam & hi lineari-lanceolata habent) longis, ex ellipticis lanceolatis inſtruuntur foliis, haud linearibus, ſed pro plantulæ portione ſatis latis.

Flos familiæ mirus, ſed omnium minimus albus.

Silicula familiæ aliquando purpura perfuſa.

Obſervatio. Non potui componere aut cum paniculata, aut Sibirica.

4) *Polygala Chamæbuxus.*

Polygala floribus criſtatis inter folia ſparſis: carina apice ventricoſa, caule ſuffruticoſo.
Polygala floribus criſtatis, carina calycisque folio longiſſimo ventricoſis.
An polygala chamæbuxus LINNAEI?
Anonimos flore coluteæ CLUS. I. p. 165. icon bona.

In monte *Mödling*, ubi diruta arx eſt, ſtatim retro molendinam, & alibi.

Radices ſerpentes, exiguæ, rotundæ, fibroſæ.

Caules virgati, ramoſi, ramis aliquando ramoſis ſerpentibus, fere erecti, exigui, ſuffruticoſi, nudi, in extremitate ſolum folioſi, purpura colorati; qui his ſuccreſcunt virides, fructificant, & fere ſoli eriguntur.

Folia alterna diverſæ figuræ, modo lanceolata magis, modo magis ovata craſſa buxi nervulo ſpinulam ſemper educente.

Flores ſolitarii inter folia ſparſi rari, quandoque tamen in vertice congeſti, quaſi eſſent capitati, quod tamen rarius obvenit, modo ſolitarii, modo ex uno eodemque pedunculo per paria egrediuntur.

Pedunculi incraſſati colorati, ubi pedicelli virides inarticulantur, excavati & ſquamula pedicellos ſuſtinente inſtructi.

Digitized by Google

Calyx triphyllos, duobus foliolis ovato-acutis, ſeſe inferne tegentibus, ſuperiori unico longiſſimo, ventricoſo & quaſi calcar mentiente.

Flos familiæ mirus, ſed carina concava canaliculata alba tubam tota longitudine tegit, & in machinam, quam apice ſuſtinet, deducit; eſt hæc machina (ſeu carinæ apex) ventricoſa, criſtata, criſtis reflectis, primo flava, dum vitiatur purpurea.

Tuba longiſſima dum hanc machinam intrat, abit in craſſiorem & clavatum incurvatumque canalem, cui filamenta octo, baſi connata, circumnaſcuntur.

Capſula familiæ.

Obſervatio. Mirum in modum ſe torquet LINNAEUS, ut hanc ſtirpem inter imberbes & non criſtatas reponat, etiam hic loci aliorum auctoritate utens, ſed contra notas a natura impreſſas fruſtra pugnant.

INDEX GENERUM.

PAPILIONACEARUM PLANTARUM FASCICVLI QUINTI.

Anthyllis	pag. 370	Lathyrus	378
Aſtragalus	413	Lotus	399
Coronilla	430	Medicago	433
Cytiſus	394	Ononis	369
Ervum	403	Orobus	372
Fumaria	435	Phaca	419
Geniſta	364	Polygala	437
Hedyſarum	424	Trifolium	404
Hippocrepis	429	Vicia	384

STIR-

STIRPIUM AUSTRIACARUM

PARS II

FASCICULUS SEXTUS

Digitized by Google

Digitized by Google


HENRICI IOA. NEPOM. CRANTZ

S. C. A. MAIESTATIS CONSILIARII, INSTITVTIONVM MED. ET MATERIAE MEDICAE VINDOBONENSIS PROFESSORIS PVB. ORD. ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. ET SOCIETAT. BOTANIC. FLORENTIN. LITTER. ROBORET. SODALIS.

STIRPIVM AVSTRIACARVM

FASCICVLI VI

EDITIO PRIMA



CVM FIGVRIS AENEIS

IMPENSIS IOANNIS PAVLI KRAVS
BIBLIOPOLAE VIENN.
MDCCLXIX

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRI

ALBERTO v. HALLER

PRAESIDI SOCIETATIS REG. SCIENT. GOETTINGENSIS ETC.

FLORVM AVSTRIORVM SEXTVM FASCICVLVM

CONSECRAT

H. CRANTZ.

Digitized by Google

DE

ORCHIDUM ORDINE, GENERIBUS
DISCURSUS.

Quæ ſit diſtincta a natura pluribus ſtirpibus impreſſi ſigilli vis atque poteſtas, botanicorum neminem, qui claſſes naturales obiter ſolum conſiderat, latere poteſt; hæc vero, etſi in aliis non obſcure pateat ordinibus, in illo orchidum ſane æque conſpicua, gravis & decretoria eſt, dum facillime quælibet huius tribus planta ex nota fronti impreſſa ad ſua vexilla redit; ergo etiam iam a prima botanicæ ſyſtematicæ origine, conſtitui facile Orchidum ordo potuit, quem in hodiernam diem nemo aut mutavit, aut invertit.

„Gentis nempe (ut verbis HALLERI utar) character, definitur ab „habitu monocotyledone, foliis ſemper integris, ſemper a nervis ſibi „& oræ folii parallelis, a fructu uniloculari, tribus latioribus carinis „facto, tribusque peranguſtis valvis, a valvarum in maturo fructu diſceſ„ſu, & a foraminibus inter eas carinas natis, per quæ ſemen ſcobis ſi„mile defluit, ab eius ſcobis ſeminalis ad medias cavas carinas adhæſio„ne, a flore fructui innato, plerumque hexapetalo, & quinque plerum„que petalis ſimplicibus, ſexto maiori, & multiformi. Sed etiam ſta„mina ſemper duo, & eminenti utcunque colliculo adnata ſunt, qui „pro tuba eſt, & in quo via reperitur, quæ ad ovarium ducere videtur. „Hic modus, quo ſtamina cum tubis uniuntur, fecit, ut Gynandras Ill. „vir, Eques LINNAEUS has ſtirpes claſſico nomine dixerit.

Non eadem generum felicitas fuit; & hæc a TOURNEFORTIO ad nos usque, aliter & aliter, tum ex radicibus, tum ex calcare, tum ex barba, aut floris figura a diverſis artificibus ordinata diſtributaque fuere; nec valuit Illuſtris vir, Eques LINNAEUS, qui novo omnino labore & animo hoc conficere penſum in Actis Upſalienſibus anni 1740. adlaboravit, hæc eadem firmare, dum ipſo celeberrimo HALLERO teſte: „a clariſſimo hocce botanico ſuſceptus labor omnino non ita reſpon„derit, ut vel ſibi ipſe *Cl.* Vir placuerit, vel naturæ vocem nobis tra„diderit.

Digitized by Google

Tandem egregius HALLERVS ſeriam operi mentem attulit, totumque penſum illico ad amuſſim exegit, dum ſolum curioſiori oculo eas, quas antea plerumque neglexerat, & LINNAEUS adeo amaret partes, luſtraret, atque tum facillime vidit, etiam eum modum, quo antheræ tubis inſiderent, diverſum eſſe, eſſe etiam aliter conſtructas in diverſis tubas, has igitur partes non tam claſſicæ denominationi Gynandrarum, quæ cæterum evidentius illa Orchidum proponeretur, impendendas eſſe, ſed in Generum differentias ſolas inſumendas venire, luculento commonſtrans exemplo, adhuc BURCHARDOS eſſe, qui ſexum plantarum, & verum huius uſum definire poſſent, ſolumque LINNAEUM facillimam rem ſexualis fori exigere non potuiſſe, dum, quæ dandæ erant generum differentiæ partes, ſemper diſpoſitioni methodicæ daret ſyſtematice, ut faceret cohærenter.

Egregii HALLERI obſervationes in iis omnibus, quas quidem nos poſſidemus, Orchideis plantis repetii, ordinem, & genera ab eo commode conſtituta & facillima inveni, determinare ſpecies potui, quas ex proprio prototypo ne LINNAEUS quidem, ſi veritatem perhibere tandem velit, valuit, quarum omnium rerum luculentiſſima cum in ipſo habeatur HALLERO tum exacta Claſſis & Generum explicatio, huc lubet ea, quæ in hanc cauſam faciant, tranſcribere omnia.

„Denique celeberrimus LINNAEUS, evidentiſſimus earum difficulta„tum teſtis, quas præmiſi, ſæpius aliter, & aliter orchideas ſtirpes par„titus eſt. Neque in *prima editione characterum naturalium* Orchidem de„finit a labello bifido (Nectarium vocat, quod eius principium in fo„veam deprimatur). Porro calcar conicum, antheras tectas duplicatu„ra biloculari nectarii orchidi tribuit. Satyrio adſignat labium ſupe„rius nectarium (tubam) breviſſimum, inferius (quod vulgo labellum „dicunt barbamve) truncatum, pendulum, tridentatum: calcar ſcro„tiforme, nempe breve & craſſum; antheras, quales Orchidi Serapias „LINNAEI nectarium longitudine petalorum, baſi cavum, melliferum „ovatum habet: filamenta duo breviſſima, piſtillo adnexa; antheras ere„ctas ſub labio ſuperiori nectarii collocatas. Herminium nectarium „(barbam) baſi concavum, corniculatum, trifidum, lacinulis laterali„bus brevioribus; filamenta duo minima in piſtillo ſedentia, antheras denuo

„denuo margine ſuperiori nectarii tectas. Neottia eo tempore habuit „nectarium petalorum longitudine planum, reflexum, obtuſum, oblon„gum, integrum, ad baſin utrinque denticulo notatum; filamenta duo „piſtillo inſidentia, antheras duas erectas, ſub margine interiori nectarii „reconditas. Ophrys nectarium accepit petalis longius, ſemibifidum, „ad baſin utrinque denticulo notatum; filamenta duo breviſſima piſtillo „inſidentia; antheras erectas, tectas margine interno nectarii. Cypri„pedium denique petala, præter nectarium, quatuor, filamenta quidem „pariter breviſſima piſtillo inſidentia, antheras erectas, tectas labio ſu„periori nectarii, hoc amplum cavumque habet, ut mirum ſit, potuiſſe „Orchideum muſcam referentem plano, minime cavo, petalis manifeſto „quinis, nulla nota conſentiens, Cypripedio accenſuiſſe.

„In *editione ſecunda* non multa mutavit. Orchidi tamen inferius la„bium unice magnum, patens latumque fecit: Satyrio planum, pendu„lum: Serapiadi inferne gibbum, trifidum, acuminatum, intermedio „ſegmento cordato, obtuſo, baſi cicatrice bifida tridentata. In reliquis „vix mutavit quidquam.

„In nupera *quinta* vero *editione* omnino longiſſime a prioribus re„ceſſit. Expunxit duo genera, Neottiam & Herminium, & inſeruit „Ophry. Cypripedii ſpecies illas nihil habentes calceo ſimile, huic ipſi „generi reddidit. Characteres fecit eiusmodi. Claſſicum quidem con„ſtituit ex filamentis ſemper duobus breviſſimis: ſtylo ſæpe vix diſtin„cto: antheris binis, nudis, tunica carentibus, cellulis tectis, quæ de„orſum aperiuntur &c. Inde Orchidem quidem, & Serapiadem, & „Cypripedium, & Satyrium vix mutavit. In Ophry omiſit denticulos, „nectarium vero fecit petalis longius, dependens, poſtice carinatum. „Genera exotica omitto. Et multa quidem hic in melius mutata vi„deo, ut omiſſis ſuperfluis, Orchis calcare longo, Satyrium calcare bre„vi, Serapia calcare nullo, labello integro, Cypripedium nectario cavo, „definiatur. Ophrydis genus a ſerapiade videtur ſeparare, quia huic la„bellum inferius tripartitum fecit, & corde denticulato notatum. In „*Floræ Suecicæ* nupera editione hæc ipſa genera conſervavit.

„Dicen-

„Dicendum nunc eſt, quare in hac ultima Clari viri ſententia non „maneam, cum præterea videam, pleroſque botanicos eius genera & „characteres recipere,

„Nempe intercedit ea, quæ ſola me regit, *Natura*, reique ipſa ve- „ritas. Et primo quidem, omiſſis omnibus prioribus, obſoletis, ſectis, „omiſſis LINNAEI prioribus generibus, inter nupera inque univerſo pri- „mum charactere non poſſum probare duo illa filamenta, quæ omni- „bus orchideis plantis tribuit, ego vero in ſola mea orchide reperio, „cum in ophry (quæ & Ophryn & Serapiadem LINNAEI una comprehen- „dit) omnino filamenta nulla unquam viderim. Sæpe numeroſiſſimos „flores immaturos in variis generibus Helleborines, & in ampliſſimo „Limodoro ſpeculatus ſum. Vidi antheras duas ſeſſiles, velo integro „tectas, cavas, polline plenas ſeminali. Id velum per ætatem finditur, „pollen defluit, & viſcida quadam materie ad aliquam ſedem ſuſtenta- „culi adhæret, ſed tenue & absque certa ſede, aut vero petiolo. Fila- „mentis nihil hic ſimile eſt. (Ego tamen ſæpe vidi.)

„Dein in generibus, non video, quare ab Ophry ſerapiadem noſter „ſeparet. Simillima in utraque gente facies, flos ſimilis; ſimillima ne- „ctarifera fovea in Nido avis aliisque eſt, qualis in Helleborines omni- „bus ſpeciebus, neque diviſionem labelli ad diſcrimen ſtatuendum uſus „eſt *Cel.* LINNAEUS, cum multæ eius Ophryes labello integro ſint, & „ovato lanceolato, ut in ſpeciebus 12. 8. & 2. *ſpec. plantar.* p. 945. 947. „948. Denique Serapiadis labellum neque ullo modo trifidum eſt, ne- „que cordiforme tuberculum, quod montanæ ineſt & paluſtri ſpeciei, „in Helleborine alba aut rubra reperitur, & notæ adeo, ex quibus hoc „genus LINNAEUS videtur conſtituere, omnino partim in nulla ſpecie, „partim non in omnibus reperiuntur. Sed eius etiam Serapias altera, „neque enim niſi duas habet, vera Orchis eſt, ex eſſentiali charactere „filamentoſæ & capitatæ antheræ.

„Uti non probo Serapiadis ab Ophry diſtinctionem, ita longe mi- „nus Satyrii ab Orchide, quæ unice in calcare breviori ponitur. Potuit „ne LINNAEUS Linariam calcare donatam, cum Antirrhino calcare de- „ſtituto coniunxiſſe, Orchidem vero a ſatyrio ſeparaſſe, non, quod nul-

„nullum huic calcar, ſed quod brevius ſit? Potuit ne prætervidiſſe, duo „ſe genera facere Orchidem & Satyrium, in quorum utroque, incredibili „exemplo, & gemellæ bulboſæ radices reperiantur, & aliæ ſpecies pal„matis radicibus. Sed nihilo melius in Satyrio LINNAEI calcar eſt, quam „in Ophry prima, neque ulla ratio adparet, quare hæ duæ plantæ ad „diverſa genera referantur.

„Quare, cum ad omnia circumſpexiſſem, mihi quidem viſum eſt, „labellum & carcar ad genera conſtituenda hic non poſſe adhiberi. Non „calcar, quod id per omnes gradus auctæ longitudinis a levi fovea „Ophrydis bifoliæ ad profundiorem depreſſionem Nidi avis, Hellebori„nes, Orchioidis Trewianæ, ad calcar breviſſimum Palmatæ nigræ, viridis, „& albovirentis, hinc ad paulo longius calcar Orchidis rotundi, & Palmatæ „anguſtifoliæ brevibus calcaribus, & Panonicæ quartæ, denique ad lon„giora cornua Militarium Orchidum adſcendat. Neque labellum ad„hibui. Nam integrum a diviſo vetat ſeparare iterum, quod utrumque „calcar & cum palmatis & cum teſticulatis radicibus reperiatur, & Epi„pactis Zeelandica, & Ophiogloſſoides, integris ſuis labellis tamen cum „Ophrybifolia inſeparabili naturæ vinculo connectantur. Bifida labella „qui vellet a trifidis ſeiungere, ab eo quidem requirerem, ut ſigna po„neret, quibus definiret, num militares illæ Orchides & Palmata batra„chites ob ſpinulam trifidum labellum, aut ob minimam ſpinulæ ad duo „crura rationem bifidum obtineant.

„Ad ea ergo ſigna confugi, a quibus alioquin tota Claſſis conſtitui„tur, atque omnibus aliis diſtinguitur, etiam a ſimillimis liliaceis: „nempe ad coniunctam illam ſtaminiferam machinam, in qua fovea un„guinoſa eſt, quæ ad ovaria videtur ducere. Et primum quatuor an„theras unica planta in hac gente habet, quam Corallorhizam poſt alios „*Cl.* viros dicimus. Deinde vel a baſi huius machinæ ſtamina oriuntur, „& diverſis omnino craſſisque filamentis nudæ antheræ inſident, quæ Cal„ceoli fabrica eſt, cui præterea & quatuor cuculli vaga petala ſunt, bi„na binaque æqualia & ſimilia, & labellum unico exemplo ovale, ca„vum, ut cavea ſua iniecta corpora comprehendat & retineat. Hic „calceolus eſt, cur enim poeticam illam *Cypridem* addamus, ut nominis „ratio ex evidentiſſima latina græca fiat & obſcurior?

„Deinde ſcapus, qui antheras ſuſtinet, in plurimis plantis erigitur, „& in duas partes terminatur. Superior plerumque fungoſa, inferne „in duabus foveis duas antheras ſeſſiles, cavas, membrana tectas conti„net, quæ, rupta ea membrana, pollinem ſuum fundunt. Inferior an„theris eſt pro ſuſtentaculo, quarum etiam elapſus pollen eminente hoc „margine retinetur, ut in proximam, ſub ſuſtentaculo ſubiectam vul„vam facillime incidat. Quæ ergo plantæ eiusmodi antheras duas ſeſſi„les habent, fungoſo capite bifidi ſcapi ſubſtratas, eas antiquiſſimo no„mine voco Epipactides, ut eo genere & Ophrys LINNAEI, & Serapias „comprehendatur. Limodorum TOURNEFORTII ſcapo, antheris, label„lo cum Helleborine convenit, & ob ſolum calcar ad alienæ fabricæ „Orchides non debet referri.

„Quæ vero plantæ ſcapum ſtaminum breviorem habent, non bifi„dum, ſed anterius nodis duobus grandibus excavatum, qui longiori„bus membranis ſuis integris, & ſuo tempore fiſſilibus duo ſtamina con„tinent, ab eodem inferius ſcapo filamento conſpicuo nata, & pulveru„lentum pro anthera capitulum ferentia, eæ plantæ Orchides nobis „ſunt. Hæc ſimplicitas etiam hoc naturæ nutu confirmatur, quod Or„chides omnes ita definitæ vel palmatæ ſint, vel teſticulatæ, reliquæ alia„rum figurarum radices generi Epipactidis relinquantur.

„Eſt ergo, ut ſemel repetam, Corallorhiza antheris quaternis, „Calceolus ſtaminibus duobus indiſtantibus nudisque filamentis craſſiſ„ſimis: Epipactis antheris duabus ovatis ſeſſilibus in inferiori facie par„tis ſuperioris ſcapi ſtaminiferi, quibus proprium præterea idem ſcapus „ſuſtentaculum ſubmittit: Orchis antheris duabus rotundis, petiola„tis, quæ nidis membraneis ſcapi ſtaminiferi occultantur.„

Hæcce HALLERIANA omnia fere aſſumpſi, uno genere minus, nec credo optimum HALLERUM id ægre laturum, ſi viri Botanices facilitati ſtudentis rationes audiverit non læves. Omiſi ſcilicet Corollorhizæ genus, unicamque eius ſpeciem, cæterum Epipactidibus per omnia ipſo fatente clariſſimo viro ſimillimam, in naturali epipactidum familia conſervavi.

Equidem

Equidem quanquam etiam *clariſſ.* HALLERUS, & cum illo *Exper.* CHATELAIN, quatuor ovatos globulos ſ. antheras in hac planta vidiſſet, quos tamen non vidi, primo certum eſt, hanc anatomen, haneque apparitionem non adeo obviam facilemque eſſe, ut ex hac difficilius apparente nota, genus, ſi evidentior faciliorve alia ſuperſit, fundari debeat; nec ſecundo magis obſcurum eſt, in Epipactidibus antheras ſe aliter quam in Orchidibus habere & obſervari, ſtamina in his ut in aliis non adeo evidentia eſſe, antheras ſæpe ſagittatas bifidas, imo dum in integrum relaxatæ ſunt, diviſas videri & quatuor, quæ tamen non ſint; eſſe etiam ubi ſtamina in Orchidibus minus videantur, dum in aliis ſpeciebus ſunt longiſſima, ut, ſi ex his exiguis notis & bonis avibus ſolum apparentibus multiplicare genera aliquis vellet, admodum poſſet, & adeo laudabiliter conſtitutam ab illuſtri HALLERO orchidum claſſem in priſtinum chaos coniicere.

Quare ex ſola ſtaminea machina ipſisque capſulis ſeminalibus, ſepoſitis antheris, ſepoſitis ſtaminibus, quæ tamen in Epipactidibus etiam vidi, & demonſtravi aliis, totam orchideam gentem fundabo primus, conſtitutamque a clariſſimo viro claſſem tuebor.

Nec ante nec poſt HALLERUM quidpiam botanicorum ullus cum fructu in hac gente tentavit, nam & illi qui ſyſtemata dedere, vel prædeceſſorum infida veſtigia preſſerunt, vel rem aliis verbis haud in ſe correctam emendatamque propoſuerunt. Noviſſime celeberrimus ADANSONUS, dum orchidibus omnibus antheram unam bilocularem, cuius filamentum ex centro ovarii miro omnino itinere educeret, tribuiſſet, ex octo LINNAEI generibus ſeptem conſtituit, LINNAEI Limodoro Serapiadeque in unum Epipactidis genus redactis. *Vanillam* in petalis convolutis & ſtylum involventibus fundat. *Epipactidem* in petalis pendentibus & nervis intus ſtriatis, *Calceolum* in petalo calceoliformi. In flore calcarato *ſatyrium quærit* longisque circa caulem foliis; & in notis ſtudioſe frivolis alia, in quibus nunc tempus meum non perdam.

Trium igitur, quæ ſolum habemus generum charecterem æri incidi curavi, ut facilius caperetur, deſcriptiones individuorum, ut alias ſemper, ita hic ex vivis plantis feci, non quod HALLERIANAE haud ſufficerent, ſed quod noſtræ aliquando variarent ſtirpes.

Digitized by Google

ORCHIDUM ORDO

GENERA

I. CALCEOLUS

Flos calcei lignei forma.

Capſulæ ſeminales laterales duæ.

II. EPIPACTIS.

Scapus columnaris evidentior plerumque.

Glans illi articulata, inſidens, mobilis.

III. ORCHIS.

Galea cucullata immobilis foveæ unguentariæ imminens, ſuprema, in una ſpecie lateralis magis.

SPE-

Digitized by Google

SPECIES ET DIVISIONES.

1. CALCEOLUS

marianus.

2. EPIPACTIS.

Calcare nullo.

Labello integro.

1. purpurea.
2. alba.
3. paluſtris.
4. corallorrhiza.
5. helleborine.
6. repens.
7. ſpiralis.

Labello bifido.

8. ovata.
9. nidus avis.

Labello calcarato.

10. pſeudo-limodorum.
11. Epipogum.

3. ORCHIS.

Calcare nullo.

1. monorchis.
2. graminea.
3. inſectifera.
4. fuciflora.

Calcare breviſſimo.

5. hircina.
6. alpina.
7. miniata.
8. HALLERI.
9. Amœna.
10. viridis.

Calcare longiuſculo.

11. maculata.
12. latifolia.
13. cimicina.
14. morio.
15. maſcula.
16. militaris.

Calcare longiſſimo.

17. bifolia.
18. pyramidalis.
19. conopſea.

Digitized by Google

ICONUM
DECLARATIO.

F. 1. Calceoli ſeminales capſulæ laterales, quæ generis huius characterem conſtituant, duæ. c. c.

F. 2. a. Epipactidis *albæ* germinis, ſcapi ſtaminiferi. *s.* foveæ unguentariæ. f. glandis. g. aliquantulum elevatæ delineatio, microſcopio aucta, & a latere viſa.

F. 2. b. Epipactidis *purpureæ* declaratio, directa quo ad ſcapum. *s.* foveam unguentariam. f. glandem. g. & capſulas longas ſeminales hic albidas. c. Sunt omnes partes microſcopio auctæ.

F. 2. c. Epipactis *nidi avis* a latere viſæ conſpectus. Scapus. *s.* glans. g. ligamentum glandem in epipactidibus ſuſpendens. l. Glans ut etiam fovea unguentaria in hac ſpecie roſtrata. r. Sunt etiam hic principaliores partes microſcopio aliquantulum auctæ.

F. 3. Epipactidis *purpureæ* icon, in qua duo petala ex propoſito deflexa, ut machina ſtaminea ſeu ſcapus ſtamineus cum glande impoſita cernatur. Cymba erecta. c. cymbæ auriculæ machinæ ſtamineæ lateraliter adſtantes. a. Labellum cymbæ antrorſum articulatum & dependens. l. Labelli elevati margines qui quaſi pontem conſtituant, aut labelli auriculæ. a. a.

F. 4. Epipactidis *albæ*, in qua cymba erecta. c. Labelli cum cymba articulatio inciſione argutula expreſſa eſt, labellique in labrum reflexi natura. a. deſignantur.

F. 5. Epipactidis *paluſtris*, in qua floris penduli habitus, machinaque prolifera incumbens deſignatur, & natura nympharum duarum criſpatarum albarum. n. quæ hic pro auriculis ſunt, aliaque labelli vomeriformis. v. conſtitutio.

F. 6.

Digitized by Google

F. 6. Repræſentat epipactidem *Helleborinem* & quidem eam varietatem, quam viridantem voco, ubi videas cymbam unguentatam cartilagineam albo margine cinctam. c. & labellum eius vomeriforme. *v.* & ſuperiori ſupra cymbam loco depreſſam glandem.

F. 7. a. Characterem orchidis exprimat ab antica parte ablatis petalis viſæ; & imprimis foveæ unguentariæ. f. hic galea inſidet. g. quæ inſculptos in anteriori facie habeat cucullos duos ſeu capſulas ſeminales duas. c. c. quæ in eminens ſupra foveam unguentariam corpus, modo plus minusve rotundum aut auctum, *r.* quod ſpinulam HALLERUS vocat, ego vero ſæpe clytoridem appello, deſinant. In fovea unguentaria plica nigra aditum in calcar deſignat.

F. 7. b. eſt eadem orchis a latere viſa, ſed cum ſtamine. *r.* & anthera pyriformi. a. clytoridi inſiſtente, calcare longo. c. ovario intorto. o.

F. 8. eſt orchidis bifoliæ, quæ unico in noſtris exemplo capſulas ſeminales c. c. in laterali foveæ unguentariæ margine habet. Eſt etiam hic videndum labellum ligulatum ſimpliciſſimum dependens.

ORCHI-

ORCHIDUM ORDO.

GENUS I.

436. CALCEOLUS. TOURN. HALL. LUDWIG. Cypripedium. LINN.

CHARACTER. *Petalum* infimum ampliſſimum, ventricoſum, inflatum, calceo ligneo ſimile. *Tuba* lingua abſcondita. *Capſulæ* laterales duæ in quibus antheræ. Vide T. I. F. 1. c. c.

„Character penitus ab Helleborine, atque Orchidibus diverſus eſt „non ſolum quatuor petalis, aut ornamento tubæ folioſo, verum in primis ſtaminibus. Hæc enim omnino ab invicem ſemota, diſtinctaque „fert, cum omnibus aliis generibus ex claſſe Orchidea ſtamina proxima „aut omnino coniuncta ſint. Minus etiam bene, quam reliquæ ſodales, „Gynandris hæc ſtirps accenſetur, cum ſtamina a tuba & a vulva ſeiun„cta gerat, etſi hactenus id nomen excuſari poteſt, quod utique fila„menta antherarum communem cum tuba originem habeant„ ita HALLERUS.

1) *Calceolus marianus.*
Calceolus foliis ovato lanceolatis petalis interioribus ligulatis. HALL. *Orchid.*
Calceolus. TOUR icon. T. 249.
Calceolus marianus. DODON. *Pempt.* 180. F. 1. unifloro & 2. bifloro caule. MOR. III. Sect. 12. T. 11. F. 13. 14. 17.
Elleborine recentiorum I. CLUS. *Hiſt.* 272. icon commoda.
Cypripedium calceolus. LINN.

In prato montis St. *Leopoldi*, quod Clauſtroneoburgum ſpectat. In Sau-grund, Schneberg iam dudum legeram, & nuper HARTMANNUS attulit.

Radix

Radix exactiſſime iridis *graminifoliæ* ſcilicet ex nodulis ſuperne excavatis, quibus olim caulis inſiſtebat, facta, inferne fibroſis horizonti parallela,

Caulem floriferum cum adnexo bulbillo & emarcido altero, erectum, non ramoſum, ſtriatum, villoſum, anguloſum, pedalem, etiam paulo maiorem erigit: hunc vaginæ non folioſæ, ſed abſciſſæ, dein folia alterna vaginant, vera veratri, complicata, nervoſa nervis externe leni villo, quo & margo induitur, obſitis.

Folium florale præcedentium minimum, amplum tamen, ovarium complectitur priſmaticum, anguloſum, incurvum, villo pariter obſitum, in cuius cacumine unicus flos ſuſtineatur.

Floris petala ex purpura rubiginoſa, expanſa quatuor patent, quorum exteriora duo, ſuperius ſcilicet & inferius, latiora ſunt, lateralibus duobus brachiatis interiori ſede ortis; atque ſpecialius ex ovato lanceolatum lanceea elliptica ſuperius eſt, tum complicate rugoſum; inferius contra ex ovato elongatum, undulatum in ſemi ſpiram ſeſe contorquens, & fine bifidum: dum lateralia duo longe anguſtiora quaſi brachiata, & ſtatim in principio, ubi adhuc viridant, villoſa ſunt.

Ultimum præter hæc petalum ampliſſimum, ventricoſum, inflatum, longe excavato ſinu utriculoſum, flavum eſt, & calcei lignei formam quadantenus habet; id vero exiguo, firmo tamen ad internorum petalorum latera oritur principio, inde conflexum undulatumque marginem, caveæ oram anguſtantem, circumfundit, latioribus introrſum prominentibus auriculis, quæ convolutæ ſuperius utriculi latiusque oſtium formant. Ipſe utriculus ab exortus principio multis pilis interne obſidetur, & ab hoc loco per venas quaſi undatas, purpureas lineas, ſeu puncta arcte ſibi adiacentia, quæ tamen in anteriori facie exſpirent, totus pingitur.

Machina fructificationis mira eſt: primo enim ex inflexo firmoque pedunculo videas concavam obtuſamque & apice craſſam linguam, punctis purpureis fortuito pictam, quam petalum peculiare HALLERUS vocat, propendere, hanc tubæ oſtium & antherarum petaloidea propugnacula contegere.

Ablata priori lingua in centro conſpicis dilatatæ tubæ labia: ſuperius quidem labium in lingulam concavam præcedenti non abſimilem,

Nnn ſed

ſed herbaceam tum craſſiorem & minorem dorſo ſuo dorſum prioris contingentem eductum: inferius vallecula ad ovarium per pedunculum ducente excavatum.

Et etiam nunc ad latera tubæ, tectulum utrinque unum (quod paulo ante propugnaculum petaloideum antherarum vocavi) exſtare certas, ea vero priori maiori lingua minora ſunt, albida, elliptica, in antheræ defenſionem conflexa ſub his utrimque in ſolida ſatis rotundaque fuſce colorati marginis capſula fotam glutinoſam ex viridi leniter flaveſcentem ſubſtantiam antheram vocant, vidi.

Fructus ſexangularis ellipticus, villoſus, tribus angulis aperitur.

GENUS II.

437. EPIPACTIS. HALL.

Ophrys, Nidus avis, Helleborine. TOURN. ALIORUM.
Ophrys, Serapias, Neottia, Herminium. LINN.

CHARACTER. Capſulæ antheriferæ duæ ſibi vicinæ in glande articulata ſcapo ſtaminifero & mobili. Vide T. I. F. 2. a. b. c. ſcapus. s. Glans. g. Fovea unguentaria. f. Capſulæ antheriferæ. c. ligamentum glandem ſuſpendens. l. Cymba. c. F. 3. F. 4. F. 6.

„Character naturalis a Calceolo multis modis differt, petalis quin„que, præter nectarium, antherarum petiolo unico, ab Orchide inpri„mis ſtaminea machina. Nam petala quidem quinque ex parte ſupe„riori prodeunt, ſibi in univerſum ſimilia, ovato lanceolata in omnibus „mihi notis ſpeciebus, quæ ita ſolent antrorſum vergere, ut una caveam „pene intercipiant, unde & galeæ & cuculli nomen natum eſt. Accu„ratius inſpiciendo tria exteriora paulum maiora, duriora, & rectiora „fere ſunt, duo interiora minora, teneriora, magis ad ſe invicem ſæpe „conflexa.

„Deinde ſtaminea machina, quæ pro tuba eſt, ita ſe habet. Ex „ovario ſuperne, & poſterius, ſcapus firmus erigitur, ſemicylindricus, „hinc convexus, inde planus. Is ſuperne ex filamento gerit fungoſum „ſub-

„ſubrotundum craſſumque corpus, ſuperne gibbum, inferne planius, & „duabus fere levioribus foveis exaratum. In iis foveis ſedent inſepara-„biles, immerſæ, duæ capſulæ pulveriferæ, ſive antheræ ſepto diſtinctæ, „quarum fere poſterius intervallum maius, anterius minus eſt. Eæ an-„theræ ovales ſunt, & velum membranaceum ſubtus habent, quod fin-„ditur, & tota viſcedine cohærens maſſa exit, atque ad ſuſtentaculum „retinetur.

„Nempe ſub anthera ſcapus ſolet paulum cavus duabus foveolis, „linea eminente ſeparatis, diſtingui, margine vero ſuo plerumque acu-„minato antrorſum produci. Huic parti ſcapi antheræ nituntur.

„Sub eo margine eminente, in anteriori facie ſcapi, fovea eſt un-„guine repleta, quæ inferius profundior vulvam quandam ad ovarium „ducentem efficit. Eam vulvam etiam margo eminens circumdat.

„Labellum inferius, ſive ſextum petalum, inæqualiter ſe habet. „Nam plerumque equidem in origine ſua in foveam deprimitur, cuius „gratia nectarium vocatur, quæ mellaginem aliquam continet. Ea fo-„vea vel brevius calcar imitatur, vel longius, ut in Orchidibus. In aliis „tamen ſpeciebus vix ulla depreſſio reperitur, quæ pro nectario haberi „queat.

„Deinde pars extrema huius labelli penitus, ut in Orchidibus, alias „integra eſt, alias diviſa: & quoties integra, tunc vel cava eſt vel plana. „Diviſa labella hactenus unice bifida reperta ſunt. HALLERUS.

Calcare nullo.

Labello integro.

Cymba erecta nitida non unguentata.

1) *Epipactis purpurea* * Enumeratio
Epipactis caule folioſo paucifloro labello articulato - roſtriformi acuto. F. 3. I.
Epipactis 2. HALLERI. lineis in labello acutiſſimo undulatis. OEDER. *flor. Dan.* T. CCCXLV.
Elleborines genus V. CLUS. *Pann.* L. II. Cap. 33.
Helleborine longifolia paucis purpureis floribus. HALL. *enumerat.* p. 274.

In ſterilibus glareoſis ſylvæ *Dornbach* ca, qua rivulus defluit parte, in iisdem *Kaltenberg*, qua *Leopoldi* mons ſpectatur, ita invenio in adverſariis, & iterum hoc anno 1767. ibi legi.

Digitized by Google

Culmus cubitalis & ultra alterne flexus, erectus, ſubhirſutus, non ramoſus HALLER *bene;* eſt tamen etiam quandoque rectior, quandoque ſolum pedalis, infimæ vaginæ cum ipſo etiam caule inferne purpureo violaceo colore pictæ erant in meis conſtanter, erat etiam ſic picta eius ſummitas.

Folia ſeſſilia de caule ſecedunt ima minima, nonnunquam omnino ovata, dein ſenſim longitudine creſcunt *itidem bene*, ſed numerum etiam minorem vidi foliorum, quam ſeptem, novem, & ab ultimo folio ſcapum longius nudum, magis hirſutum, profundius coloratum & ad ipſos flores alterne flexum.

Spica pauciflora. 3. 5. 7. 9. florum.

Stipulæ ovario longiores graciles *bene*, non attingentes petalorum longitudinem.

Flos baſi latiore ovario inſiſtens, apice erecto aliquantulum in anteriora inclinato, clauſus, gibberum triangulum efformat, qui in patente flore ſenſim evaneſcat, qua in re hæc ſtirps cum ſequente, quæ eandem floris formam habitumque affectat, belle congruit, is primo viridis, dein albus, ſucceſſu temporis pulchre purpuraſcit.

Petala conſpicuæ magnitudinis tenera tamen, ſuave profundeque roſea, aliquando tamen magis purpurea ſunt, Tria exteriora extus quaſi villoſa videntur, villo intenſitatem purpuræ non ſuffocante; ſuntque hac in triangulum complicata, medio ſupremoque minore minus, aliis duobus lateralibus maioribus magis, quo alia interiora petala concludant omnia; nunc vero laxatur ſenſim hæc compages duoque lateralia externa maiora a ſe invicem in margine contactus magis abſcedunt, videntur ſuperne duo petala interiora præcedentibus aliquantulum minora medio externis latiora, ex ovato lanceolata, eiusdem ac alia externa coloris, quandoque tamen ſaturatioris, aliquando ſolum interiori nervo ſaturatius ſtriato.

Inferne, dum etiam a ſe magis dirimuntur petala externa maiora, in conſpectum illico prodit cymba cava alba, anterius intropreſſa in tuber cæcum deorſum deſinens, tanquam calcar ordiri vellet.

Cymba ad machinam ſtamineam tota exſecta deliquium patitur, e rectaque ibi utrimque auriculam habet, ab hac exſectio obliqua eſt, usque

uſque in anteriorem faciem, qua ſextum petalum cymbæ accreſcit aut articulatur mobile.

Sextum petalum inferiorem aviculæ maxillam vix non refert, vomeri comparat HALLERUS, cuius roſtrum in prima floris non dum explicati conditione ſurſum porrectum ſit & poſt fæcundationem dimittatur arcuatum, qua in re hæc ſtirps a ſequenti perpetua eaque evidenti nota diſcriminatur quod ſequentis ſummum obtuſumque labrum quaſi replicato reflexum ſemper conſpiciatur, vide F. 4. a.

Ita vero hoc petalum configuratum eſt, ut laterales baſi habeat elevatos margines, vide F. 3 a. tanquam auriculas, quæ cymbæ exſectionem, lateralem compleant manchinam ſtamineam anteriori facie complectantur, defendant, antrorſum vero extenuatæ ſenſim evaneſcant in angulum acutiſſimum crenulatum, undulatum roſtrum. Totum hoc petalum etiam album eſt, margines vero anteriores profundiori, vivida tamen purpura pictos habet, & interius planum pluribus, ad undecim enim numeravi, ut in fungis, undulatis, criſpis fere parallelis lamellulis percurſum, quarum ſummitas in meis quidem omnibus ſpeciminibus flavicabat & aureis miculis microſcopio reſperſa videbatur.

Fæcundans columna matura tetraedra, pulchre ex purpura colorata, aliquantulum incurva eſt, & in antica ſupremaque parte depreſſam foveam habet, eminente margine undique cinctam, purpuream, viſcoſam, quæ pro organo muliebri ſit. In ſuprema vero & horizontali parte loculamenta duo circumcirca obvallata, & antrorſum ad foveam unguentariam claviculata habet, & media longitudinali in centro loculamentorum linea dirempta, quibus corpus, glandi penis ſimillimum poſtica facie a ligamento ex columna elongata egreſſo ſuſpenſum & mobile recipiant. Vide F. 2. c.

Glans minimis verrucis per microſcopium conſpicuis, ita nunc in meis video, hirta, etiam purpurea eſt concluditque loculos ſeu capſulas cylindricas antheriferas duas, albidæ cutis, ex anteriori & ſuperiori facie deorſum poſtrorſumque ad columnæ exſectionem arcuatas inflexasque, quæ loculamentis ſeu exſculptis columnæ ſulcis inſideant, dum media ſulcos columnæ dividens linea elevata, ſurſum inter duas cylindricas arcuatasque capſulas intercœptam cavitatem ſeu carinam ſeſe recipit;

 cipit;

cipit; eſt cæterum etiam glans mobilis & retrorſum agi poteſt, & antheras preſſas inter proprium glandis & eminentem foveæ unguentariae marginem retinere.

Viſus ſum mihi videre antheras vermicularis ſubſtantiae, albae, & arcuatae forma, ex glandis membranis ruptis tanquam ex nidis erumpere.

Ovarium tenue extenuatum, qua nota iterum a ſequenti diſtinguitur cui longum intortum ſpectabile, adhaec huic adhuc eſt coloratum & villoſum, quod in ſequenti nunquam viſitur.

2) *Epipactis alba.* * Enumeratio.
Epipactis caule folioſo paucifloro, labello articulato, obtuſo labro reflexo. Icon T. I. F. 4. a.
Epipactis 3. HALL. *Orch.* lineis in obtuſo labello levibus, incerto nomine.
Helleborine latifolia floribus magnis paucis albisque HALL. *Helv.*
Damaſonium calyphyllon? CORDI. Hiſt. II. c. 108.
Elleborine II. CLUS. *hiſt.* I. p. 272. deſcriptio.
Helleborine flore albo vel Damaſonium montanum latifolium. C. B. MOR. III. Sect. 12. T. 11. F. 12. optime & cum Charactere.
β. Anguſtifolia foliis lanceolatis.
Damaſonium tenuifolium. CORDI. L. II. c. 107.
Helleborine TOUR. icon T. 249. H. A.

In glareoſis ſylvae *Dornbach*, cum praecedente, abunde in *Caltenberg*.

Varietatem Latifoliam deſcribam.

Radix fibris plurimis craſſis ſatis comata, alte terrae immerſa eſt.

Culmus unicus profunde terrae infixus, vaginas amplexantes aut iam emarcidas, aut novas & vegetas adhuc albas habet; ipſe caeterum rectus, raro intortus, palmaris, cubitalis, & ultra, albidus, ſtriatus, anguloſus, folioſus eſt, nitidiſſimus.

Folia ex ovatis utrimque acuta, vaginis albis arctis caulem vaginant, nervoſa, ſplendentia, lata, bracteis magis lanceolatis, quae tamen etiam ſub primo flore vere folioſae ſint, & ipſo flore multo maiores, ut primus flos magis in ala folii maioris ſedere, quam in ala bracteae videatur.

Flores nivei, ovariis leniter intortis, ſtriatis, albentibus, iuxta caulem erectis ſuffulti, licet tamen & hinc inde in ſummitate unum alterumve

rumve ovarium a caule magis recedere videatur. Hi numero incerti duo, tres, ad octo vidi, ſed nunquam ullum hirſutum.

Petala nivea omnia, ſurſum in cœlum fere ſurrecta, & clauſa, ut recte RAJUS florem clauſum dixerit; nunc horum exteriora tria ex oblongis ovata, concava dorſo eminente in angulum linea percurſa ſunt, apicibusque, ut alia involvant, conſentiunt.

His ablatis tria interiora conſpiciuntur, quorum duo ſuperiora ut priora facta ſint, tertium vero aliter.

Labellum ut in priori planta duabus conſtituitur partibus, ventricoſa cymba, ſub carneo colore fere picta, media exiguaque linea notata ſulcata, & duabus eminentiis articulationum ſuperioris partis locis; poſterius in duas auriculas, machinae ſtamineae adſtantes, erigitur.

Labellum proprie extus in arcum concavum, intus convexum, lateribus elevatis marginibus cœptum, baſi articulatum, ſpeciem pontis format mobilis cuius anterior pars in labrum obtuſum, vide F. 4. a. reflexum fit. Eſt hic pons iugis 5. ſed eminentioribus tribus percurſus, polline ex viridi flavicante inunctus, quo polline etiam anterior facies ventricoſae cymbae obducatur, ut externe colorata appareat. Pollen hoc quandoque fere aurantium inveni.

Columna ſtaminifera incurvata erigitur alba, in ſummitate ligamento poſtice immiſſo glandem ſuſtinet, quæ anterius albas antheras gerat, unguentariæ foveæ imminentes. Antheræ ex albo flavicant, dum glans viridi leni colore ſordeſcit.

Obſervatio. Mira omnino confuſione duæ hæ ſtirpes tam *purpurea* quam *alba* laborant; poſt CORDI, CLUSIIque ſuperficiarias obſervationes Botanicorum ad HALLERUM usque nullus tollerabilem dedit deſcriptionem, nec LINNAEO, nec noſtris Auſtriacis ſcriptoribus, qui Serapiam helleborinem cum Serapia longifolia Magiſtri etiam ſecuri confudere, exceptis. Purpureæ iconem veram hucusque exſtare non novi, albæ commoda illa MORISONI eſt, cum labro etiam in fine labelli obtuſi reflexo arithenoideo, quod HALLERUS non vidiſſe videtur, qui neque articulationem notavit, quam cum duobus cymbæ ventricoſæ aggeribus labellum inirct, elevatos vero margines, quos iam nomine alarum I. BAVHINUS inſignivit, recte notavit. Eſt præterea hic duabus ſpeciebus erecta & immo-

Digitized by Google

immobilis, nec dimittenda cymba, quod pariter non obſervatum, & definitionem ſpecificam ingredi poteſt.

Obſervatio II. Omnibus rite penſitatis declaro Helleborinem OEDERI *Faſcic. Danic.* V. T. CCLXVII. nulla ratione plantæ noſtræ componi poſſe, nec hirſuto caule, aut petalis aut ovariis hirſutis, multo minus adhuc labello ex longa canaliculata lingua cordiformi, crenato, & apice ſurſum reflexo; citavit quidem Egregius vir *Helleborinem latifoliam floribus magnis paucis albisque* HALL. *Helv.* p. 275, eamque ſolo hoc nomine propoſuit nullo adiecto ſynonimo, ſed HALLERUS ſynonimum MORIS. & iconem citavit, quæ noſtram plantam exigit & ab illa OEDERI diverſiſſima ſit, & vereor, ut una ſequentium ſit, cum hirſutula ſit & labellum vomeriforme habeat. Non amo arida nomina cum iconibus, in plantis dubiis nec certo determinatis.

3) *Epipactis paluſtris.* * Enumeratio. * Elenchus.

Epipactis caule folioſo multifloro, labello articulato vomeriformi, floribua pendulis. Icon. T. I. F. 5.

Epipactis foliis enſiformibua, floribus pendulis labello obtuſo, per oras plicato. HALL. Orch. p. 111. Epipact. 5.

Helleborine anguſtifolia paluſtris. C. B. *pin.* 187.

Helleborine paluſtris noſtras RAI. Hiſt. II. certo.

Helleborine anguſtifolia RAI. *cantabr.* p. 72?

Helleborine latifolia. OEDERI *Dan. Faſc.* V. T. CCLXVII. *bona. & locus natalis conſentit.*

In pratis udis Turſoſis *Himberr* florebat Iulio, & in illis *Dornbach* abunde.

Radix quam in præcedentibus aliter facta, rotundis, conſtituta duabus trabibus, hac longitudinali, illa transverſa ad angulos rectos priori implantata; hæ dein longitudinalibus fibris circumcinguntur, caule ipſo ſemper e coniunctione trabium aut in loco vicino egrediente. Eſt cæterum horizonti parallela fine alba, conica, ut terram fodat, dividatque.

Caulis firmus, craſſitie ſenſim ſurſum decreſcens, bipedalis etiam, rectus, inferne folioſis vaginis cinctus, ſuperne ſubhirſutus & ſubpurpuraſcens.

Vaginæ prinæ caulinæ ut in aliis aphyllæ, quaſi abſciſſæ, ſtriatæ, purpuraſcentes, quo colore etiam albus ibi loci caulis inficiatur.

Folia

Folia 5. 7. priorum helleborina, firma, admodum nervoſa nervis exſtantibus, inferiora brevi vagina in ſuperioribus ſemper minori caulem ampleⅽtuntur, tum a caule abſcedunt canaliculata magis, aut magis plana ovato-lanceolata; ſuperiora gracileſcunt & minuuntur.

Bracteæ florales lanceolatæ, foliorum naturam ſervant, imæ ovario, ſæpe etiam flore longiores, ſuperiores ovario breviores, reflexæ, & quaſi a pendulo ovario deorſum preſſæ.

Spica florum laxa, ab 8. 10. ad 15. florum pendulorum.

Ovarium pedunculatum pedunculis rotundis debilibus in arcum flexis, ut ovarium rubiginoſis villoſisque, id ſexagonum familiæ, adultum craſſius magis rubiginoſum & præ villo in angulis incaneſcens.

Flos clauſus familiæ, apertus, petala tria externa magis patentia habet.

Petala tria externa ita ſe habent, ut medium ex ovato lanceolatum concavum canaliculatam ex incumbenti pateat, dorſalia duo vero ex ellipticis concava a cymba magis diſtent; omnia ſunt ex herbaceis purpurea, elato dorſo evidentiori nervo percurſa, villoſa.

Interiora duo concava divaricata alba leni purpura medio perfuſa aut aliquando baſibus magis colorata, elliptica, machinam proliferam laxe tantum tegunt.

Sextum petalum duabus conſtituitur partibus, ventricoſa cymba auriculis duabus eminentibus inſtructa, lineis roſeis utrimque picta, medio ſulco polline ſeminali flavo colorato, altera pars labellum eſt.

Labellum, ut in præcedentibus articulatum longe aliter quam in illis factum, diverſiſſimum eſt, nam nec illa latera elevata, quæ quaſi pontem conſtituant F. 3. a. a. habet, confer iconem F. 5. n. ſed loco huius nymphas criſpatas duas, vide huius iconem. n. tum non roſtriformem exitum poſſidet ut præcedens, ſed cordiforme lateribus criſpatum & exacte vomeriforme labellum. v. quod quaſi in articulatione relaxatum dependet.

Machina prolifera familiæ, ſed parva, pelvis unguentaria latis claviculis aut cruſculis ſuffulta. Glans flavicat polline ſeminali ex albo dilutius flaveſcente.

Obſervatio I. Cum duabus præcedentibus confundi hæc ſtirps non poteſt ex notis datis, etiam haece, quod cymba in hac in anteriori parte

non intropreſſa ſit, ſed tota gibba, quod præcedentes quaſi calcaris rudimentum ordiantur & tenent, hæc nullum.

Obſervatio II. Differunt hæ tres a ſequentibus præter alia ſectione, quod cymbam depreſſam patentem unguentatam manifeſte habeant ſequentes.

Obſervatio III. Flos in ſtatu naturali deorſum dependens pictus F. 5. ob quam rationem etiam ſcapus ſtamineus adeo incumbens viſitur.

4) *Epipactis corallorhiza.* * Enumer. * Elenchus.
Epipactis aphylla radice coralloide.
Dentaria aphyllos 3. CLUS. *pann.* p. 450. icon, in deſcriptione 4. eſt; hic primus invenit & deſcripſit.
Dentaria coralloide radice. CLUS. hiſt. II. p. CXX. icon & deſcript.
Dentaria aphyllos minor. TABER. icon CLUSII.
Orobanche radice coralloide. C. B. *pin.* ex CLUSIO.
Dentaria aphyllos minor TABERNEMONTANI I. B. II. tanquam TABERNEMONTANUS inveniſſet primus! & miſer ſcribonius largus BAUHINUS, iconem & deſcriptionem a CLUSIO mutuatur, aſtute vero locum ubi CLUSIUS invenit, quem alias, ut omnia exſcribit, addere ſolet, hic omiſit.
Orobanche ſueonum radice coralloide flore albo. RUDB. Elyſ. II. p. 234. F. XVI. icon bona.
Orobanche radice coralloide ruberrima MENTZ. T. 9. F. 1. habitum exprimit, & noſtræ radix alba eſt.
Corallorhiza RUP. ed. I. p. 284. icon. T. 2.
Neottia. L. quaſi non ſuffeciſſet corallorhizæ nomen RUP. qui plantam a dentariis & orobanchis primus exemit, ſed nemini honorem tribuit invidia, niſi adulatori.
Ophrys *corallorhiza.* LINN. infelici mutatione ut ante, ita hic contra præſcriptum genus peccante, nam nectarium ſubtus carinatum noſtra planta non habet, ſed bene ovatum gibbum: labio ovato, ut aliæ Serapiades, quæ moneo, ut in centeſima editione tandem in rectam ſedem reſtituatur, excuſari tamen poteſt, quia ob ſolum habitum coniunxit Ophrydi, *nido avis* miſſis etiam fructificationis ſignis; vide canonem *Crit. Botan.*
Corallorhiza. HALL. *Orch.* genus I.

Paulo ſupra *Enzesdorff* in langen Thal. CLUSIUS. Et nuper in botaniſatione *Breynina* in ſylvis opacis D. WINTERL Med. Doctor.

Radix coralloides, alba, geniculata, varie intorta, inflexa, aliquando magis reticulata, aliquando bulbillis parvis cylindricis in extremitatibus geniculorum inſtructa; hæc tenera eſt ſucculenta & in herbario

Digitized by Google

rio brevi nigreſcit preſſa. In noſtris omnibus exemplaribus non ad angulum rectum ex inflexo ſcapo declinat, ſed ex caule recta ſcapus exit ut figura RUDB. declarat.

Caulis plerumque unus, ſunt etiam aliquando duo, qui quaſi capiti radicis inarticulati & ad hoc mediante vagina coerciti ipſa radice in exortu latiores ſint, tuberque capitis radici imminens efforment. Cæterum eſt caulis rectus aphyllos pedem medium, unum cum dimidio ubi altior, exigens.

Vaginæ foliorum loco, ſtriatæ, obſolete albæ, fine obtuſo præditæ caulem per intervalla amplexantur, quæ tribus quatuorve ſub ſpica digitis eundem nudum relinquant.

Spica florigera rara, longa tamen, 6. 9. 15. florum.

Bracteæ minimæ vix pedicello maiores.

Ovaria pedicellata læte viridia, familiæ, una ſcilicet parte magis concava, altera magis convexa, obſcure hexagona, dum tres eminentes magis præ aliis anguli triquetra faciunt; ſunt cæterum brevia, craſſula ovata.

Galea petalis conſtituitur potiſſimum tribus, ſummo ſcilicet & duobus interioribus, dum lateralia duo abſcedunt & diſtant.

Petala pro parvitate floris longa, herbacea, aut ex herbaceo pallentia, elliptice lanceolata ſunt, dum lateralia quaſi anguſtiora & lanceolato-linearia cernuntur.

Sextum petalum cymbam, ut in præcedentibus omnibus, non habet, ſed ex ſummitate germinis in anteriori facie exortum adſcendit paries, qui ſine ventre labellum articulatione ſibi, ut in aliis iungat, inde hoc aliquantulum adſcendens, contra ſe reflectitur acuto ſatis angulo, definitque oblongo obtuſoque fine labrum exalbidum, & revoluto fine cavatum. Hoc labrum in ſui medio linea una aut altera eminentiori undulata percurritur, & marginem lateralem ſuperiorem utrimque elevarum criſpatumque habet; cæterum integrum labrum eſt, & a latere elevatorum marginum interius ex purpura etiam coloratur.

Scapus ſpermaticus anteriori facie incurvus, concavus magis, quam in aliis etiam purpureo colore ibi ſæpe perſunditur, in ſuprema anteriorique facie pelvim unguentariam ſuſpendit, quæ claviculis quaſi glandem ſuſtinet.

Glans familiæ, duabus capſulis ſeminalibus fœta.

Obſervatio. Non me ita tota orchidum hiſtoria, ut hæc quidem planta vexavit, neſcio quo ſexualium raptu (nam ii viri plantas creant, creatas non deſcribunt). Limodorum CLUSII verum, adeo a me olim quæſitum, ut etiam diverſa itinera in gratiam eius inſtituerem, eſſe contenderem, & gratam laborum & ſumptuum iam etiam olim factorum remunerationem. Itaque dum alpes hoc anno 1767. complendæ orchidum, & papilionacearum cauſa comitibus D. WINTERL Med. Doctore. D. WELL egregio Pharmacopeo & botanices amantiſſimo, D. GRE famuloque conſcendo, invenit in ſylvis umbroſiſſimis ſubalpinis hanc plantam D. WINTERL ligno putrido conſtanter innaſcentem multa omnino ſpecimina attulit, famulus aliqua.

Domum redux evolvens Limodorum CLUSII, dolui admodum, hunc virum, ut in tota orchidum fere hiſtoria, ita & hic dormiviſſe, imo etiam Limodoro, quod in *pann.* deſcripſerat, in *hiſtoria* nidum avis male ſubſtituiſſe, quod iam olim in *opuſcul. Botan.* HALLERUS monuerat; ergo Helveticas ſtirpes evolvi, ſed cum HALLERUS ſuo limodoro calcar longum adſcriberet, iconemque TOURNEFORTII T. 250 ingenti calcare donatam laudaret, probe intellexi, hanc meam plantam cum illa huius viri conferri non poſſe. Ex ſynonimis ab HALLERO citatis & horum virorum deſcriptionibus nihil cœpi, ſed ſolum vidi, pleroſque CLUSIUM deſcribere & I. BAUHINVM, quem obiecerat LOBELIO errorem, erraſſe, dum nidi avis iconem eandem exhiberet cum nomine pſeudolimodori auſtriaci.

Properavi igitur ad hiſtoriam orchidum couſtitutam, in qua nullam, quæ meæ conveniret plantæ, epipactidem inveni, alia tamen Epipactidi Limodoro data ſynonima, quam in *hiſt. ſtirp. Helv.*, quæ iterum omnia ſcrupuloſius evolvo. Nunc in I. BAUHINI T. II. p. 782. intueor citatam in ſynonimum *Orobanchen magnam purpuream monſpeſſulanam*, quam forte properanter nimis HALLERUS citavit, dum hæc quidem planta vere ringens videtur orobanches *purpureæ* male picta varietas, cum calyce ſquammoſo, ipſo etiam ut dubitare non poſſis, eminente piſtillo, flore monopetalo, ringente, quæ certe non ſint Epipactidum. In BUXBAUMIO non erat noſtræ plantæ facies, nec ſinebat HALLERI de-

ſcriptio

ſcriptio meam plantam cum ſua in eſſentialibus ſignis differentem Epipactidem *Limodorum* eſſe.

In LINNAEO maiorem inveni deſperationem, dum is quidem Vir Limodorum HALLERI orchidibus adnumerans, figuram nullam, ubi tamen illo exſtaret TOURN. citaret, contradictoria etiam ſynonima congereret, & labellum modo ovatum integrum, modo trifidum in una eademque planta, ſolita confuſione, proponeret, forte corallorhizam a SAUVAGESIO viſam cum ſua confundens orchide *abortiva*.

Sed denuo mirari ſubiit Limodoro ſuo auſtriaco iconem nullam CLUSIUM ſubieciſſe, eamque ſolam fuiſſe ſuperadditam *hiſt.* I. p. 270. ſerius impreſſæ pſeudo limodori nomine, quaſi vel ipſe intelligeret CLUSIUS, aut alius, eam iconem non eſſe Limodori auſtriaci, cuius figuram non poſſidebat, licet eandem deſcriptionem ſubnecteret, vel analogam huic auſtriaco plantam ſubſtituere vellet. Quidquid horum ſit, aut non ſit, Limodorum auſtriacum CLUSII inter ſynonima ſuæ plantæ haud recenſere HALLERUS debuiſſet; nam primo nec CLUSIUS quidpiam de calcare monuit, & credibile non eſt, hanc calcaris adeo longi, ut id facit HALLERUS & TOURNEFORTIUS pingit, notam, illi non in oculos incidiſſe. Tum ſecundo dum *nidus avis* pro pſeudo-limodoro daretur ſpectandus, data planta eſt, quæ calcar nullum habet, ut demum omnibus perpenſis concludere debuerim, Limodorum auſtriacum CLUSII nec illud TOURNEFORTII eſſe nec HALLERI, & verum Limodorum auſtriacum CLUSII a nemine hucusque fuiſſe determinatum; atque hic huius laboris fructus eſt.

Cymba depreſſa ungnentata.

5) *Epipactis Helleborine.*

Epipactis cymba cartilaginea depreſſa, vernice ſplendente inuncta; flore minore. F. 6. c.

Epipactis foliis amplexicaulibus ovato-lanceolatis labello lanceolato. HALL. *Orch.* Epip. 4. *non bene.*

a. Epipactis *rubiginoſa.*

Epipactis foliis amplexicaulibus, labello vomeriformi, per oras crenulato, medio rugoſo.

Helleborine altera atro-rubente flore. C. B. pin. *optimum nomen.*

b. Epipactis *viridans.*

Epipactis foliis amplexicaulibus ovato-lanceolatis cymba ampla purpurea; labello vomeriformi non ſerrato.

Elleborine flore viridante PARK. *bonum nomen.*
c. Epipactis *varians.*
Epipactis foliis variantis coloris radice profundiſſima.

a in *Baden*, ut etiam b. locis apricis. c. vero in ſylvis umbroſis. *Dornbach.*

Deſcriptio prima *rubiginoſæ.*

Radix horizonti parallela non adeo profunde terræ infixa, nec lignea, multis digitatis ramoſis & intertextis nigris fibris conſtans, in una extremitate, eaque anguſtiori culmum erigit unicum, medium pedem, pedem, pedem cum dimidio ad ſummum altum, & a latere huius plerumque exiguum plus minusve conicum albumque bulbillum futuri ſequenti anno culmi rudimentum.

Culmus ipſe ex violaceo purpureus inferne aliquid intermixti viroris habet, qui dum confertior eſt denſiorque hunc magis in nigredinem flectit; cæterum leni pube alba ſemper obductus incaneſcit & multum folioſus eſt.

Folia ima vaginantia amplexicaulia, quaſi abrupta abciſſaque, obtuſo fine exſtant, quo aquam cœlo labentem in futuram quaſi ſitim, ut ſæpe obſervavi, capiunt, ſed hæc minora ſunt: & quæ ſequuntur amplitudine & longitudine creſcunt ex ovatis brevi acuta elongata, ſuperiora etiam nunc ex ovatis oblonga in ſcapo ſedent & tandem rariora lanceolato elliptica evadunt, qualia florum bracteæ omnia viſuntur. Cæterum quæ maiora ſunt, dura & Liliaceorum more admodum nervoſa ad caulem plicata canaliculataque diverſum utraque facie colorem exhibent: ſuperna nempe ſatis virent, inferna vero, cum ex alba vagina colorati in folii poſticam partem proficiſcantur nervi, obſcurantur.

Scapus foliis, exactius bracteis lanceolato ellipticis cinctus, per intervalla magis diſtantibus ſpicam floralem ſuſtinet vix ſemipedalem, modo paucioribus, modo pluribus floribus onuſtam: numeravi in numeſis exemplaribus 9 ad 20 & ultra.

Primi flores magis diſtant, proxime ſequentes denſantur, omnes unum latus fere ſpectant, quaſi pedicellati pedicello in ovarium conicum fere angulatum lineatum ſuperiori facie gibbum magis, inferiori magis complantum abeunte admodum debili & ob id flos antrorſum inclinat,

&

& quaſi pendet. In multis ſpeciminibus pedunculus ovario longior cum eodem angulum conſtituit pedunculi crure ad ſcapum rectiore, ovarii ad hunc fere horizontali, in aliis vero aliter eſt, leves enim hæ res multum variare ex multis cauſis poſſunt, licet ſemper pendeant ovaria horizonti fere parallela.

Partium harum omnium colorem quod ſpectat, tenendum eſt, ſcapum alba pube veſtiri bracteas pedunculi & ovarii longitudinem vix conſequentes virides eſſe, pedunculos & ovaria modo ex purpura rubiginoſa eſſe, modo ex ſaturatiori rubigine nigricare & ſemper pube alba & reſinoſa ſplendente per microſcopium materie onuſta videri.

Flos vegetus pulchræ, & violaceæ & nigræ purpuræ, obſoleſcens ligneæ flavedinis, petala quinque habet patula fere, æqualia, ni quod medio loco poſita aliquantulum videantur duobus lateralibus inferioribus minora; hæc vix piloſa ſunt, vix lanuginoſa, tamen hinc inde ſplendentis reſinæ miculis conſperſa, ex ovatis acuta concava æqualiter colorata. Eſt cæterum flos inter omnes helleborines minimus.

Sextum petalum ſatis mirum eſt, in centro floris hærens fœcundantem columnam, ut nec advertatur, ſuo utriculo labelloque totam contegit. Eſt vero illi cavum calceoli aliqua ſimilitudine utriculoſum duriore, ſolidioreque cartilagine, quam hucusque in aliis viderim, factum, aggeribus eminentibus & ſulcis inſculptis, dum adultum extus inæquale, intus non adeo coloratum, & materia unguinoſa viridi farctum, nec multum coarctatum.

Labellum vomeriforme eſt per marginem crenulatum medio eius centro rugoſo undulato.

Alia in HALLERO *bene.*

Obſervatio I. Hæc *rubiginoſa* Epipactis a præcedentibus omnibus veris Helleborinis (Epipactis enim *corallorhiza* a nemine helleborine vocata eſt) florum parvitate; II. cymba dura cartilaginoſa depreſſa unguentata & non, ut in aliis, mobili labello differt; Cymbæ in aliis erectæ manent nec dimittuntur, nec eæ in ſuo cavo ſcapum ſtaminiferum recipiunt totum ut in hac, ſed labello mobili ſolum contegunt; quare huic ut etiam ſequenti cymba amplior forte ultimo movenda ad ſcapum ſtaminiferum, cui articulatur, ſed non multum mobile labellum datum eſt.

Obſer-

Digitized by Google

Obſervatio II. Hanc ut etiam ſequentem Clariſſimus HALLERUS coniunxit, ſi vero definitionem ſecundæ & tertiæ epipactidis eius conſideres, has ſeorſim manere debere, intelliges. Poſſem, ſi vellem, differentias excitare plures, & certus affirmo, non eſſe varietates ab ætate natas floris virentis & purpuraſcentis ſeu rubiginoſi, tamen HALLERUM ſequar. Ergo.

b. *Epipactis viridans.* * Enumeratio * Elenchus.
Epipactis foliis amplexicaulibus ovato lanceolatis: cymba ampla, purpurea; labella vomeriformi, non ſerrato.
Elleborine flore viridante. PARK.

In montoſis *Badenſibus.*

Radix fibroſa fibris intertextis horizonti fere parallelis.

Culmus pube obſitus, viridis, inferne ſub vaginis albentibus ſtriatis foliofis ex viola purpureus, rectus, pedalis, cubitalis, brachialis & aliquando altior.

Folia ut in præcedenti veratriformia, alterna, infima, ut in priori abſciſſa, fine obtuſo prædita, alia latiora, hucusque amplexicaulia, ſtricta ad caulem conflexa, nervoſa, pulchre ſuperne viridia ſplendentia margine leniter piloſa, ſuperis lanceolato-ellipticis, itidem margine ciliatis.

Stipulæ folioſæ florum pedunculis ſuppoſitæ, latæ amplæ, etiam flore duplo, triplo longiores primæ, dein decreſcunt.

Florum ſpica ſpithamam fere, dum parva eſt, longa, pedem plerumque, dum magna eſt, longitudine excedit, ad 49 flores, dum numeroſi erant, numeravi. Hi non adeo in unum latus vergunt, ſed hic florentes etiam cernui ſunt, dum prioris plantæ eriguntur horizonti paralleli. Horum pedunculi debiles pube aſperſi leniter colorantur.

Ovarium præcedentis & antica facie compreſſum & dependens, ſed ex pallido herbaceum & minore pube obductum.

Flos quam in præcedente latior, maior, nunquam adeo purpureus, ſed magis ex herbaceo viridans, etiam in omnem partem patens, dum machina ſtaminifera depreſſior, ſine ſcapo nuda hæret, & recedentia longe concava petala figuram quadrati exhibent; cæterum externa tria petala extus virent & nervo exſtante convexo vix pubeſcunt, interne vero lineis herbaceo purpureis pinguntur: duo interiora fere tribus aliis

aliis latiora magis colorantur, & hæc aut albida ſunt, aut ex albidis leniter purpurea.

Petalum ſextum, ut in præcedente, in centro floris hæret, ſed declinatum, & deorſum dimiſſum poſt fœcundationem utriculum perpetuo gerit, quod ſiccеſcente planta iterum adſcendit. Eſt vero hic utriculus, quem cymbæ etiam nomine HALLERUS ſalutat, tympaniforme ſexti petali cavum duriori elaſticaque materie & quaſi cartilaginea factum, extus cum virore violaceum, intus atro purpureo & ſplendente glutine farctum, & aliquot lineis pictum; id anteriori facie deliquium patitur & ſupremis oris membranis albis marginalibus augetur, antrorſum in labellum vomeriforme terminatur. Labellum hocce explicatum, ut præcedentis, cordiforme ad utrumque apicis latus leviter exſectum ſuperne ex albo rubens aut violaceum, inferne magis albidum eſt, plerumque non eſt, ut in præcedente, crenatum, licet tamen etiam nunc invenerim.

Antheræ ochroleucæ aut luteæ, bilamellatæ, uni pedunculo brevi hærentes, duæ.

Glans ſulcata inferne cavo recipiente minor.

Pectus unguentarium, huic enim magis, quam foveæ, ſimile latum oblique adſcendens, inferne in facie anteriori arcu tuberculis finito inſtructum, ſuperne globoſa eminentia, ſulcum glandis moderante, lateribus claviculis inſtruitur & qua parte glans inſidet, ex anteriori facie in poſticam obliqua ſectione truncatur.

Ovaria, ſi colorem ſpernis, priori ſimilia, craſſula parva, globoſo-ovata, ſi fuerint matura.

c. *Epipactis varians.*

Locis umbroſis ſylvæ *Dornbach* 25 Iulii 1767 nondum florentem abunde inveni, dum in aliis in Baden nullus flos amplius conſpiceretur.

Radix ſane, qualis nulla præcedentium, altiſſime in terram argilloſam defixa, ut vix erui potuerit. Eſt hæc de geniculo intorto ad geniculum ſquamoſa ſquammis emarcidis nigris, ad geniculos omnes ſæpiſſime nodoſa hinc inde etiam fibroſa.

Caulis ultra pedem ſæpe in terram demiſſus, ibi rotundus, albens ſquamis facile marceſcentibus cinctus, ſæpe tamen etiam ex albo car-

neus & rubens viſitur. Hic extra terram erectus pedem medium, unum etiam cum dimidio aſſequitur, variantis, prout vertitur, colloris, ex viridi triſte ſubceruleo-rubentis. Eſt ſubhirſutus, conſtanter ante floreſcentiam in arcum flexus, cernuus.

Squamæ ſtriatae inferiorem caulis partem quandoque etiam ſupra medium vaginant.

Folia tria ad 5. ampla, amplexicaulia prima, alia ſeſſilia ſubtiliter venoſa, venis ex rubro caeruleſcentibus percurſa, facie minus, dorſo magis colorata, ex ovatis lanceolata omnia & margine ciliato, & retrorſum hiſpida.

Spica nutans ſemper ante floreſcentiam, parte caulis florigera caeruleo rubente, villo quaſi farinaceo aſperſa, longisque bracteis lanceolatis, etiam leniter coloratis folioſa.

Pedunculus germen ſuſtinens ad angulum fere rectum é caule egreditur bracteamque aliquantulum deprimit.

Flos nondum explicatus exiguus, triquetrus, viridis angulis magis coloratis; petalis quinque acicula abiectis ſexti erecta ventricoſa cymba inferne lingua fulta conſpicitur, labellumque cymbæ articulatum album vomeriforme glandem totam contegere ſpectatur. Glans anteriori facie viſa reclinata quaſi cordiformis eſt, medio ſulco diviſa; unguentariæ pelveos anterior ſuperiorque margo magis oblique adſcendit & in medio globulum elevatum, qui ſulco glandis cordiformis aliqua parte recipiatur, poſſidet. Eiusdem unguentariæ pelveos inferior pars ſemilunatum aggerem poſſidet tuberculis duobus, ſeu utrimque unico finitum, qui verticularum in modum poſticæ cymbæ oræ quadret, ut illi commiſſa erecta coniungatur ante floreſcentiam. Poſteriores hæ partes etiam in florentibus eadem facilitate videri poſſunt.

Flos explicatus cernuus exactiſſime prioris *viridantis*. Ergo petala tria externa magis viridia, nervo dorſo exſtante triangulo-canaliculata, duo interiora albida magis, omnia vero patentia habet.

Sextum petalum duabus conſtituitur partibus, cymba pro flore ampla cartilaginea ſuperne albido margine cincta, intus unguentata unguento tempore colorando ſplendente; altera pars vomer eſt, ex cymba ortus, ſulcum duasque tuberoſas eminentias habet vel roſeas vel magis purpureas, dum ipſe totus magis albeſcit.

Scapus

Digitized by Google

Scapus ſtamineus vix adeſt toto in unguentatum pectus antrorſum oblique adſcendens, ſuperne retrorſum & deorſum truncatum, duobus loculis mediaque dividente linea, quæ anteriori in margine in globulum abeat, abſumpto.

Antheræ flavæ, duæ, ex duobus ad ſe appreſſis pyris obcordatæ, globulo huic unguentato pariter apice adhærent.

Obſervatio I. Licet in radice & foliis variantis omnino coloris, etiam quam in præcedente tenerioribus, non adeo veratriformibus, nec duris nervoſis prima fronte maxima obvertatur differentia, tamen una eademque planta eſt, nec videtur nunc mihi ab his diverſa *rubiginoſa*, quæ non adeo ætate, quam ſolis expoſitione ita mutatur; cum enim in umbroſis ſatis ſylvis habitare hæc planta amet, nunc vero ſæpe accidat, ut hæ cædantur & in ſole vitam ſuperſtitem degere planta debeat, magnam illi mutationem induci debere, mirum haud eſt.

Obſervatio II. Nunc etiam vere pronunciare poſſum, a labelli crenati aut emarginati margine non debere diſtingui ſpecies, iſtæ enim res vere tum ex ætate, tum ex inſectorum ore dependent ſæpiſſime.

6) *Epipactis repens.*
Epipactis foliis petiolatis, ovato-lanceolatis; floribus tetrapetalis, hirſutis. HALL. *ſpec.* 6.
Orchis minor, flore albo, radice geniculata. CAMM. Hort. icon 35. bona.
Pyrola acutifolia monanthos radice geniculata. LOES. icon 68. bona.
a. Pſeudoorchis radice repente foliis maculatis. MENZEL. *pug. plant. rarior.* T. III.

In margine ſylvarum locis muſcoſis Gans.

Non eſt ad manum recens, ut deſcribere poſſim.

7) *Epipactis ſpiralis.*
Epipactis bulbis cylindricis; ſpica ſpirali: labello crenulato. HALL. *ſpec.* 7.
Orchiaſtrum autumnale pratenſe ſpirale album odoratum MICH. *nov. Gen.* p. 30. SEGU. *ſuppl.* p. 252. T. VIII. F. 9.

Calcare nullo.

Labello bifido.

8) *Epipactis ovata.*
Epipactis foliis binis ovatis caulinis; floris herbacei labello bifido. HALL. *Orchid.* Epip. 12.

Digitized by Google

Ophrys FUCHS. MATTH. CAMER. RUOB. II. p. 226. icon commoda.
Ophrys bifolia. C. B. & trifolia. EIUSDEM.
Ophrys. FUCHS. GESN. SCHMIED. *op.* I. T. 12. F. 103. OEDER. *Dan.* Faſc. III. T. CXXXVII. bona.

In magno prato *Gans*, in alpibus *Breyninis*, in ſylva *Petzelsdorff*, in illis *badenſibus* minime rara.

Radix profunde in terram dimiſſa multum fibroſa fibris fere horizonti parallelis.

Culmus cubitalis, vidi tamen etiam brachiales, erectus, ſimpliciſſimus, inferne albus ex foliorum binorum vaginis, quæ a radice caulem magna longitudine amplectantur, & craſſior, & anguloſus raro media altitudine plerumque ſub ea foliis duobus latis ovatis plantagineis ſolum inſtruitur, nec aliis niſi minori hinc inde bractea una alterave marceſcente veſtitur: ſuperne extenuatus pube veſtitur & in ſpica etiam anguloſus eſt.

Spica prælonga raris & diſtantibus floribus; nuper tamen in meo hortulo culta ſatis denſa fuit & 52. floribus onuſta.

Pedunculi ſurrecti lineis ex ovario decurrentibus anguloſi, & ſurſum lateſcentes & pube leni obſiti & bracteis ex ovato-lanceolatis carinatis vaginantibus & brevi emarceſcentibus ſuffulti.

Ovarium rotundum pedunculo minus, tribus ſolum ſpecialibus lineis, quibus relaxatis ſemina dimittit, anguloſum, intermediis aliis tribus minoribus depreſſioribus quandoque etiam notatum, totum ex viridi luteſcit.

Flos ex viridante luteus. Petalorum quinque æqualium in galeam ora leni purpura perfuſam laxe conniventium externa tria interioribus duobus latiora, ob nervum maiorem ovarii, qui hæc percurrit, viridia magis.

Sextum petalum ex herbaceo flaveſcens intra duo exteriora ſæpe coercetur canaliculatum, duplo longius primo recta ſuſum ad machinam proliferam erigitur cum eminentia, dein arcu facto antrorſum dimittitur lateſcens medio nervo carnoſo magis, magis colorato inſtar aggeris elevato tumque in barbam protenditur bifidam longam. Calcaris nullum veſtigium vidi.

Machina

Machina prolifera fere præcedentium. Columna craſſa brevis poſteriori loco latam ſquamam habet, quæ complectatur aliam ſupremam, ſub qua antheræ ſint, & hæc prima differentia eſt; altera vero & hæc dicenda, quod antherarum ſuſtentaculum anteriori facie lingulam latam erectam habeat, ipſam ſquamam antheriferam ſurſum adigentem, quam lingulam aliæ quidem Epipactides non habent præter *nidum avis*, ſed quæ in hac ultima ſpecie longe anguſtior ſit.

Squama ſuprema externe convexa, interne concava eſt, lingula eodem modo ſe habet, ut cavum articulationi deſtinatum non repleatur; ſub lingula iſta coloratus unguinoſus arcus eſt & vulva de more gentis.

Antheras foliaceas obſervavi, ut ſunt antennæ ſcarabeorum.

9) *Epipactis Nidus avis.*
Epipactis aphylla labello bifido calcare deſtituto. HALL. *Orchid.* Epip. 13.
Nidus avis plerorumque Authorum.
Orchis abortiva fuſca. C. B.
Orobanche. GESN. *Op.* T. I. T. XIV. F. CXVII. T. 12. F. 104. OEDER. *Dan.* Faſc. IV. T. CLXXXI.

In ſylvis *Gans*, in glareoſis locis ſylvæ *Kaltenberg*, maxime in via hinc inde, in herbidis ſylvulæ *Incersdorff*, ſed rarius licet in his planta longe altior ſit, quam aliis, tum in ſylva *Pötzleinsdorff* &c. & etiam in alpes adſcendit.

Radix exacte CLUSIO expreſſa coralloideæ compagis, innumeris fibris cylindricis ſibi mutuo intertextis & mediæ placentæ carneæ circumfuſis conſtat.

Ex radice ad angulum rectum exortus *ſcapus* ſemipedalis, etiam cubitalis, adultus in locis aridis fere ligneus, in humidis fragilis magis manet, cæterum firmus, craſſus, anguloſus, foliis proprie non veſtitur, ſed vaginis amplis, laxis ſtriatis cingitur, inde ſordide albeſcit & quaſi ex carneo lignei coloris evadit.

Spica primis floribus diſtantibus laxa, dein magis denſatur.

Bracteæ lanceolatæ teneræ brevi marceſcentes in illis, quæ in alpibus collectæ fuere pedunculo & ovario multo longiores, in aliis vix ovarium excedentes.

Pedunculi erecti breves, ſurſum lateſcentes, ovario breviores.

Ovarium ex ovato trigonum ad barbam planius, ad galeam convexius, tribus evidentioribus (licet tamen quandoque ſex ſatis bene videantur) tribus depreſſioribus, iugis percurſum eſt. Hoc ſæpe in alterum annum perſtat hexagonum iuxta ac angulosum, lateribus, ut ſemen elabi poſſit, fiſſum, tumque adhuc machina fœcundans conſpicitur, ſolis dilapſis petalis & antheris.

Petala carnoſa, lignei obſoleti coloris, brevi vitianda, ſphacelanda, ovato-acuta, concava, quinque apicibus incurvis, integris, aliquando tamen crenatis in galeam obſcuriorem, patentem conſpirant. Externa tria ſemper longiora ſunt latioraque, dorſo ob elevatum nervum gibbera, interiora vero minora, ovata.

Sextum petalum ſ. barba omnium latiſſima; primo ampla pelvi, quaſi calcar mentiente, unguinoſa inſtruitur, dein anguſtata aſcendit, tumque lateſcens in crura duo finditur divaricata, quæ CLUSIUS recte expreſſit in icone *pſeudo-limodori.*

Machina prolificans fere epipactidum: ea alba columnaris eſt, ita tamen, ut ex lata baſi ſurſum anguſtata lateſcat iterum, & ex poſtica eius lateſcente facie ſquama procedat arcuata. l. nexa ovato-acutæ ſurſum convexæ, obtuſæque epiglottidi, aut operculo, quod in concavitate ſua duas gerat antheras, polline citrino aut flavo fœtas, mediante ſepto abditas diviſasque. g.

Hoc operculum anteriori facie non, ut in aliis huius familiæ ſtirpibus, cavo articulato inſiſtit incumbitque, ſed exſtat inclinatum ſupra ſquamam linguæ formem, quæ ſuberecta ſuſtineatur. Hæc ſquama linguæformis aut exactius hoc roſtrum anguſtatum. r. maxillam inferiorem aviculæ vere refert, latera enim utrimque elevata habet cavum ſulcum intercipientia, pro locandis antheris, & hæc medio exiguo aggere tanquam vomere diviſa eſt. vide T. 1. F. 2. c. eſt enim hæc nidi avis delineatio.

Tota hæc machina ex facili & brevi ſphacelatur, ut tota iſta anatomes non niſi vigentibus bene partibus conſpici poſſit. Cæterum inferior maxilla ad ſuperiorem (ambæ enim recte roſtrum obtuſum iunioris aviculæ conſtituunt) recurva, duobus externis ſemi arcubus in centro anteriori concurrentibus, unguinoſis ſuſtinetur & verſus ſuperiorem, quam recipit cava, verſus ſextum petalum vero aliquantulum covexa

&

& colorata conſpicitur, iamque vulvæ oram conſtituit, paulo enim inferiori loco iam via conſpicitur per columnam in ovarium finitam; etenim ſi in recenti flore ovarium premas ſpumoſius & glutinoſius humor exit.

Obſervatio. Machinæ proliferæ *Nidi avis* & *ovatæ* Epipactidis a congeneribus differunt, quod in anteriori facie ſuſtentaculi antheriferi lingulas ſeu epiglottides habeant, antherarum obliquum & altiorem poſitum continuo efficientes. Cæterum etiam inter ipſas has differentia ſequens eſt, quod *nidus avis* caput habeat glandiforme carneum ſpongioſum, antheras abdens; *ovata* vero ſolum ſuperexpandat antheris ſquamam latam, antheras non adeo recondentem, quam tegentem, & alia fabrica eſt.

Calcare donato.

10) *Epipactis Epipogum.*

Epipactis caule aphyllo, flore reſupinato, labello ovato lanceolato, calcare obtuſo turgido. HALL. *Orchid.*

Epipogum GMELINI *Flor. Sibir.* p. 12. T. II. F. 2.

In ſylvis ſubalpinis Henſht.

Periit allatum, ut deſcribere non potuerim.

GENUS III.

439. ORCHIS.

Orchis, Ophrys, Satyrium, Herminium, LINN.

CHARACTER in capſulis antheriferis duabus, galeæ fixæ, ſedenti incluſis, vertitur, vide icon. T. I. F. 7. a. b.

Hæc ſingularis ſtaminea machina conulos duos iuxta longitudinem ſibi appoſitos, relicto aliquo a puncto contactus baſium ad apices ſpatio vacuo, tam conulorum in apicibus ad aliquot intermedium exſtans ſupra cavam floris faucem tuberculum, confluxum, recte in pleriſque repræſentat, in aliis vero aliquantulum magis diſtant hi conuli, ita vero HALLERUS ſeſe explicat. „Genus orchidis in ſtaminibus conſtituo, „quæ habet petiolata & in proprios membraceos cucullos recepta. „Facilis character eſt, quem multiformis natura petali ſexti daret, dif-

„ficil-

„ſicillimum, radices obſcurum, neque floris fabrica repetitum. Ophry„des, quas admiſerit LINNAEUS ob calcar nullum, & Satyrium ob cal„car breve, non magis ob orchidibus has plantas ſeparant, quam an„tirrhina a Linariis. Vere enim omnes, quas ad orchidem refero, „plantæ, aut calcar habent, aut certe foveam, quæ calcaris ſit initio, „ut in ſpecie 1. 2. & cum ſecundo ordine continua progreſſione conti„nuantur, cui calcar eſt breviſſimum.

Calcare nullo.

1) *Orchis monorchis* * * *Elench. Enumerat.*

Orchis coleo ad caulem unico; petalis interioribus, externis longioribus.

Orchis bulbo globoſo unico, labello cruciformi. HALL. *Orch.* 1. labello haſtato GMEL. *Sib.* I. p. 18. T. 4. F. 1. labello trifido cruciato LINN.

Orchis odorata moſchata ſ. Monorchis C. B. *in meis odorati nihil.*

Orchis coleo unico ſ. monorchis floſculis pallide virentibus LOES. *pruſſ.* 184. T. 61. cum iisdem floſculis, ſed trifolia SEGUIER. II. p. 131. T. 16. bene.

Monorchis MICH. 30. T. 26. RUP. *ien.* 411. T. 2.

b. Orchis lutea hirſuto folio. C. B. *pin.*

c. Triorchis lutea glabro folio. C. B. *pin.*

d. Triorchis lutea altera. C. B. *pin.*

e. Monorchis bifolia flore pallide virente pruſſica MENZ. *pug.* T. 5. F. 5.

Orchis puſilla, pallida odorata VI. CLUS. *pan.* 239. OEDER. *Faſc.* II. *danic.* T. CII. *bene.*

In uliginoſo prato *Gans* olim legeram, & decem læte florentes ſtirpes cum terra ex *Gans* miſit Rizothomus 7. Auguſti 1766. & 1767. abunde in ſubalpinis *Breyn* minores, & alpinis maiores inveni.

Teſticulus rotundus unicus cauli adſtans, fuſco rubens aut exactius leoninus non albus, tamen diaphanus haud profunde terræ immergitur; alium per oblongum filamentum priori iunctum terræ altius irradicatum, qualem multi pingunt & HALLERUS deſcribit, non vidi, forte incuria Rizothomi reſectum; ſed prior ſuprema eius parte, qua caulem erigit, fibras aliquot albidas ſimiles, ac aliquando in caudice habet, fundit.

Culmus palmaris pedalis, altiorem enim non vidi, tenuis rotundus mox ſupra terram foliis duobus vaginantibus alternis canaliculatis lanceolatis veſtitur, inde ab ultimo longe nudus usque ad ſpicam eſt, raro enim bractea una alterave veſtitur.

Spica

Spica florigera pro parvitate plantæ ſpectabilis.

Bracteæ argute lanceolatæ ovario breviores.

Ovaria brevi pedunculo orta, cauli appreſſa, oblonga fine recurvo horizonti parallelo ſuſtinent flores ochroleucos ſeu herbacee flavicantes, oblique nutantes petalis lanceolatis & quaſi prima fronte digitatis præditos.

Petalorum ſupremum horizonti parallelum ex latiori baſi in apicem anguſtiorem deſinens, brevius machinam ſtamineam quaſi deprimit; duo interiora longiora ſunt lanceolata: duo extima his breviora, ut adeo tria exteriora breviora, duo interiora longiora obſerventur.

Sextum ex horizontali recurvoque ovarii fine ortum primo quaſi calcaris rudimentum molitur, dein vero deorſum ventrem in cymbam protendit, tum anguſtatum ad ſuperiora conflexum horizonti parallelum fere fertur, trifidum iam, medio ſegmento longiſſimo, omnibus acutis.

Machina prolifera ab inflexo ovarii fine tribusque ſuperioribus petalis depreſſa duas burſulas conicas exhibet antheris fœtas brunnis. Marceſcebat primo petalum ſextum & recurva ovarii admodum tenera particula ab ovario facile ſolvebatur, quod in ſociis non vidi.

Obſervatio. Suam Orchidem ſemper trifoliam fuiſſe, quam MENZELIUS ſolum biſoliam inveniret, obſervat SEGUIERUS. Mea ſpecimina etiam ſolum bifoliarum fuere, ſimilia etiam GMELINUS, cui noſtra ex aſſe conveniunt, pinxit; at hic Vir eruditus ſimul etiam notavit, ſe formam floris ſolerter & ſæpe indagaſſe, dumque chartas ſuas relegeret, fateri coactum fuiſſe, ſuas obſervationes cum deſcriptione generica LINNAEI & icone MICHELII melius convenire, quam cum deſcriptione HALLERI. Ego vero, ni multum imaginationi indulgeam & formam in flore aliam, quam eſt, creem, non video, cur potius cum LINNAEO, quam HALLERO teneam; equidem etſi petala tria cuculli ſubrotunda non ſint, ut dixit olim HALLERUS & iam in Orchidum claſſe correxit, tamen nec ea etiam ſurſum connivent, ut vult LINNAEUS, quin depreſſa maxime conſpiciantur, minus adhuc æqualia ſunt, nec, quod nectarium vocat, carinatum invenio in meis; piſtillum fingi debet & germen minime contortum viſitur, ut alia taceam. MICHELII icon laudabilis, ſi ita petala pateant in illis regionibus.

Et nunc etiam recte obſervaverat HALLERUS *Enumerat.* ob figuram petalorum, quorum brachia ad angulos rectos exſtarent, diſtinxiſſe LINNAEUM, ſed in tanta varietate figurarum, quas adfectant Orchidum labella, hanc præferri debere novoque generi ſufficere, non videri.

Obſervatio. His omnibus iam per annum ſcriptis, in incipiente ſylva *Wetterkugel* 1767. plurimas inveni ſemper bifolias, 4. 5. digitis non altiores, vidi tamen etiam in aliis alpibus maiores, trifolias

2) *Orchis graminea.*
Orchis bulbis ovatis, foliis ſubulatis, ſcapo nudo humili, flore cernuo.
Orchis radicibus ſubrotundis, labello ovato, utrimque denticulo notato. HALL. *Orch.* 2. calcare nullo foliis longis & peranguſtis. *Helv.*
Chamæorchis alpina gramineo folio. C. B. *prodr.* p. 29.
Ophrys bulbis ovatis ſcapo nudo, foliis ſubulatis, nectarii labio indiviſo obtuſo utrimque unidentato. LINN. *ſpec. ult. edit.*

In ſummis ſcopulis *Schneberg*, ubi in Sau-planken conſpectus, inter ſaxa, terra pingui tamen obſita.

Radix teſticulis conſtituitur duobus ovatis albis iuxta longitudinem ad ſe poſitis & fibris capite cœptis; inde vaginæ niveæ duæ tresve & folia & ſcapum arcte, donec e terra emergant, amplectuntur, includuntque emergentia folia, ſolvuntur a ſcapo, ſoluta patulo in eundem denuo frequenter incurvantur.

Folia radicalia graminea croci, linearia, carnoſa, carinata ex viridi flavicantia, etiam ipſa ſpica altiora, aut exigua ratione minora.

Scapus erectus nudus humilis ad 3, 4ve digitos altus, pro altitudine plantæ craſſus, eminentibus lineis modo obiter, modo evidenter magis anguloſus brevem denſamque ſpicam gerit.

Stipulæ arcuatæ carinatæ, lanceolatæ firmulæ ovario in infima ſede longiores multo, in ſuprema pares.

Ovarium in alis ſtipularum ſeſſile coloratum contortumque ſæpe, ex herbaceo flavo purpuraſcens, ſcapo appreſſum, & tribus lineis evidentius aggeratis trigonum, ad barbam planiuſculum, ad galeam gibberum, in ſummitate incurvum eſt cornuque emittit, cui circum circa petala accreſcant, ita quidem, ut ovarium ſuperne pedunculatum eſſe contendere poſſis.

Floris

Digitized by Google

Floris depreſſi cernui petala 5. in galeam conſpirant pariter depreſſam; tria exteriora duobus interioribus maiora ſunt ovato-lanceolata & ſupremam quidem operculi vices agens alia tegit, lateralia duo auriculis quaſi lateralibus augentur; contra interiora duo lanceolata reflexis apicibus a ſuperioribus, ut vix diſtincte per ſe videantur, coercentur, externe ex herbaceis atra, interne flaviſcantia magis & ſeſe circa machinam proliferam decuſſantia.

Sextum petalum evidentius flavicans primo iuxta machinam ſtamineam erigitur, & huic ſuam cymbam offert, dein anguſtatur lateribus depreſſis, tum arcu facto erectis iisdem lateſcit & nunc quaſi undulatis longitudine fere ovarii, cui appreſſum eſt, deorſum fertur. Cæterum ita factum eſt ſextum hoc petalum, ut ſtatim in ſui exortu lateralibus duobus dentibus inſtructum viſatur, dein adhuc novis ultra medium inſtruatur, dum fine lanceolato integro totum petalum finitur.

Machina ſeminalis gentis, ſed depreſſa in cymbam ex atra purpura leniter coloratam.

Obſervatio I. Denticulos illos ſæpe non adeo evidentes eſſe, & medium aggerem ex cymba viridem in medietatem - - - - decurrere, etiam ad finem & ad initium ſexti petali margines reflexos eſſe; hæc omnia in numeroſis exemplaribus vidi.

Obſervatio II. Diverſitas ſpicæ & labelli plantæ helveticæ dubium HALLERO iniecit, num omnino de ſua planta LINNAEUS loquatur, ut etiam in nota, huic plantæ adiecta, prior Illuſtris Vir interroget; & nunc reſpondeo, locutum eſſe & in noſtris alpibus florum ſpicam non adeo numeroſis floribus ornari, ipſum etiam labellum variare, ut in frequentibus exemplaribus me obſervaſſe paulo ante innui, eamque rationem eſſe, quæ me, ut aliter definirem, moveret.

1) *Orchis inſectifera.*

Orchis radicibus ſubrotundis; caule folioſo, ſpicæ raræ labello holoſericeo, margine conflexo, apice ſecto.

Orchis muſcæ corpus referens ſive galea & alis herbidis c. B. bonum nomen. VAILL. T. XXXI. F. 17.

In montibus *badenſibus*, & hinc inde in pratis non infrequens.

Radices teſticuli duo, ovati, ſupra quos fibræ de more gentis.

Caulis pedem, & ultra altus, erectus, firmus, anguloſus, folioſus, aliqua ſub ſpica longitudine nudus.

Folia albis vaginis caulem cingunt; ſunt hæc ad radicem lata, ſatis patentia, & quaſi ſub epidermide teſſelata, alia caulem vaginant longa ſatis, convoluta, anguſta, lanceolata.

Bractea ovarii longitudine, aliquando maiores, lanceolatæ, naturam foliorum habent & convolvuntur.

Spica floralis rara 4. 8. florum.

Flos mirus muſcam referens, primo dilute olivacei, dein fuſceſcentis, ultimo atropurpurei coloris.

Petala tria exteriora obtuſe lanceolata virent, & veram calycis naturam a duobus interioribus diſtinctam habent. Duo interiora minora lanceolata, teneriora, primo quidem virent, dein vero fuſceſcunt & criſpantur: coloris labelli, atropurpureos non vidi, licet id obvenire putem. Cæterum etiam in fæcundationis actu laxa ſunt, & poſt eum reflexa patent exteriora; duo vero interiora facile dilabuntur.

Machina ſtaminea aliarum more conſtructa, id diverſitatis patitur, quod, quoniam externa hanc adeo negligenter cingunt petala, dorſum habeat ea, qua medium externorum ſpectat, parte, aggere eminente viridi, ſæpe etiam ex purpura colorato, auctum, in certius ſtamineæ machinæ fulcrum. Machina hæc inferius coanguſtata, dein lateſcens, quaſi impoſitam foveæ unguentariæ militarem galeam facit, & partibus modo explicatis ſimul ſumptis, caput aviculæ non obſcure repreſentatur.

Cuculli duo, dorſo lamina aggeris modo explicati cinguntur, quæ latere exſecta ſit, & anteriori parte roſtrum formet.

Antheræ ſtaminibus arcuatis flavis nixæ, aliorum more granulis flavis in modum pyri aggeſtis conſtant.

Labellum miræ fabricæ calcar nullum molitur, nullo eius in omnibus meis floribus veſtigio, ſed ſtatim ex fauce unguentariæ foveæ incraſſatum & atropurpureum holoſericeum eſt, ad lateraque duos tumores habet eminentes, ſplendentes nitidosque, tanquam coleopterorum oculos; inde deſcendit & utrimque anguſtatur etiam margine depreſſo & in lateribus anguloſo; tum porro iterum aſcendit & antrorſum elevatur & utrimque monticulum unum erigit, parte exteriori pilis hiſpidum, interiori glabrum.

Media

Media labelli portio, inter modo explicatos colliculos nitida, ſplendensque viſitur, & ibi quandoque unus ſulcus, quandoque intercurrente aggere holoſericeo duplex viſitur, in hac re enim multum ludere natura ſolet. Cæterum labellum convexum eſt, ora undique depreſſa & ubi anteriori facie in mentum abit, fiſſum eſt, nulla ſpinula obſervabili.

Ovarium ſpectabile non intortum, ut in aliis, ſed incurvum, ſex coſtis percurſum, Epipactidum.

Obſervatio. Eſt ne hæc orchis quarta HALLERI, labello biſulco, brachiolis brevibus ſubulatis? brachia anxie quæſivi, tum in maturis, tum immaturis floribus, ſed ſemper incaſſum. Et noſtra nunc deſcripta orchis certe non eſt Ophrys bulbis ſubrotundis ſcapo folioſo nectarii labio ſubquinquelobo LINN. *ſpec.* 15. ex GOUAN. *Monſp.* 473. Labellum craſſioris, ſed facile frangendæ eſt fabricæ, & poſſet in plures etiam lobos frangi.

4) *Orchis fuciflora.* * Enumeratio * Elenchus.

Orchis radicibus ſubrotundis; labello holoſericeo quadrato, infimo proceſſu luteo furſum conflexo.

Orchis fuciflora galea & alis purpuraſcentibus BUXBAUM. *Cent.* III. T. XXIII. bona.

Orchis araneam referens C. B. VAILL. T. XXX. F. 10. 11. SEGU. *ſuppl.* T. VII. F. 1. bona.

Orchis radicibus ſubrotundis; labello holoſericeo emarginato, medio proceſſu breviſſimo. HALL. *orch.* 5.

Orchis VII. fucum referens maior foliolis ſuperioribus candidis & purpuraſcentibus C. B. *pin.* bonum nomen. RUDB. *Elyſ.* II. p. 199. icon commoda totius plantæ, etiam cum maculis hieroglyphicis.

In prato montoſo *Pötzleinsdorff*, in depreſſiori *Ottackling*, & aliis.

Radices teſtes duo.

Caulis ſpithamam, pedem altus, erectus anguloſus.

Folia albis vaginis caulem cingunt & ipſa etiam albent teſſelata, maxime quæ marceſcunt.

Bracteæ ovariis longiores, naturam foliorum habent, convolvuntur, & albent.

Spica 3. 4. florum.

Petalum ſupremum obtuſum eſt, duo exteriora lateralia ovato-acuta, quaſi in crucis modum patent; hæc vel alba ſunt, vel ex albo roſea,

 nervo

nervo medio viridi percurſa & ob hunc concava. Interiora vero duo cum exterioribus nullam proportionem ſervant minima enim altitudinem cucullorum nunquam æquant, ſuntque herbacei magis coloris.

Machina fœcundans flavicat, eadem ut prior præſidio munita, & roſtro, & aviculæ capite, cuius calvaria galeam militarem repræſentet.

Capſulæ ſeminales aviculæ caput ſtricte exprimunt, cuius viride ſit roſtrum, oculi vero flavicent magis.

Labellum a præcendente diverſitates habet plures, nam etiamſi ſtatim ex fauce unguentarii receptaculi incraſſatum holoſericeum fiat, & illos coleopterorum oculos poſſideat, tamen nec tota circumferentia reflexum eſt, ſed potius quadratulum format cauda minima ſurſum inflexa inſtructum, & colliculos duos viridantes, quorum intermedia regio notis & ſignis hieroglyphicis pingatur conſtanter, poſſidet.

Alia prioris ſunt.

Obſervatio. Hanc præcedenti coniunxit LINNAEUS, contradixit HALLERUS, ego indifferens ſum, ſed certum eſt, hac LINNAEI definitione *bulbis ſubrotundis ſcapo folioſo, labio quinquelobo* nullam concludi, ſuperſedeat igitur demonſtrationi HALLERUS.

Calcare breviſſimo.

5) *Orchis hircina.*

Orchis radicibus ſubrotundis labello longiſſimo, ſpiraliter cincinnato, apice dentato, tripartito plicato. HALL. *orchis.* 7.

Orchis barbata ſætida. I. B. *Hiſt.* II. p. 756. VAILL. *Paris.* T. 50. F. 6. SEGUIER. T. 15. F. 1. RIV. *hexap.*

Orchis barbata odore hirci, breviore latioreque folio. C. B. *pin.* MOR. III. p. 491. *ſect.* 12. T. 12. F. 9. RUDB. II. p. 195. icon bene.

Tragorchis teſticulus hirci. DOD. *pempt.* p. 237. bene.

In campeſtribus montoſis apricis montis *Leopoldi*, quo in *Clauſtro neoburgum* deſcenſus eſt, ad ſepes vinearum non rara; in fruticeto montano *Badenſi* nonnullis locis, copioſe ante ſylvulam ceduam *Ottackling*, rarior etiam in pratis *Gatterholtz*, ad ſylvarum *Enzesdorff* margines aliquando reperitur.

Radices teſtes duo, ovat icraſſi cum fibris ſupernis.

Scapus cubitalis & ultra maculis ſanguineis ſæpe pictus.

Folia

Folia & ad terram conferta & totum ſcapum vaginantia vaginis albentibus: ſuprema ſeſſilia ſunt bracteis propiora.

Spica florum prælonga ſub ſingulo flore bracteam gerit ovario paulo longiorem in meis idque ſatis conſtanter, cætera debilem cavam, ſanguineis maculis conſpicuam.

Ovarium intortum ex albo virens, utroque fine coanguſtatum, ventre ſuperiora verſus aſſurgente, tumidulo, & tribus nervis percurſo.

Flos mirus eſt: ſuperiora omnia petala exacte in galeam conſentiunt poſtica cavam, lateribus anguloſam, anterius oblique ſectam. Equidem primum & ſummum petalum aliquantulo lateralibus externis minus, concavum, erectum, rigidulum, depreſſiore utrimque in lateribus linea ſeu plica duo adiacentia lateralia recipit, quæ huic plicæ ſua arcuata ſuperiori loco vix concurrentia, & exiguum hiatum relinquentia ſegmenta accommodent, dum nervi ovarii in tria hæcce petala protenſi his firmitatem ſtabilitatemque fabricæ largiuntur maiorem.

Petala duo interiora in linea coniunctionis priorum trium erecta ſupremi etiam petali fornicem ſuſtinent, huic inſerta & fine exſtantia; cæterum elliptica & anguſta magis.

Colorem horum omnium quod ſpectat, tenendum petala tria externa, extus ex albo ſubvireſcere galea & margine & ſummitate purpureis lineis etiam maculis picta: intus alba magis eſſe, purpureis tamen lineis modo integris, modo abruptis ut & punctis & maculis variegari. Duo interiora magis viridia ſunt, lineis tamen purpureis æque pinguntur.

Sextum petalum admodum in hac ſpecie compoſitum videtur, dum infra machinam proliferam lateraliter deorſum deſcendens triangularis eius origo ex ſupremis petalis duo lateralia ſibi adnectit, & articulo quaſi committit; equidem his petalis ſexti originem modo deſcriptum articulatum crederes, dum calcaris depreſſione labellum deorſum, eius elevatione ſurſum agi conſpicis. Sed nunc ad propriam & conſpicuam ſexti petali fabricam accedam magis.

Hoc igitur in ſuprema ſui infra foveam antea memoratam parte canalem inſculptum gerit foramine in breve obtuſum calcar patulum: lateraliter vero fimbriatas purpureas alas, quæ in contorta plerumque brachia abeant, poſſidet. Nunc, ubi anteriori loco canalis finitur, craſſeſcit ſurſum gibberum pube tam albida, quam purpurea variegatum

&

Digitized by Google

& tandem in caudam finitur longiſſimam ſordide ex brunno violaceam, apice bifidam.

Machina ſeminalis orchidum, ſed exigua, firma tamen. Ea duos loculos dilute coloratos habet & inferna ſede, qua ad ſe mutuo inclinant loculi clitoridis ſpeciem in labrum, quod ſupra foveæ unguinoſæ ſeu vulvæ marginem exſtet, terminatam.

Antheræ duæ rotundæ olivacei coloris ſtaminibus duobus concurrentibus & cohærentibus aureis ſuſtentantur, concurſus ſtaminum viſcedine glutineque labri paulo antea deſcripti certo capitur & ſuſpenditur, ut vulvæ antherarum pollen certius tradatur.

Floris odor hircinus eſt, & preſſo ovario fovea unguinoſa humore glutinoſo repletur.

6) *Orchis alpina.*

Orchis radicibus confertis cylindricis, labello trifido ſ. trifurco, calcare breviſſimo. HALLER. *Orch.* 8.

Orchis palmata alpina ſpica denſa albo-viridi. HALL. *opuſc.* 149.

Orchis palmata palmis inverſis flore albo. LOES. p. 182.

Pſeudo-orchis alpina flore herbaceo. MICH. *gen.* 30. T. 26.

Limodorum montanum flore albo dilute vireſcente. CHOMEL. *Mem. de l'Acad. des ſciences.* 1705.

Helleborine Broccenbergenſis. RIV. *hexap.*

Orchis palmata montana latifolia, floribus in ſpica denſis albis, tantillo luteo admiſto. RAI. & OEDER. *Flor. Danic.* T. CXV. *bona.*

In *Sau-plancken Schneberg;* in ſylva *Hengſt*, qua ex alia parte itur ad *Schneberg*, in *Breyninis* &c.

Radices conſtituuntur cylindricis & divaricatis digitis aliquando vagina, ſcapi brevi intervallo cœptis, quod in numeroſis meis exemplaribus ter obſervavi, ſæpius vero hac carentibus.

Scapus unicus plerumque ſolitarius, quandoque etiam iunioris rudimento ſtipatur, inferne multum, ſuperne minus folioſus, magis anguloſus in univerſum 5. 6. foliis veſtitur.

Folia inferne caulem exacte vaginant, nervoſa hæc, leviter canaliculata, ſæpe lata, profunde viridia & ſplendenti vernice, ut in Orchide *viridi* prædita, infimorum fine magis rotundato, aliorum lanceolato magis.

Bractea

Bractea una ſolum, quandoque duæ ſeſſiles, vidi etiam duas oppoſitas & flores ut in caſſidis geminos.

Spica præ altitudine plantulæ minime longa, primo rarior, dein denſata ſtipulis ſuffulta ovato-lanceolatis ovario longioribus, & in illis ſtirpibus, quæ in ſylva *Hengſt-Schneberg* numeroſæ collectæ ab HARTMANNO ſuere, flores etiam ſuperantibus.

Ovarium in bractea ſeſſile collo antrorſum inclinatum, flores fert minimos &, ut recte HALLERUS monuit, horizonti parallelos, ut labellum nihil deſcendat ochroleucos aut albidos, vidi etiam in Breyn niveos.

Petala ut in pratenſi, ſed minora & aliquantulum aliter conſtituta, non magna tamen diverſitate, niſi quod in hac minora omnia & duo lateralia extima laxe in galeam conniveant, quæ in alia brachiata extenſa ſint; tum tertio demum, quod in pratenſi barba lata deflexa hic nimirum horizontalis viſatur.

Petala igitur tria, ſupremum ſcilicet cum interioribus duobus, æqualia fere in galeam apicibus conflexis haud erectam, ſed depreſſam aliquantulum conſpirant; lateralia duo extima aliis æqualia latus galeæ ſuſtinent, apiceſque etiam reflexos habent, & hæc ſunt, quæ labellum coercent, ne adeo propendere poſſit.

Labellum ſexti petali rectum fere, breve, & trifidum, trifurcum, laciniis lateralibus acutis media obtuſiore: poſtice in albidum calcar abit, dimidii ovarii longitudine fine ab ovario recurvo obtuſo.

Machina ſeminalis conſtituitur capſulis pyriformibus flavis clitoride ea, qua vulvæ inſiſtunt parte, ſeparatis.

Antheræ flavæ ſunt; & levis odoris planta eſt in nonnullis ſpeciebus, quem in aliis non inveni, vidi etiam colorem multum variare.

7) *Orchis miniata.*

Orchis radicibus palmatis flore reſupinato, inverſo; calcare breviſſimo. HALL. *orch.* 9.

Palma Chriſti minor. CAMER. *epit.* p. 627. *bene.*

Orchis palmata anguſtifolia flore nigro. C. B. *pin.* 86. SCHEUCHZER. *itin.* I. p. 45. *itin.* IV. p. 339. SEGUIER. p. 133. T. XV. F. 17.

Satyrium foliis linearibus. ROY. *prod.*

Palmata anguſtifolia flore ſupinato calcare breviſſimo. HALL. *opuſc.* 228.

Ubique in alpibus, in *albula-Schneberg*, in eius diverſis iugis, in alpe *Breynina*, & aliis quatuor adiacentibus.

Radix plus minusve, aliquando tamen ſatis imperfecte palmata cum fibris ſuperiori a palma parte ut in orchide *viridi* profectis.

Scapus vix ſpithama multo maior, ſæpiſſime minor, inferne multis vaginantibus foliis cinctus vaginis albentibus, cæterum ſtriatus.

Folia graminea anguſta croci canaliculata longa orchidis *alpinæ*, ſcapum adhuc vaginantia, ſuperiora pollice infra ſpicam minora & ut bracteæ ſeſſilia.

Flos in his ſpeciminibus, numeroſa enim vidi, vivide, in aliis ſaturate purpureus, in ſpicam brevem denſam manifeſtius conicam colligitur bracteisque baſi fulcitur, plurimis etiam purpuraſcentibus & flore maioribus ariſtatis. Cæterum fere exactius liliaceus eſt primo conſpectu, petalis in eodem ordine in ſemicirculum patentibus, lanceolato ellipticis concavis, niſi quod inverſus ſit.

Supremum in flore inverſo petalum hic labellum eſt, id longiſſimum acuminatum, latiſſimum ſimul, conflexum, concavum inferne calcar breve, minus quam petala coloratum, edit.

Lateralia duo petala, ut & tria alia inferiora, quæ alias in aliis galeam conſtituunt, elliptice lanceolata, longa ſunt, & ſatis paterent, niſi ex denſitate ſpicæ impedirentur.

Machina ſtaminea familiæ, ſed exigua, & difficulter etiam microſcopio patens.

Cuculli cum antheris flavicant.

Pelvis unguentaria latis eminentibusque marginibus purpuraſcentibus cœpta eſt.

Fructus facmiliæ.

8) *Orchis Halleri.*

Orchis radicibus ſubrotundis ſpica denſiſſima petalis exterioribus ariſtatis. HALL. *Orchid.* 10.

Orchis rotundus. DALECH. *Lugdb.* p. 1556.

In *Schneeberg.*

Bulbi oblongi, conici craſſi multis fibris ſuperne donati non palmati, nec trifidi, duo tresve.

Scapus firmus ſatis, pedalis, etiam cubitalis, folio longa, craſſa habet, quorum primum plerumque ſolum ſcapum involvat, alia vero, quæ ſequun-

ſequuntur tria raro autem quatuor minus, ultimo ſæpe ſpicam attingente in illis ſpeciminibus, quæ ſpicam albidam poſſident, non itidem in illis, quæ dilute purpuraſcenti colore gaudeant, quales diverſitates frequenter mihi noſtræ alpes exhibuerunt; hæc folia accipiunt ſeſſiles bracteæ ad ſpicæ baſin magis confertæ.

Spica immatura in albida ſpecie ariſtas exhibet a petalis adhuc clauſis profectas albas, fine lateſcentes ſpatulatas, ſeſe decuſſantes, inter pares ſtipulas herbidas exſtantes, tumque tota ſpica herbida apparet & ariſtata: dum vero eadem floret matura, latiſſimam baſin habet, cui brevis florum bracteis pariter eminentibus diſtinctorum conus inſideat, quæ res in ſpecie purpurea non adeo exacte animadvertatur, cum ſtipulæ inter immaturos flores in hac etiam leniori purpura colorentur.

Cæterum ſpica integre florens in baſim latam compreſſo apice capitata quaſi apparet & in dilute purpurea illa ſpecie in centro albidior & quaſi calva creditur, quod in meis ſpeciminibus conſtanter obſervavi.

Flores frequenter inverſi, ut labellum ſpicæ centrum reſpiciat, galea ab eo recedat & in circumferentia hæreat.

Petala ita ſe habent, ut exteriora tria concava erecta ſint, ſicque machinam proliferam provida defendant; ut ſint fere ovata, & ex ovato fine in ariſtam tenuem longam, quæ demum ultimo in ſpatulam latiorem & rotundiorem dilatetur, attenuantur: ariſtæ vero hæ in alba ſpecie petalorum longitudinis, in purpurea longe minores, ſæpe ſeſe crucis in modum decuſſant, ſæpe tamen etiam deflexæ laxæque victo iam flore & patentibus petalis viſuntur.

Interiora petala duo præcedentibus longe minora ſunt, lata tamen & concava & erecta fructificationem contegunt, & ariſtis brevioribus donantur.

Sextum petalum ex brevi cornu ſeu calcare iuxta ovarium exporrectum exiguam ſub machina prolifera faucem edit, inde longo ſatis ſed tenui triangulo antrorſum lateſcit, in tria ſegmenta finditur labelli purpureis punctis ſeu maculis rotundatis picti nomine, quorum lateralia a medio ex ſectione in ellipſim recedant: hæc ut & medium ipſum multum variare ſolent; in diverſis enim ſpeciminibus ſpicarum albidarum ſegmentum medium nunc video ſimpliciter mucronatum, nunc ſerratum, nunc etiam exſectum atque leniter laciniatum, in aliis ſpicarum

rum purpurearum ſpeciminibus eandem in lateralibus ſegmentis tergiverſationem obſervo, medium vero ſegmentum ſine lateſcere & elevatis lateribus brevi portione in gutturnii ſpeciem commutari.

Caeterum media laciniarum portio ſeu ſegmentum medium in albida ſpecie ad exſtantes angulos habet reflexos lobulos duos & ex medio porrectam ut in petalis ariſtam, illa tamen petalorum minorem. Vidi hoc ſegmentum etiam trifidum.

Machina ſeminalis gentis. Capſulae ſeminales in quibus clavatae haerent antherae flavae flaveſcunt; inter has clitoris eſt ſeu prominens ſupra vulvam tuberculum.

Obſervatio I. Dilute purpurea ſpecies levem gratumque odorem habet, quem minorem in alba inveni.

Obſervatio II. Cum conquaeratur Illuſtris Vir HALLERUS, vulgarem plantam, fruſtra ſe monente, a LINNAEO ad alieniſſimam aliam longiſſimo donatam calcare reduci, etiam nuperorum ſcriptorum neminem, eam cognoviſſe, volui eam plantam, quae botanicis diverſimode eſſet cum aliis plantis confuſa & exactius HALLERO illuſtrata, Orchidem HALLERI dicere.

9) *Orchis amoena.*

Orchis radicibus ſubrotundis labello quadrifido calcare brevi. HALL. *Orch.* II.
Orchis pannonica IV. CLUS. *pann.* p. 236. *hiſt.* 268.
Orchis militaris pratenſis. SEGUIER. p. 123. T. 15. F. 4. humilior. C. B. VAILL. T. XXXI. F. 35. 36.
Orchis militaris minor & minima. RIV.
Orchis uſtulata. LINN.

In pratis Auſtriae plurimis, illo ſupra ſylvulam *Döbling* inter ſylvulam & vineas; illis *Badenſibus*, *Mauerbacenſibus* in campis apricis montis *Leopoldi*, qua parte *Clauſtro-neoburgum* itur; in pratis *Lieſing*, in montoſis ſylvulae *Simmering*.

Vulgatiſſimae & elegantiſſimae ſimul plantulae radicem conſtituunt bulbi duo rotundi cum fibris.

Scapus eſt ſpithamam, pedem altus & maior, folioſus.

Folia lata & late caulem primo amplectuntur nervoſa nervis aetate coloratis.

Spica

Spica plerumque brevis, & denſa.

Flores profunde purpurei & albidi, amœni.

Bracteæ obſcure nunc totæ, nunc ſolum lateribus purpureæ, cæterum ovato-lanceolatæ, breves, mediæ ovarii longitudinis, aliquando tamen longiores.

Petala in galeam conſpirantia amplam ſatis pro parvitate floris, quinque, externe profunda purpura perfuſa ſunt, qui color & in intortum ovarium per lineas abſcedat: interna duo hac parte herbacea, alia purpurea; externa tria apicibus canaliculatis eriguntur & patent.

Sextum petalum prioribus maius, brachiis crenatis crura ſuperantibus quadrifidum lacteolum punctis purpureis pulchre pictum, poſtrorſum abit in cornu obtuſum pro floris magnitudine amplum, quod etiam herbacee albeſcat, & hinc inde purpura perfundatur.

Machina prolifera Orchidum antheris flavis pyriformibus; capſulis ſeminalibus ſæpe albentibus non coloratis.

10) *Orchis viridis.*

Orchis radicibus palmatis, cucullo eminente, labello trifulco, calcare ſcrotiformi, breviſſimo. HALLER. *Orch.* 12.

Orchis palmata flore viridi. C. B. *prod.* 30. RAY. *cantabrig.* p. 7.

Orchis palmata flore galericulato dilute viridi. LOESEL. p. 182. *icon.* 59.

Orchis palmata batrachites. C. B. *pin.* VAILL. 153. T. 31. F. 6. 7. 8.

Serapias batrachites vel myoides. LOB. OED. *Flor Dan.* T. LXXVII. *icon. bona.*

In *Sau-plancken Schneberg;* in *Breyninis* alpibus, etiam in humilioribus aſperis *Maurbach.*

Radices palmæ duæ cum fibris ſupernis albis.

Scapus vix ſpithamam altus, firmus, tetragonus, folioſus in alpina, in alia vero pedem cum dimidio habebat, multum anguloſus ſtriatus.

Folia tria quatuorve infima inferne vaginis albidis caulem vaginant ſupremo ſeſſili, hæc lata nervoſa ovata ſunt.

Spica non alta, bracteis & ovario & floribus longioribus diſtincta. Medium fere pedem habebat in altera.

Flos viridans leniter coloratus per ætatem rubiginoſe purpuraſcit.

Petalorum exiguorum ovario intorto ſuſtentatorum tria ſuperiora in galeam confluunt inclinatam lenique purpura tam dorſo, quam margine

gine pinguntur: interiora duo ſupremo ſubiacent lineari elliptica, diſtantia, & hæc ex albo magis virent margine purpuraſcente.

Sextum petalum, ni forte magis flavicet, ut alia coloratum, ſed longius, in medio in fauce eminentem aggerem & utrimque in lateribus exſtructum unum canaliculum, qui in calcaris ſcrotum pateat, nanciſcitur. Id recta deſcendens ab ovario interveniente ſcrotiformi, licet abſcondito calcare repellitur, & obliqua ſectione in fine triſurcatur, lateralibus ſegmentis longioribus, incurvis falcatis, medio minori; ſegmenta lateralia rectius dimittebantur in altera.

Machina ſeminalis ab inclinata galea depreſſa, etiam per lineas leni purpura picta in arcuatis capſulis antheras recondit pedicellatas ſeu ſtamineas, quas in hac planta omnium optime vidi; inferiori loco fovea eſt, quæ pro vulva ſit de more gentis; & in hac elevatis & intus flexis lateribus circumvallata curioſius faux eſt, ut pollen ſeminale certo devehatur.

Calcare longiuſculo.

11) *Orchis maculata.*

Orchis radicibus palmatis; caule plerumque ſolido, labello trifido, galea revoluta. HALL. *Orch*, 14.

Orchis bulbis palmatis patentibus, cornu germine breviore, labio plano, petalis dorſalibus patulis.

Orchis palmata montana maculata. C. B. *pin.* 86. VAILL. *paris.* T. 31. F. 9. 10. pratenſis maculata. C. B.

Palmata maculata & non maculata. RIV.

Satyrium baſilicum fœmina. DOD. *pempt.* 240.

In pratis montoſis gramineis udis, ubique ubi in *Schneberg* aſcenditur, etiam ex *Sau-plancken* HARTMANNUS attulit.

Radix palmata cum fibris longiſſimis.

Caulis cubitalis & ultra ſolidus, maculatus, anguloſus.

Folia longe vaginantia nigris maculis aſperſa, longe lingulata & ad nervum obiter carinata.

Bracteæ ſub ſpica lanceolatæ nervo carinatæ, longæ, quales etiam in ſpica flores longitudine ſuperant.

Flos dilute violaceus, modo etiam magis albus maculis purpureis pictus.

Petala

Petala ſuperiora tria patentia erecta aut ſuberecta, medio lanceolato magis, aliis ellipticis, divergentibus omnibus & antrorſum obſcurius cavis & maculis purpureis raris percurſis: interiora duo ſupra machinam ſeminalem complicata, vidi etiam cruciata, eodem ut priora modo picta.

Sextum petalum data fauce calcareque fere ovario æquali in labellum ventilabriforme explicatur, id dilatato fine trifidum ſegmenta lateralia maiora, oris ſerratis, quandoque etiam ſectis inſtructa, medium vero acuminatum integerrimum poſſidet. Nunc etiam hoc labellum vel niveum eſt, ut vidi in alpibus, vel ſaturate purpureis quaſi exſtantibus extra æquabilem ſuperficiem villis per faſciculos colligatis hirtum variegatum.

Machina ſeminalis in longis capſulis ſeminalibus purpura coloratis. Hæ capſulæ inferne clitoride & prominente globulo albo, qui vulvæ immineat, diſtinguuntur.

Antheras clavatas virides & granuloſas vidi, nec exſiliebant ex ſuis capſulis preſſæ, an erant immaturæ?

Obſervavi, externa petala inſtar expanſorum brachiorum patentia axillas in exſtantem angulum proſilientem habere, quod in mea latifolia nunquam obſervavi.

12) *Orchis latifolia.*

Orchis radicibus palmatis caule plerumque fiſtuloſo, bracteis maximis, galea lateribus revoluta. *Nobis* labello trifido, medio ſegmento obtuſo. HALL. *Orch.* 15.

Orchis palmata pratenſis latifolia. C. B. VAILL. T. XXX. F. 14. 15. & Tab. XXXI. F. 1. 2. 3. 4. 5. 9. 10. OED. Faſc. V. T. CCLVI. bona.

2. Orchis palmata paluſtris altera. C. B. *pin.*
3. Orchis palmata paluſtris tota rubra. C. B.
4. Orchis palmata paluſtris tertia. C. B.
5. Orchis palmata paluſtris latifolia. C. B.

In humidis pratis *Baden*, *Maurbach*, *Rodaun*, vulgatiſſima etiam in alpes aſcendit, in prato ante *Atzkersdorff* abunde cum caule ad ſpicam usque folioſo & fiſtuloſo.

Radices palmato-digitatæ fibris etiam ſuperne auctæ.

Caulis craſſus ſpithamam, pedem altus, ſuperne ſæpe coloratus anguloſus, ſæpe non, ſemper fiſtuloſus.

Folia

Digitized by Google

Folia plurima longe vaginantia longa, carnoſa carinata.

Bracteæ per totam ſpicam fere cylindricam notabiles, inferiores ex medietate ſcapi latiores, lanceolatæ ovario longe maiores, aliæ decreſcunt, & inter flores nondum apertos conſpicue diffunduntur, ſunt hæ etiam aliquando purpura perfuſæ.

Flores in noſtris non adeo magni, ſed lati & ſic primo aſpectu facile ſemper diſtinxi, dum compreſſa fere ſupra ſeminalem machinam tripetalorum galea cum labello diametrum longitudinis minorem habent.

Petalum igitur ſupremum poſtice planiuſculum fere, in omnibus ſpeciminibus anteriori margine in cucullum, ut duo intima hac ſua cuculli cavitate coercere poſſit, plicatur, quodque eo potiſſimum naturæ conſilio factum videtur, ut proliſera machina, tum a lateribus duobus extimis petalis neglecta, tum a cito nimis abſcedente & ſufficienter deorſum patulo labello minus cuſtodita, præſidium haberet.

Petala duo extima inſtar brachiorum expanſa recta quaſi aut poſtrorſum reflexa exeunt patula, lata, ovato-lanceolata grate purpureo aut etiam magis diluto colore picta: qui etiam in album totus deliqueſcat, qualia plurima in alpibus exemplaria vidi, margine leni ſolum rubore perfuſo.

Petala duo intima plicata nervo eminente laterali in anteriori margine emarginata deſcendendo ſenſim lateſcunt, donec reflectantur. Eſt his fere color idem.

Sextum petalum dilutius eſt, curtum, ora undique circumſerratum, id infra faucem anguſtiorem exiguam in calcar abit ovario longius & recurvum & ubi ſupra faucem latum aggerem in medio eminentem eduxit, in tres portiones manifeſte dividitur, media portione obtuſiore in valde purpurea varietate, in alba vero in alpibus lecta mediam etiam acutiorem duabus reliquis inveni & aliquantulum longiorem.

Machina ſeminalis in hac augmentum partium habet, quod in multis aliis non obſervavi, nec ab ullo video animadverſum; & primo quidem duæ illæ capſulæ pyriformes, ut in aliis omnibus ſurſum latiores, deorſum anguſtiores, poſtica parte etiam fulcro ſuſtinentur, antica etiam clitoride aut, ut HALLERUS vocare mavult, ſpina diſtinguuntur, & inferiori parte loco tuberculi exſectus quaſi arcus eſt, capſularum pyriformium apices ſuſtinens. Sed nunc a latere huius arcus in hac ſpecie duo monti-

monticuli proſiliunt fauci ad latera appoſiti, qui id efficere videntur, ut antheræ capſulis exſilientes extrorſum labi non poſſint, quanquam lateralia eaque extima petala hoc ſuum officium detrectent. Cæterum ſunt hi monticuli antheris *diſcoideis* calceoli mariani ſatis ſimiles.

Antheras capite viridante pede elongato ſtamineo præditas in capſulis vidi.

Ovarium firmum intortum erat.

Inter has paluſtres plantas in confinibus Hungariæ locis lectas elegantiſſimas gratiſſima purpura ipſis perfuſas petalis abſque alio colore attulit GRECSOWSKI. Ultimo etiam easdem circa *Himber* inveni.

Altitudo unius pedis, cubiti, & maior.

Caulis cum vaginis anguloſus tectus foliis non latis, ſed longis, caule longe applicatis & in canalem conflexis ad 5. 6, quæ etiam floralem ſpicam attingerent. Caulem præmendo non potui fiſtuloſum invenire.

Bracteæ aſſurgentes lanceolatæ, etiam purpura perfuſæ ovario longiores.

Ovarium eodem colore perfuſum intortum.

Spica colorata laxa petalis ex gratiſſima purpura cæruleſcentibus.

Petala lateralia duo extima elliptica & aliquantulum concava, poſtrorſum ad ovarium conflexa patula.

Supremum cum duobus interioribus in galeam, machinam ſeminiferam defendentem, inclinans, & hæc quinque ſubæqualia erant.

Sextum petalum calcar habet ſatis craſſum germine longius coloratum: faucem excavatam, cuius figura duobus triangulis oppoſitis eidem baſi inſiſtentibus definiretur. Ab angulis baſeos trianguli anterioris iam laterales laciniæ, ſiquidem in tres manifeſtius diviſum eſſet, defluebant aliquantulum reflexæ & ellipticæ. Ex apice trianguli elevabatur agger, qui mediam laciniam fornicatam magis redderet: hæc pura immaculata aliis latior & aliquantulum longior in fine emarginata fuit, dum omnes obſcure eſſent circumſerratæ.

Machina ſtaminifera Orchidum, ſed grandis hoc etiam habet, quod anteriori facie in duo inflexa tubera abeat, in quibus quaſi ſtaminum radicetur ortus.

Stamina longa lutea fine antheras pyriformes, polline viridante præditas, ſuſtentant. Non memini me adhuc vidiſſe ſtamina adeo longa.

Digitized by Google

Obſervatio I. Alba varietas ex alpibus odora fuit, purpurea ea paluſtris minus; habebat vero odorem aliquantulum maiorem, quam aut globoſa, aut illa HALLERI, nec adeo ſambuci, quam caryophyllorum.

Obſervatio II. Inter *maculatam* & hanc *latifoliam* differentias non adeo evidentes eſſe, tenendum. De ſoliditate aut fiſtuloſitate caulis non ſemper quærendum, licet poſt HALLERUM inſiſtat LINNAEUS, non potui enim in bene multis exemplaribus ſemper hanc notam invenire, nec variabilium longitudo bractearum certius dare ſignum poteſt, vidi in maculata frequentius ovario longiores bracteas, quas multo minores tamen obſervavit HALLERUS.

Utrimque trifidum ſextum petalum eſt, & reflexa lateralia ſegmenta in *latifolia*, plana in *maculata* ſolum infidam notam conſtituere valent, licet aliter contendat LINNAEUS, dum in *latifolia* non ſemper reflexa ſint, & in *maculata* hinc inde deprehendantur. Nec id, quod de his ſegmentis memoriæ HALLERUS prodidit, dein etiam LINNAEUS aſſumpſit, in omnibus varietatibus facile verificari poteſt: medium enim ſegmentum æque acuminatum in *latifolia* ac in *maculata* viſitur, & in utraque planta hæc circumſerrata ſunt; ut igitur compulſis omnibus horum Clariſſimorum Virorum obſervationibus id unum differentiæ ſuperſit, quod in *latifolia* ſolum lateralia duo extima petala ſurſum flexa patula ſint, ſupremo cum duobus intimis cucullum faciente, contra vero in *maculata*, dum cum duobus lateralibus extimis etiam ſupremum erectum reclinatumque ſit, hæc differentia ut diſtinguantur, anne ſufficit? non recordor, an in extremitate ſupremum folium cum lateralibus externis æque plicatum & in uncum cavum flexum ſit in *maculata*, ut eſt in *latifolia*, ſed credo, me recte meminiſſe machinam ſtamineam differentiam dare clariorem, quare ex hac, ſi recte memini, & obtinet, differentia potior petenda eſt. Et nunc ſincerus fatebor, me maiorem omnino inveniſſe diverſitatem inter anguſtifoliam paluſtrem læte purpuream, quam quidem inter *latifoliam* & *maculatam*, dum & petalorum in paluſtri natura nimis coreacea, qualis illa gladiolorum eſt, minus carnoſa, fungoſa ac illa *maculata* ſit diſtinctiſſima; quare etiam definitiones admittere non potui & alias feci faciles quidem & omnibus fere admiſſas; potuiſſem forte facere certiores ex machina prolifera, ſed, quod longe eſſent difficiliores, omiſi.

Obſer-

Obſervatio III. In illis ſpeciminibus, quæ in prato Azkersdorff legi, erant radices ſemifemorales, quaſi genitalia referentes, habebantque in dorſo ſimilia exorientia femora, ſed indiſtincta adhuc. Priora femora ſunt in anteriora conflexa, non aliter, ac ſi homo ſederet, & in longos pedes extenſa.

Caules admodum folioſi vaginati certo fungoſi crepitantes, compreſſi.

Folia infima lata & longa alia vaginantia amplexicaulia fere, & cordato-oblonga, ipſam ſpicam fere ſemper attingentia, quandoque etiam ſuperantia.

Bracteæ inter ſpicam cylindricam coloratæ longæ, lanceolatæ.

Spica purpurea, non odora.

Petala tria ſolum in galeam conſpirant, medium ſcilicet & duo intima, quæ in hac ſpecie ſatis lata ſint. Duo extima lateralia revoluta ſunt, & quaſi alas duas machinæ fæcundanti ſuperpoſitas conſtituunt; ſunt cæterum interiori parte maculis purpureis profundioribus picta.

Sextum petalum ex calcare conico germine minore ortum, ex ampla ſatis fauce margine reflexo undique dimittitur, lineis, punctis, & arcubus pictum, non latum, ſed plicatum dentatum, non ſectum, nec trifidum, tamen quandoque plicatum, ut trifidum eſſe videatur, quod tamen non ſit, dum inciſum videri non poteſt, finis eius reflexus eſt.

Machina fœcundans, quaſi ex perpendiculari erecta colorata, cucullos duos de more ſuſtinet, in quibus ſtamina flavicantia antheris granuloſis viridibus. Fovea unguentaria quadrato-oblonga eſt, margine undique purpureo.

Obſervatio I. Multum ſane recedit a prioribus meis, & ab HALLERIANA deſcriptione, an nova ſpecies?

Orchis *impudica.*

Orchis radicibus impudicis fiſſis, caule fiſtuloſo, bracteis maximis, labello picto dentato integro, ita ex duodecim ſpeciminibus.

Orchis radicibus palmatis, caule fiſtuloſo, bracteis maximis, labello trifido, ſerrato, medio ſegmento obtuſo HALL. Orch. 15. non convenit radicibus palmatis, labello trifido.

Orchis radicibus ſubpalmatis rectis, nectarii cornu conico: labio trilobo, lateribus reflexo, bracteis flore longioribus. LINN. *Orch.* 21. nec hæc radicibus ſubpalmatis minus adhuc *rectis*, cum ſemper horizonti parallela,

 crura

Digitized by Google

crura femorum ſint, tum nec labium trilobum eſt. Nota latifoliæ LINNAEI ſubiecta exacte plantæ noſtræ convenit. „Petala duo lateralia furſum reflexa: tria vero conniventia. Nectarii labium lateribus reflexum. Caulis fiſtuloſus„.

Obſervatio II. Cæterum latifoliæ merito coniungit *incarnatam* & *ſambucinam* HALLERUS, dum inter has certi limites non ſint, & dum ſambucina ſæpe inodora eſt, licet ob odorem diſtincta fuerit & ſic nominata.

13) *Orchis cimicina.*

Orchis radicibus ſubrotundis, galea connivente, labello trifido reflexo. HALL. *Orch.* 19. crenato. LINN. OEDER. Faſ. IV. T. CCXXIV.

Orchis odore hirci minor. C. B. *pin.* 82. VAILL. 149. T. 31. F. 30. 31. 32. HALL. *iter. hirc.* 7. melius odore cimicum.

Orchis flore parvo viridi purpureo. RIV. *bene.*

Tragorchis minor flore fuliginoſo. RAY. *hiſt.*

Tragorchis minor & verior Gemmæ. LOB. *icon.* 177.

β. Orchis odore hirci minor ſpica purpuraſcente. C. B. *pin.* 82.

Provenit in Brader & montoſis *Dornbach* pratis.

Radix teſticuli duo.

Caulis rectus ab imo ad ſummum folioſus, foliolis vaginantibus, tandem in bracteas ſolutis, cæterum anguloſus pedem & ultra altus.

Bracteæ florales albidæ viridi linea percurſæ, lanceolatæ, ovarii longitudine.

Spica longa florum numeroſorum, primo ex viridi colore triſtium, ſubfuſcorum, dein vero in fuſcum & uſtulatum degenerantium, cimicis odore ingrata.

Flos primo aſpectu duobus ſolum petalis compoſitus videtur, *Galea* nempe & *barba*, cum galea quinque exſurgat circa ſtamineam machinam conflexis petalis. Tria exteriora duo interiora abſcondentia ita ſe habent, ut ſupremum aliquantulum latius & concavum anteriori facie in mucronem abeat: lateralia duo exteriora ex ovatis elliptice lanceoleolata ſub concavitate ſupremi conflectantur, recipiantur conniventia, aut etiam a latere accedant, quaſi in crena ſupremi articulata nexaque; hæc in noſtris erant pura, rubiginoſo-purpurea. Duobus lateralibus ablatis conſpiciuntur duo interiora; hæc oblonga, concava, apice cava magis viridant & cum ſupremo caput aviculæ conſtituunt.

Labellum

Labellum ad fauces albidum, purpureis punctis pictum, admodum elevatum tota circumferentia ſubito contra ovarium dimiſſum, ut omnino bene HALLERUS notaverit; Labellum totum contra calcar & ovarium retrogradum eſſe, ex hacque nota facile dignoſci.

Ipſum in tria ſegmenta ſectum eſt profunde colorata & quaſi uſtulata; ſuntque lateralia duo dentata inſtar alæ expanſæ, medium ſine lateſcens tridentatum, aut argute crenatum cum uno in medio dente magis prominente vidi, hæc enim ipſa multum variant.

Machina ſtaminea gentis galeam ſatis bene repræſentat, cum in ſummitate exſtantem aggerem viridem habeat; cæterum rubiginoſo-purpurea eſt, & fornicem apicularem longe ſupra foveam unguentariam exſtantem, quæ oſtium ovarii protegat.

Stamina & antheræ flava ſunt.

Calcar eſt ovario minus, conicum, iuxta id deſcendens.

Ovarium intortum rubiginoſo-purpureum.

14) *Orchis Morio.*

Orchis radicibus ſubrotundis, galeæ petalis lineatis, labello trifido crenato, medio ſegmento emarginato. HALL. *orch.* 16.

Orchis morio femina. C. B. VAILL. T. XXXI. F. 13. 14. bene SEGUIER. T. XV. F. 7.

Orchis bulbis indiviſis, labio quadrifido crenulato: cornu obtuſo, petalis omnibus conniventibus. LINN. *ſpec.* 16.

In pratis ſylvulæ *Gatterholtz*, *Pötzleinstorff*, & alibi frequens.

Radices teſtes duo, baſi aliquando conoidei ſuperne fibroſi; quandoque minor unus alterve adiacet.

Caulis vix ſpithama longior, ſuperne ſæpe coloratus, multa altitudine vaginatus.

Folia infima, quatuor aut plura, carinata in roſulam expanſa ſunt, his alia inſiſtunt a caule modice abſedentia, dein vero adhuc aliqua caulem inveſtiunt.

Bracteæ coloratæ, purpureæ, longæ lanceolatæ germina colorata, quibus circumvolvantur, ſuſtinent.

Flores ex purpureis, aut ita variegati, ut ex obſcuriori purpura cum intermixto herbaceo colore conſtent.

Petala tria in galeam conſpirant conniventem, duoque lateralia medium, ut machinæ ſtamineæ magis incumbat, cogunt. Sunt hæc lineata omnia, medio magis purpureo lateralibus intus magis viridantibus. Duo interiora apicibus fere ſemper in machinam ſtamineam confleɑuntur, una alterave viridante linea percurſa.

Labellum complicatum papillulis purpureis viridius pictum tripartitum eſt, ora crenata, medio ſegmento plerumque emarginato, longe aliis minore.

Machina ſtaminea gentis, antheris viridibus ſuſtentatis ſtaminibus flavis.

Calcar compreſſum, purpureum ſine ſatis lato.

15) *Orchis maſcula.* * Enumeratio.

Orchis radicibus ſubrotundis, petalis lateralibus reflexis: labello trifido, ſegmento medio longiori bifido HALL. *Orch.* 18. Seu labello quadrilobo rariter crenulato.

Orchis V. CLUS. I. p. 268. icon commoda.

Orchis morio foliis ſeſſilibus maculatis C. B.

Orchis morio mas foliis ſeſſilibus non maculatis. C. B. RUDB. *Elyſ.* p. 192. Orch. III. icon, non vero, ut LINNAEUS citat. p. 191. F. 1. quæ icon peſſima eſt & nihil, niſi folia maculata bene expreſſa habet.

Orchis 12. VAILL. Bot. *pariſ.* T. XXXI. bene.

In pratis udis *Himberr* ad nauſeam integris pratis.

Varietatem anguſtifoliam non maculoſam deſcribam.

Radix teſticuli duo.

Caulis cubitalis altior, in altioribus tenuis, ſemper vaginatus.

Folia longe totum caulem vaginantia fere, canaliculata, lanceolata, non lata, nec maculata in meis.

Bracteæ lanceolatæ, canaliculatæ, ovarii fere longitudine, dein etiam grandeſcunt flore deflorato.

Spica florum ſpecioſorum longa, ſed rara.

Petala firmula ex albo pulchre purpurea.

Galea tribus fit petalis, extimorum medio ovato-acuto profundius purpureo inſidente, erecto: duobus interioribus in cucullum conflexis apicibusque concavis implexis.

Dorſalia duo ovato concava reflexa patentiſſima ſunt.

Labellum

Labellum ex fauce anguſtum emergens admodum lateſcit complicatum, dorſo albente magis, & papillulis ſeu verrucis purpureis viridius picto; id quadrifidum eſt lobis lateralibus deflexis, margine crenulatis viridius pictis maioribus: lobis anterioribus minoribus itidem ſæpe crenulatis ſeu eroſis.

Calcar latum compreſſum, obtuſum, rectum ovarii longitudine, etiam longius.

Machina prolifera gentis violaceo-purpurea.

Fovea unguentaria longior, margine coloratiore cœpta.

Obſervatio. Sextum petalum ſæpe patet lateribus expanſis. Flos ſæpiſſime ſpecioſus eſt, ex cæruleo purpureus; fauce & inde dependentis labelli media parte albidis, pictis.

16) *Orchis militaris.*

Orchis radicibus ſubrotundis; barbæ 5-fidæ brachiolis longis; galea confluente: cucullis purpureis.

Orchis bulbis indiviſis, nectarii labio 5-fido punctis ſcabro; cornu obtuſo; petalis confluentibus. LINN.

Orchis galea & alis cinereis. I. B. *bonum nomen.*

α. Orchis radicibus ſubrotundis ſpica conica labelli 4-fidi brachiolis & trunco anguſtis HALL. Orch. 21.

Orchis latifolia hiante cucullo maior TOUR. VAILL. T. XXXI. F. 21.

In pratis fere ubique primo vere.

Radices teſtes duo.

Caulis pedalis & ultra, ſupra medietatem vaginatus, folio ſuperne, quod tamen non perpetuum, colorato.

Folia longa admodum, erecta, patentia, ſplendentia, carinata.

Spica florum diſtans primo, dein denſior, longa, cylindrica.

Bracteæ coloratæ exiguæ.

Ovarium longum intortum.

Calcar media ovarii longitudine, niveo roſeum, cylindricum.

Galea petalis fit quinque, quorum tria exteriora, latiora: lateralibus ellipticis, extus dealbatis, intus lineis læte purpureis tribus quatuorve pictis & maculatis: medio vero baſi extus fornicato albo, intus concavo & eodem modo ut priora picto. Duo interiora linearia ſunt intus & extus purpurea & ſupremo quaſi agglutinantur.

Labellum

Digitized by Google

Labellum in brachia ſolvitur tota colorata, & purpura perfuſa, media vero eius pars alba eſt papillulis purpureis variegata. Crura extrorſum vergunt tota purpurea, ut etiam cauda.

Stamina flavicant antheris olivaceis. Alia ſequenti varietati ſimillima.

b. Orchis radicibus ſubrotundis; ſpica longa; labelli 4-fidi brachiolis anguſtis, cruribus latis, ſerratis. HALL. *Orch.* 21.
Orchis magna latis foliis galea fuſca ſ. nigricante I. B. *bonum nomen.*
Orchis latifolia altera CLUSII. p. 267.

In prato ſylvæ *Gatterholtz*, in pratis montoſis herbidis ſupra *Dornbach.*

Omnium fere maxima & ſpecioſiſſima orchis bulbos duos oblongos craſſos habet.

Caulis craſſus, rotundus, inferne vaginis niveis folia cocreentibus cinctus, cubitalis & ultra, nam quem coram video ille fere brachialis eſt, ex rubro marmoratus, rubens, ſtriatus.

Folia caulem vaginantia ampla admodum, utrimque ſplendentia, carinata, ſeu ad medium nervum plicata, ſemipede longiora patentia, his alia inſiſtunt minus explicata, & ultra mediam caulis altitudinem extenſa.

Spica florum diſtans primo, dein denſior, longa, cylindrica, fuſceſcens, non ingrate odora.

Bracteæ exiguæ & vix ullæ, ſubulatæ.

Ovarium longum ſatis intortum, in initio ad caulem parum rubens, dein viridans, & lineis fuſcis percurſum, in fine iterum ſaturatius coloratum.

Galea fit petalis quinque. Tria exteriora ſunt lata ſatis ex ovatis acuminata, & horum lateralia duo apice aliquantulum reflectuntur, dum medium adhuc incumbit concavum. Sunt hæc tria externa ex ſaturata purpura fuliginoſa & quaſi rugoſa, ſcabra ad oculum, lineis etiam magis fuſcis percurſa. Interiora duo linearia albida ſunt & multa purpura picta & maculata, etiam ſupremo agglutinata.

Labellum ex anguſtata antrorſum foveæ unguentariæ fauce ortum, ampliſſimum eſt, moxque in ſummitate in brachiola duo lateralia prælonga & admodum anguſta, margine purpurea, & iuxta internam lineam ſerie punctulorum faſciculatorum picta, extenditur; inferius crura lata

lata ſequuntur læta purpura ut brachiola picta, & hæc quidem plerumque plana ſunt, licet in initio ſurſum conflexa, ubi e galea erumpunt. Sunt cæterum hæc crura ſerrata & in medio caudam poſtrorſum reflexam edunt, quam non perdunt; hæc cauda apice purpurea eſt, dum faucis poſterior pars, ut & multa crurum albeſcit.

Machina ſtaminea pro amplitudine floris brevis, cucullis purpureis, ſtaminibus flavicantibus, antheris leniter viridantibus ex granulis factis ut in *morione.*

Obſervatio I. Quanquam hæc varietas truncum labelli habeat breviſſimum, crura latiſſima, & brachia longiſſima, limites tamen non invenio.

Obſervatio II. Eiusdem huius varietatis exemplar collegi admodum capitatum, ſpica congeſta brevi, cui *ſpicæ longæ* definitio haud quadraret, ſed ſemper limites non invenio, unde etiam huc ſpectat

c. Orchis radicibus ſubrotundis ſpica breviſſima; labello breviter 4-fido punctato, undique ſerrato. HALL. *Orch.* 20.
Orchis militaris minor RUP. HALL. icon T. VI. bona.

In prato ſicco ſupra lapidicinam Dornbach, ſupra Pötzleinsdorff, & alibi cum *morione.*

Radix teſtes duo.

Caulis aliquando vix pedem, quem tamen ſæpe longe ſuperat, altus, leniter anguloſus, bracteis exiguis purpuraſcentibus in medio & ſummitate veſtitus.

Folia ad terram conferta, pollicem medium aut unum lata, in orbem poſita, dein ſunt duo triave vaginantia. Color foliorum quaſi glaucus, non ſplendens.

Spica ex cono capitata aut globoſa, brevis, denſa, in aliquibus odora, in aliis minus.

Flos coloris diverſi, modo ex albo violacei, modo rubentis magis, modo in integrum nivei, ut ex decem exemplaribus vivis ſcribo; cæterum militaris.

Labellum aliquam varietatem patitur, nunc enim brachia in fine fiſſa video, nunc exeſa, in aliis quadridentata, hæcque duplici punctorum ſerie picta. Adhæc crura minus lata ſunt, etiam dentata magis, quam ſerrata. Cauda media eadem eſt.

Bractea ovaria ſuſtinentes anguſtæ lanceolatæ ſubpurpuraſcentes exiguæ ſunt.

Machina ſtaminea nulla re recedit.

Calcar quam in aliis longius lateribus ut in varietate. b. compreſſum non vidi.

Obſervatio I. Clariſſimus Vir HALLERUS has tres orchides ſeparavit, ego limites non video, nec, ut ſepararem, adduci potui, dum numeroſiſſima viva exemplaria omnium trium ſimul inſpicerem, & vidi nihil valere aut ſpicæ conicæ, aut breviſſimæ, aut longæ luſum, nec partium labelli anguſtiam aut maiorem aliquantulum latitudinem, nec dentes aut ſerras, aut ipſa demum puncta purpurea ſcabra LINNAEI, inter hæc enim copioſiſſima exemplaria etiam collegeram unum totum niveum omni macula & puncto vacuum, neque tamen putes, fuiſſe Orchidis latifoliæ hiante cucullo maioris T. qualia etiam alii inveniſſe ſe, teſtantur, ſed erat illius orchidis militaris minoris RUP. & in his omnibus id demum ſuperſuit ſigni conſtantioris quoad colores & picturas, quod cuculli perpetua purpura perfunderentur.

Obſervatio II. Orchis amœna ſolo breviori calcare & flore minore a militaribus hiſce diverſa eſt.

Obſervatio III. Suis in definitionibus HALLERUS labellum ſemper quadrifidum ponit, tumque mediam inter crura ſpinulam negligit, ad quam LINNAEUS & ego attendentes quinquefidum pronunciamus.

Calcare longisſimo.

17) *Orchis bifolia.*

Orchis radicibus oblongis labello ligulato ſimpliciſſimo. HALL. *Orch.* 23.

Orchis capſulis ſeminiferis marginalibus, diſſitis. Nobis.

Teſticuli ſpecies. V. CAM. *Epit.* p. 625.

Orchis alba bifolia minor, calcari oblongo. C. B. *pin.* 83. VAILL. 151. T. 30. F. 7. SEGUIER. T. *Orchid.* 15. F. 10. RUDB. II. p. 198. F. III. icon mala calcare conico & breviore. &c.

Satyrium flore albo. RIV.

β. Orchis trifolia minor. C. B. *pin.* 83.

γ. Orchis bifolia altera. C. B. *pin.* 82.

Orchis bifolia latiſſima. *ibid.*

Teſticulus vulpinus primus. LOB. icon 178. flos & calcar fine complanato dilatatum omnino bene.

Planta

Planta in pratis apricis vulgaris reperitur, & ſpeciatim in illis *Caltenberg*, *Ottakling*, in ſylva cædua *Dornbach*, *Simmering*, in illa *Incersdorff*; etiam in alpes aſcendit.

Teſticuli duo oblongi pro radicibus ſunt.

Folia ex maximis ad terram unice diſpoſita duo, rarius tria, duas tres uncias lata, ita recte HALLERUS.

Scapus cubitalis & longe altior, vere ſquamas potius, quam folia educit, hæc enim rara ſunt. Cæterum anguloſus & inſigniter ſtriatus eſt.

Bracteæ lanceolatæ ovario nunquam maiores in noſtris virentes.

Spica longa & rara HALLER *bene*.

Flos apprime apertus, ut tota machina ſtaminum appareat, in univerſum albus, HALLER. *bene*.

Petala tria ſuprema ita ſe habent, ut ſummum latiſſimum obverſe cordatum, concavum reflexo apice vexillum fere papilionacearum plantarum exprimat: alia duo interiora elliptica ex latiori baſi acuta apicibus ad ſe inclinant, dein receſſura; hæc machinam ſtamineam continent erectam.

Inferiora tria ita ſe habent, ut lateralia duo extima brachia extenſa exprimant elliptico divaricata: medium vero prodeat labellum omnibus longius, ligulatum, ſimpliciſſimum fine leviter herbaceo.

Calcar omnium longiſſimum, vidi ſub finem dilatatum & quaſi nova tenuiorique convoluta membrana auctum in poſterioribus curis novisque exemplaribus.

Ovarium viride incurvum, leniter contortum, medietate circiter calcaris.

Machina ſtaminea loco mota, in eo enim loco, ubi alias eſſe ſolet, hiatus eſt; ipſæ capſulæ ſeminiferæ in margine laterali oræ foveæ unguentariæ hærent, albidæ, cruribus divaricatis & labello imminentibus. Stamina flava ſunt, Antheræ vero albidæ.

Fovea unguentaria patentiſſima eſt, & facile conſpicitur foramen, quod in calcar ducit.

Obſervatio I. In planta in Incersdorffer Walde lecta foliis binis latiſſimis ſuperpoſita ex adverſo erant duo lanceolata alia; barba erat tota viridis & bracteæ longitudinem habebant ovarii.

Obſervatio II. Ex alpinis ſylvis delata eadem orchis caulem angulоſum magis habuit, ſpicam etiam multo longiorem, non alia cæterum differentia, niſi quod eſſet odoradiſſima odore reficiente & grato, etiam per quatuor dies & noctes durante.

Obſervatio III. Planta nunc deſcripta ex Ottakling lecta in multis diverſa eſt ab aliis I. odore vix ullo II. Machina ſtaminea ampliore fovea unguentaria magis dilatata III. capſulis ſeminalibus arcuatis IV. calcare uno quaſi vaginante alterum, quæ omnia eruo conferens 20. exemplaria viva diverſis locis lecta.

18) *Orchis pyramidalis,*
Orchis radicibus ſubrotundis ſpica denſa, calcare longiſſimo, labello bicorni, æqualiter tripartito. HALL. *orch.* 24.
Orchis purpurea ſpica congeſta pyramidalis. RAY. *ſynops.* III. T. XVIII. SEGUIER. T. XV. F. XI.
Cynorchis militaris montana ſpica rubente conglomerata. C. B. *prodr.* 28.
β. Orchis militaris montana ſpica rubente conglomerata. I. R. H. TOUR. VAILL. T. XXXI. F. 38.
Orchis flore conglomerato. RIV.
γ. Cynorchis latifolia ſpica compacta. C. B. *pin.*

In ſylvis ſubalpinis frequens.

Radices ſubrotundæ.

Caulis pedalis, cubitalis, etiam brachialis & maior, qualem nunc plantam deſcribo.

Folia caulem longe vaginantia longa, non adeo lata in meis, licet etiam ad ſemi unciam & unciam lata ſint, dum ſunt latiſſima, ut obſervavit HALLERUS.

Spica denſa pyramidalis conica amabili pupura fulgida.

Bracteæ lanceolatæ coloratæ ovarii longitudine, etiam longiores.

Petala 5 ſubæqualia, ut in latifolia, & eadem hic, ut in illa, ſupremum ſcilicet cum internis duobus in galeam confluunt, a qua duo lateralia extima relaxata magis recedant ad angulum rectum expanſa.

Sextum petalum a duobus extimis ad machinam ſtamineam fere ſemper cogitur, hoc in labellum exporrigitur bene ad medietatem, ut nunc obſervo trifidum ſegmentis ellipticis medio anguſtiore.

In fauce huius petali utrimque paries finibus divaricatis, unde *bicorne* HALLERO dictum ſit, *bidentatum* LINNAEO, erigitur, qui extima modo

do deſcripta elliptica labelli ſegmenta reſpiciant, hi etiam faucem protegunt, quæ in calcar ducat fructu longius, admodum gracile & deflexum.

Obſervatio I. Bracteas flore breviores fecit in horto Clifortiano LINNAEUS, vidi æquales, etiam longiores, & ſic etiam HALLERUS deſcripſit, ut igitur male a LINNAEO definitioni adhibitæ fuerint.

Obſervatio II. Nec ſegmenta labelli trifidi adeo aqualia ſunt, ut in notam certam adhiberi poſſint in ſpiciebus LINNAEI, quæ quidem pene æqualia, medio tamen paulo anguſtiori deſcribit HALLERUS, ego vidi.

19) *Orchis conopſea.*

Orchis radicibus palmatis, calcalcare longiſſimo, labello trifido, unicolore HALL. *Orch.* 25.

Orchis palmata minor calcaribus oblongis. C. B. *pin.* VAILL. T. XXX. F. 8.

Orchis bulbis palmatis, cornu ſetaceo germinibus longiore, labio trifido; petalis duobus patentiſſimis. LINN. *ſpec.* 26.

II. Orchis palmata pratenſis maxima. C. B. *pin.* RUDB. II. p. 212. icon mala.

III. Orchis palmata montana maxima. C. B. *prod.*

IV. Orchis palmata anguſtifolia minor. C. B. *pin.*

Serapias minor rubello nitente flore LOB. icon p. 189. omnino bene ſpica, calcare, caulis tenuitate.

In Pratis Ottackring, Caltenberg &c. etiam in alpes aſcendit.

Radix palmato-digitata.

Scapus pedalis, cubitalis & ultra rotundus, virgatus, inferne foliis, ſuperne bracteis veſtitur, ad genicula purpuraſcit, ad ſpicam vero magis, ſuperne ſub ſpica anguloſus, cæterum ſolidus, durus.

Folia caulem vaginantia fere ſemper plicata, longa, non lata, anguſta potius, 2. 3. 4.

Bracteæ ovato-lanceolatæ, in florentibus ovario pares, in non florentibus maiores, licet hæc res conſtanter variet, deprehenduntur; cæterum ex viridi obſcure purpuraſcentes.

Spica ſatis longa & denſa eſt, floribus concolore albida aut cærulea purpura ludentibus, odoris caryophyllæi, ſed gravis nec grati.

Galea tribus petalis potiſſimum facta, ſiquidem duo lateralia externa brachiata pateant tota, imo etiam revoluta conſpiciantur.

 Supre-

Supremum galeæ petalum ovatum dorſo magis colorato, primo aliis incumbit, dein recedit laxius factum, interna duo ſupremo latiora ſunt concava, magnamque & concavam galeam pro exigua machina ſtaminea conſtituunt.

Barba lata ſatis eſt medio eminente aggere & duabus utrimque impreſſionibus lateralibus inæqualis, ipſa fine aliquando evidentius, aliquando obſcurius trifida eſt: lateralibus ſegmentis ſuperiori & marginali ora deflexis, inferiori obtuſis ſerratis aut quaſi undulatis, medio vero nunc integro, nunc etiam ſerrato.

Cuculli gentis, ſed huic ſtirpi depreſſi fere, exigui, antheris viridibus fœti.

Calcar tenue purpureum conſtanter in noſtris recurvum, germine multo longius.

Obſervatio. Clariſſimus LINNAEUS in ſuis ſynonimis excitat orchidis palmatæ anguſtifoliæ minoris RUDB. iconem II. p. 212. quæ noſtris non adeo conveniat exemplaribus, dum contra VII. orchis palmata anguſtifolia minor odoratiſſima cum calcare recurvo noſtram bene repræſentat. Eſt etiam adhuc hac animadverſione opus, quod idem vir Clariſſimus in notis adiecerit huic ſtirpi, *labium æquale trifidum & integerrimum eſſe*, quod in noſtris non obſervavi, nec in ſuis HALLERUS.

INDEX GENERVM

A.

Aconitum 131
Actæa 142
Adonis 110
Althæa 144
Alyſſon 15
Anaſtatica 7
Anemone 121
Angelica 178
Anthyllis 370
Antirrhinum 306
Apium 213
Aquilegia 130
Arabis 36
Aſtragalus 413
Aſtrantia 218
Atragene 127

B.

Betonica 255
Bohadſchia 36
Braſſica 35
Bupleurum 202

C.

Calceolus 454
Caltha 136
Camelina 18
Cardamine 42
Caucalis 224
Chærophyllum 189
Cheiranthus 44
Chelidonium 141
Ciſtus 100
Clematis 126
Clinopodium 253
Clypeola 19
Cochlearia 19
Coriandrum 210
Coronilla 430
Cytiſus 394

D.

Delphinium 191
Dentaria 26
Digitalis 354
Draba 11
Dracocephalom 281

E.

Epipactia 456
Ervum 403
Eryngiom 229
Eryſimum 27
Euphraſia 298

F.

Fragaria 71
Fumaria 435

G.

Geniſta 364
Geum 69
Glaocium 141
Glecoma 247
Gratiola 289

H.

Hedyſarum 424
Helleborus 133
Heracleom 153
Heſperis 31
Hippocrepis 429
Hypericum 96

I.

Iberis 20
Iſatis 5
Iſopyrum 135

L.

Lamiom 257
Laſerpitium 179
Lathræa 293
Lathyrus 378
Lavatera 145

Leonu-

Leonurus 245
Lepidium 8
Libanotis 219
Liguſticum 196
Limoſella 313
Lotus 399
Lunaria 18
Lycopus 317

M.

Malva 143
Marrubium 272
Medicago 432
Melampyrum 300
Meliſſa 285
Mellitis 284
Mentha 328
Meſpilus 88
Miagrum 6

N.

Naſturtium 14
Nepeta 270
Nigella 132
Nymphaea 142

O.

Oenanthe 201
Ononis 369
Orchis 477
Origanum 282
Orobanche 291
Orobus 372

P.

Papaver 137
Pedicularis 312
Phaca 419
Pinguicula 258
Poeonia 136
Polygala 476
Prunella 279
Prunus 93

R.

Ranunculus 111
Raphanus 31
Rinanthus 296
Roſa 84
Rubus 81

S.

Salvia 236
Scrophularia 325
Scutellaria 275
Selinum 159
Seſeli 204
Sideritis 248
Siler 185
Sinapis 45
Siſymbrium 46
Sorbus 81
Spirea 109
Stachis 264
Stæhelina 294

T.

Teucrium 249
Thalictrum 105
Thlaſpi 21
Thymus 277
Tilia 96
Tordylium 153
Tozzia 305
Trifolium 404
Trollius 134
Turritis 35

V.

Verbena 328
Veronica 333
Vicia 384
Vtricularia 290

INDEX
SYNONYMORUM

A.

Acinos 277
Aconitum 131. 142
Actæa 142
Adonis 110
Aethiopis 238
Aiuga 253
Alcea 144
Alliaria 27
Alopecuros 256
Alſine 11. 257. 349. 350. 353
Althæa 144
Alyſſon 11. 13. 14. 15. 16. 18. 19. 20. 264. 343. 350
Alyſſum 16
Amarella 438
Amelanchier 91
Ammi 208. 217
Anagallis 341. 343
Anaſtatica 7
Androſæmum 96
Anemone 121. 122. 123. 124. 127. 130.
Angelica 159. 177. 178. 196
Anonis 369
Anonimos 319
Anſerina 72
Anthyllis 370
Antirrhinum 306
Apium 111. 169. 208. 213. 215. 217. 222
Aquilegia 130
Arabis 39. 41. 42
Argemone 138
Argentina 71
Aria 86
Aruncus 109
Aſcyron 99
Aſcyrum 97
Aſtragalus 377. 413. 420. 425
Aſtrantia 174. 218
Athamanta 219. 222
Atragene 125. 127
Aucuparia 88

B.

Ballote 277
Barba capræ 109
Barbarea 55
Beccabunga 341
Betonica 255. 264. 325
Betula 342
Bohadſchia 5
Branca urſina 155
Braſſica 27. 37. 38

Brunella 279
Bugula 249. 251. 252
Bulbonac 18
Buphthalmum 110
Bupleurum 202
Burſa paſtoris 11. 20. 21. 40

C.

Calamintha 247. 285
Calceolus 454
Caltha 136
Camelina 18. 28
Canabis 261
Cardamine 8. 9. 43 44
Cardiaca 245
Carvifolia 162
Carum 218
Caryophyllata 69. 70
Caucalis 153. 154.
Ceraſus 94
—— avium 94
Cerefolium 192
Cervaria 167
Chamæciſtus 100
Chamædrys 70. 250
Chamædrys auſtriaca 344
Chamæmeſpilus 81. 83
Chamæorchis 480
Chamæpitys 249. 281. 346
Chamærubus 82
Cheiranthus 29. 45
Chelidonia 120
Chelidonium 141
Cherophyllum 189. 194
Chriſtophoriana 142
Cicer 413. 418
Cicuta STOERCKII 211
Cicutaria 189. 194. 207. 211
Ciſtus 100. 101. 102 103. 104
Clematis 126. 127
Clinopodium 277. 278. 283. 294
Clipeola 19. 20
Cochlearia 19
Cochleata 434
Colutea 430. 431
Comarum 73
Coufolida regalis 131. 132
Corallorhiza 464
Coriaudrum 210
Coris 298
Coronilla 430
Cotonea 93
Cotoneaſter 83
Cracca 384. 387. 389. 423
Crambe 52
Cratægus 82. 83. 85. 86
Criſta galli 296
Cydonia 93
Cynapium 211
Cynorchis 506
Cypripedium 454
Cythiſus 394

D.

Damaſonium 460
Daucus 167. 198. 208. 214. 219. 222. 227
—— Creticus 219
Delphinium 131. 132
Dentaria 26. 293. 305. 464
Digitalis 354
Dioſpyros 91
Dorycuium 402
Draba 10. 11. 12. 13. 39. 40. 54
Dracocephalum 281

E.

Echinophora 224. 225
Elatine 311
Elleborine 454. 457. 470
Elleborum nigrum 134
Emerus 430
Epipactis 457. 464. 467. 468 470. 473. 474. 477
Epipogum 477
Eruca 28. 38. 46. 47. 55

Ervum 403
Eryngium 208. 219
Eryſimum 27. 28. 29. 47. 48. 49. 54
Euphraſia 298

F.

Falcaria 208. 214
Falcata 434
Ferrum equinum 429
Filipendula 109. 312
Flammula 126
Flos cuculli 44
—— regius 132
Fœniculum 204
Fragaria 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81
Fumaria 435

G.

Galeopſis 257. 265
Geniſta 364. 367
Geniſtella 366. 367
Geum 69. 70
Glaſtifolia 36
Glaucium 141
Glaux 413
Glecoma 247
Glycirrhiza 414
Gratiola 289

H.

Hedera terreſtris 247
Hedyſarum 424
Helianthemum 100. 102
Helleborine 457. 460. 462. 467. 486
Helleborus 133. 134.
—— Hippocratis 110
—— niger 110
Hepatica 121
Heracleum 153
Herba cataria 271
Herminium 477
Heſperia 27. 29. 31. 32. 35. 39. 54
Hippocrepis 429
Hippomarathrum 205
Horminum 236. 239. 243. 256.
Hypericum 96. 97. 99. 100
Hyſſopus 281

I.

Iberis 20. 21
—— thlaſpi 25
Imperatoria 174
Irio 54
—— apulus 49
Iſatis 5
Iſopyrum 135
Iva moſchata 250
Iudaica herba 275

L.

Ladanum 269
Lagopus 405. 406
Lamium 257. 284
Laſerpitium 179. 181. 182. 188
Lathræa 293
Lathyrus 377. 378
Lavatera 144
Lentibularia 290
Leonurus 245
Lepidium 8. 9. 10. 11. 21. 24
Leucoium 13. 20. 29. 39. 41. 45
Leviſticum 196
Libanotis 167. 181. 219. 222.
Liguſticum 185. 186. 196. 200
—— Rauwolfii 186
Limodorum 486
Limoſella 333
Linaria 306. 309. 311
Lithonthlaſpi 24
Lotus 399
Lunaria 18
Lupulinum 411
Lycopus 327

M.

Mahaleb 95
Malva 143
Malus cotonea ſylveſt. 93
—— Sylveſtris 93
Marrubium 272. 327
Marrubiaſtrum 272
Medica 434
Medicago 433
Melampyrum 119. 300. 302
Melanthium 132
Melilotus 404
Mellitis 284
Meliſſa 284. 285
Mentha 270. 328
Menthaſtrum 330
Meſpilus 88. 81. 82. 85. 85. 90. 91
Meum 198
Miagrum 6. 15. 18
—— de Sumatra 7
Monorchis 478
Morſus gallinæ 350
Mutellina 198
Myrrhis 189. 190. 194

N.

Napellus 131
Napus ſativus 38
Naſturtium 8. 9. 14. 15. 21. 43. 46
Neottia 464
Nepeta 270
Nidus avis 474
Nigella 132
Nymphæa 142

O.

Odontites 298
Oenanthe 109. 201
Onobrychis 415. 416. 417. 420. 424
Ononis 369
Ophris 464. 474 477. 480
Orchiaſtrum 473
Orchis 473. 474. 477. 478. 480. 481. 485. 486. 487. 488. 490. 491. 492. 493. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 504. 506. 507
Oreoſelinum 169
Origanum 282
Orobanche 291. 293. 464. 474
Orobus 372
Orvala 236. 239
Oſyris 308
Oxyacantha 81
Oxyacanthus 88

P.

Padus 94
Palma Chriſti 487. 492
Palmata 487. 492
Panax 155
Panaces Botanicorum 155
Papaver cornutum 141
—— erraticum 137
—— rhoeas 137
Parietaria 302
Paronychia 11
Paſtinaca 151. 227
Pedicularis 294. 296. 298 312. 313
—— danica 324
Pentaphylloides 72. 73
Pentaphyllum 73. 76. 78. 79. 82
Perfoliata 202
Perfoliatum 208
Peucedanum 159
Phaca 419
Phellandrium 200
Phyllochnis 252
Piloſella 40
Pimpinella 204. 208. 214
Pinguicula 288
Piſum 384
Potagraria 200
Pœonia 136
Polium 251
Polygala 437

Popu-

Populago 136
Potentilla 71. 73. 74. 77. 78. 80
Prunella 279
Prunus 93. 94. 95
Pſeudo. Fumaria 435
—— Helleborus 110
—— Liguſtrum 94
—— marrubium 327
Pſeudoorchis 473. 486
Ptora valdenſium 119
Pulegium 331
Pulſatilla 123. 125
Pyrola 473
Pyrus 93

Q.

Quinquefolium 72. 73. 76. 77. 78. 79. 80

R.

Radix cava 435
Ranunculus 111. 112. 113. 114. 115. 116. 118. 119
120. 121. 122. 134. 135
Rapa 38
Raphaniſtrum 6
Raphanus 37
—— ruſtic. 19
Rapiſtrum 6. 15. 37. 46
Rapum 38
Regina prati 109
Reſta bovis 369
Rhinanthus 296
Roſa 84. 85. 86. 87
—— auſtriaca 86
—— gallica 87
—— hierachundica 7
Rubus 81. 82
—— idæus 81. 82
Ruta 107

S.

Salvia 235. 237. 238. 239. 241. 242. 243
Sanicula 228
Satyrium 477. 487. 493. 504
Saxifraga 213
Scandix 189. 191
Sclarea 243
Scordium 251
Scordo Thlaſpi 22
Scrophularia 325
Scutellaria 275
Selinum 159. 160. 162. 167. 169. 170. 172. 174.
177. 213
Seſeli 167. 185. 197. 198. 204. 209
—— æthiopicum 185
—— creticum 153
Serapias 491. 507
Seriphium 54
Serpyllum 277
Sideridis 248. 260. 264. 265
Silaum 159
Siler 185
Siſymbrium 46. 47. 48. 49. 51. 52. 53. 54
—— eryſimum 28
Sium 212. 215
Sophia chirurgorum 54
Sorbus 83. 85. 86. 87. 88. 90. 93
Spergula 350
Sphondylium 153. 155
Spina alba 82
Spiræa 109
Squamaria 293
Stachys 264
Stæhelinia 294
Synapi 38. 43. 46
Synapis 46

T.

Terræ glandes 581
Tertianaria 275
Teſticulus 504
Teucrium 249. 336. 337. 344. 346.
Thalictrum 105. 106. 107. 108. 135
Thlaſpi 5. 7. 9. 14. 16. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25
Thlaſpi Candiæ 25

Thymus 277. 278
Tilia 96
Tordylium 153
Tormontilla 99
Tozzia 305
Tragorchis 484. 498
Trifolium 399. 400. 402. 404. 406. 407. 433
Triorchis 478
Trollius 134
Turrita 41
Turritis 28. 35. 36
Tyſſelinum 170

V.

Verbena 328
Veronica 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 341. 342. 344
Veronica auſtriaca 344
—— femina 311
—— mas. 335
—— DILLENII 352
Veronicaſtrum 353
Vicia 384. 403
Viola lunaria 18
—— matronalis 35
Vitalba 126
Vitis Idæa 95
—— nigra 126
Ulmaria 109
Urtica inera 259. 262
Utricularia 292
Vulneraria 370

icæ.

FASC. I TAB. I.



Augustin Cipps Medicinæ Stud.
delin. et sculpsit Viennæ

Google

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

ſcorbuticæ. FASC I TAB. II.



A.C.M.S. del. et ſculps.
Viennæ 1760.

Digitized by Google



A. C. M. S. del. et sculps.
Viennæ 1791.

Digitized by Google

Google

FASCIC II.

Multiſtamina. TAB. I.



Auguſtin Cipps Med. Stud. del: et sculpſit Viennæ

[illegible] Google

Multi ſtamina. FASC. II. TAB. II.



Augustin: Cipps Med: Stud: del: et sculpsit Viennæ 1702.

itized by Google

RANTZ Multi ſtamina.

FASC. II
TAB. III.



Auguſtin: Cipps Med: Stud: del: et ſculpſ: Viennæ 1761.

[illegible]

Multi ſtamina.



FASC. II.
TAB. V.

amina.



Digitized by Google

Digitized by



August: Cipps Med: Stud: del: et sculps: Viennæ 1760.

Google

ſeræ.




Fig. 1.

Auguſt. Cipps. Med. Stud. del. et ſculps. Viennæ, 1755.

Digitized by Google

llifere. FASC. III. TAB. II.





Digitized by Google



Digitized by Google

Google

Umbelliferæ FASC.III. TAB.IV.



Digitized by Google

FASC. III


RAS Umbelliſerae TAB.V.



A: Cipp: M: St:
del: et sculp:

Digitized by Google

bellifer[ae]. FASC. III *TAB. II.*



A. Cipp. M. R. del. et sculps.

Digitized by Google

FASC V.

Papilionaceæ. TAB. I.



F. 2.

A Cipps M St del sculpsit.

Digitized by Google

pilionaceæ.

FASC.V. TAB. II.



Google

Digitized by Google



Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google